



**Hermanni Hamelmanni, S. S. Theol. Licent. & dum viveret  
Superint. Oldenburgici, Opera Genealogico-Historica, De  
Westphalia & Saxonia Inferiori**

**Hamelmann, Hermann**

**Lemgoviae, 1711**

**VD18 11397225**

16. Ejusdem continuatio Historiæ Ecclesiasticæ 1. In Aula Cliviensi, 2. In  
urbibus VWestafaliensi, 3. Dusseldorpiensi, 4. Tremoniensi, 5.  
Hervordiensi, 6. Lippiensi, 7. Lemgoviensi, 8. Huuxariensi, ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56092](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56092)

CONTINUATIO  
**HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
HERMANNI HAMELMANNI**

1 heol. Licent. & Superint. Altenb.

Ex

**Manuscripto Authoris, communi-  
cato ex Bibliotheca GUELFERBYTANA.**

Jam primum typis exscripta

---

LEMGOVIÆ Anno 1705.

Hhh hhh 3

DE



DE

## A U L A

CLIVENSIS, JULIACENSIS, MONTENSISQUE  
DUCIS;Comitis de Marcka & Ravensberg  
JOHANNIS, Patris

Et deinde

Filii WILHELMI, &amp;c.

Quomodo illa affecta & dedita fuerit religioni vera, &  
quomodo à renata Evangelii luce in Germania usque ad Annam  
1567, sese gesserit brevis explicatio.

**J**Am inde ab initio tam flexuosa fuit religio & affectus aule Clivensis & Juliacensis (quia de patre *Johanne* Simplici, probo & bono Duce & Principe, nihil dicam) erga doctrinam Evangelii, ut nesciam an quicquam audeam vel possim de ea scribere. Scribam tamen quæ ad hanc historiam pertinent & à me cognosci & explicari potuerunt, si forte non eo ordine ut debebat fieri, id boni confulent pii lectores. Si quoque nec omnia referam, similiter id mihi ignoscendum erit. Semper ab initio docti consilarii, ut Doctores & alii celebres viri pependerit ab ore *Erasmi Roterdami* in illa aula & omnes erant ibi *Erasmiani*. Inter hos præcipui semper erant *Henricus Borsius* *Olieslegerus* Clivensis Cancellarius (qui adhuc anno 1568. in vivis est) *Johannes Gogrevius* & *Johannes Platensis*, Juliaci Cancellarii, *Conradus Heresbachius*, Præceptor Ducis junioris *Wilhelmi*, *Carolus Hostius*, *Wilhelmus Menapius*, Grenensbergenfis Insulanus, alique. Hi etiam & alii multi fuerunt sine dubio autores Principi *Johanni*, ut ablati crassioribus abusibus ex templis paululum Ecclesias & templis suis ditionibus reformaret de consilio *Erasmi Roterdami*. Nam primum incipiebant multi pastores in ejus Principis Domini Evangelium docere & propagare, atque Sacramenta purè administrare præsertim tunc cum viderent *Johannis*, *Electoris Saxonie* filio *Johannis Friderici* desponsatam & postea elocatum filiam hujus *Johannis Clivensis* *Sybilam* anno 1528. Quia copulatione sperabant omnes pii fore ut luce Evan-



gellii accenderentur, Dux, Ducissa & aulici in aula Clivenfi & Julia-  
censi. Ideo Princeps *Johannes* mittit mandatum ad omnes praefectos,  
quo praecipit, ut omnes invocationes in religione factae abolerentur.  
Interim haec verba flexiloqua habentur in eo mandato: Daß ihr von  
unserm und Altmpts wegen fleißig auffsethet / und bey allen Predigern in un-  
serm Ampt euers Befehls / ernstlich verschaffet / daß sie keine unchristliche  
Lhre oder ungebührliche Neuerunge / dadurch Widerwärtigkeit / Aergerniß  
oder Uneinigkeit entstehen möchte / einführen oder predigen / sondern das  
Evangelium und Wort Gottes klar zu der Seelen Heil / Besserung des Le-  
bens und Erhaltung Friedens und gute Ordnung / ohn einig Aufruhr /  
Schelten und Eigennutz verkündigen / unsere Unterthanen mit Verkaufung  
des Heiligen Sacrament und anderer ungebührlicher Aufschlagung nicht be-  
drängen. Ferner ist unser Befehl / daß ihr bey unsern Unterthanen ver-  
schaffet / daß sie sich zu keiner Rottung / Aufruhr oder Neuerung bewes-  
gen lassen / 2c.

Præcipitur quoque ne ullos privatos conventus celebrent, in quo  
concionentur aliqui, doceant aut disputent. Sed si essent, qui quid  
haberent, quod desiderarent, ut id indicarent praefectis deferendum  
ad Principem & aulam. Nam promittit omnibus reformationem.  
Hoc mandatum est typis evulgatum anno 30. 18 Julii.

Illud mandatum variè interpretabatur. Ubi erant Evangelici  
praefecti & concionatores, illi hoc pro sua parte interpretabantur:  
Papistici praefecti inde occasionem sumentes volebant omnia pontifi-  
cia servari sacra, & si quae erant abolita institui: Ibi & Pontificiorum &  
Lutheranorum erat aequa & similis gloriatio: Quanquam omnes  
multum & vehementer expectarent futuram reformationem, quam  
putabant prodituram vel ex aula Electoris Saxoniae, vel ex Academia  
Witebergensi.

Tandem anno 1532. editur Reformatio profecta à prioribus istis  
Consiliariis, quae limanda tradita erat *Erasmio Rothenodamo*, ut aliquo-  
ties *Johannes Plattenus*, praecipuus Erasmi amicus gloriatus fuerat. Hic  
in initio conqueritur Princeps pius suum mandatum in utramque par-  
tem raptum & male intellectum, ideo se nunc hanc edere Reforma-  
tionem, quae etiam flexuosa & dubia erat: Articulos ejus breviter  
referemus. In prima periodo tria ponuntur.

1. Nemo doceat ullis in locis aut parochiis, nisi aut si verus pastor aut  
à pastore & aliis quorum interest legitime vocatus,

2. Ne-



2. Nemo doceat in cœnobiis nisi de jussu & autoritate prædicentium in eis. Aliter faciens capi & incarcerari debere.

3. Si quis concionatorum aliter egerit, vel concionando nimium, vel in hanc vel in aliam partem inclinaret vehementiorque, quam deceret, esset, id Domino per præfectos & Satrapas indicari debere.

Secundæ pericopes vel periodi summa hæc est:

1. Primo ut pastores vel vicecurati Evangelium novi & veteris Testamenti ad veram cognitionem JESU Christi, ad auctorem Cœnitæ Charitatis inter nos ad servandam legem DEI, ad obedientiam præstandam, ad retinendam pacem & concordiam, ad conversionem & vitæ pœnitentiam sine offenculo & seditione atque turba prædicent.

2. Ut nec in eo vel sua quærant vel aliquid aliud, nisi ut prædicare & a pertè doceatur vera doctrina.

3. Ut ab omni repræhensione & damnatione tam novæ quam veteris doctrinæ (ut illæ hodiæ distinguuntur) abstineant & in genere prædicent. Nam talis repræhensio vel damnatio cedit in præjudicium & seditionem.

Tertiæ pericopes summa hæc est:

1. Ut præter solitorum Evangelicorum Dominicalium & epistoliarum fidelem explicationem, etiam & fidei Symbolum coram plebe declarent ex certis fundamentis verbi Dei & Apostolorum doctrinæ, cujus formam nos dabimus.

2. Quarto traditur forma, quomodo debeant pastores explicare debent præcepta coram plebe, eaque valdè est simplex & carens perspicuitate rotunda, quæ quoque est in quibusdam ridicula & inepta, ubi in explicatione primi præcepti confundi videntur persone. Nam & pater creator cœli & terræ dicitur ibidem esse via vitæ & veritas, quod sibi applicat filius DEI Johannis 14. Hunc ajunt esse timendum, amandum & celebrandum ante omnia eique fidendum.

3. In explicatione secundi præcepti dicitur ne juremur per nomina ejus, vel per creaturas, aut vanè in testem adhibeamus, sed ut ad eum tempore crucis & necessitatis confugiamus.

4. Tertio ut verbum DEI diebus sacris audiamus pia intentione & preces celebremus, eleemosynas demus, pœnitentiam delictorum agamus, & vera in DEUM fiducia bonisque operibus festa sancti hinc.



Quarto, ut parentes, praesides, seniores, proximosque honoremus, & amemus, ac eis inservire & obedire debeamus.

Quinto ne cujusquam corpus aut famam laedamus, sed omnibus prodesse & gratificari studeamus.

Sexto ut puram vitam ducamus in verbis & factis & puris cordibus, ne cuiquam simus offendiculo.

Septimo, ne cuiquam sua vi, furto aut aliis iniquis mediis auferamus, & ne merce illegitima defraudemus proximum, sed cujusquam utilitatem quaeramus, juvemus ac promoveamus.

Octavo, Ne contra aliquem falsum dicamus testimonium, nec quenquam prodamus, aut convitiis aut calumniis traducamus, ejusque exultationem laedamus, sed omnia in aequam interpretemur partem.

Nono & decimo, ne cujusquam bona & dona appetamus & invadamus dolo, nec quoque alterius uxorem, liberos, famulos, sed eos potius hortemur, ut subsint maritis & parentibus ac dominis legitime, & eis obediant &c.

Hac est illa magistralis explicatio praecceptorum DEI, in illa ordinatione, cujus Corrector fuit *Erasmus Roterodamus*.

Quid autem Christianus lector invenit aliud in hac explicacione, quam quod *Phocydides, Pythagoras, Aristoteles, Socrates, Plato*, & hodie Turca aliquis in suo Alcorano dedisset? Dico ingenuè, quod sentio. Quia illi similem moralem doctrinam tradunt.

De oratione quintò, tam ibi futilia quaedam extant, ut vix intelligam, quae ibi dicantur.

1. Primo precatio exercet fidem in nobis quotidie, ideo admonebunt ministri omnes, ut diligenter orent, atque interim addant, quemadmodum peccant fures, raptores & malefici, ita etiam peccare eos, qui nunquam Deum invocant nec fidunt ei vel honorem ei praebent &c.

Quae dicta sunt blasphema: Nam hinc sequeretur peccata esse aequalia (ut *Sebastianus Franckius* ait) & non magis esse peccatum Epicureo more contemnere Deum, non invocare, ejus promissionibus non credere, eumque ignominia afficere, quam proximum laedere. Illa sunt peccata in Spiritum sanctum: Hac autem remissibilia. Sed revertar ad dicta ordinationis istius.

2. Ut orent non solum pro se ipsis, sed etiam pro Magistratu, proximis, & omnibus gravaminibus.



3. Cum autem precatio dicta, Pater noster; sit nobis à Domino nostro CHRISTO tradita & proposita præscriptaque, continetur sane in illa omne quod nobis conducit, ideo illa oratio certa erga Deum fiducia legatur ex explicabitur juxta formam à nobis edendam.

4. Possunt ministri aliquot formas precandi colligere ex novo & veteri Testamento, quas inculcent plebi, & interim tradant, quomodo omnes DEUM in sanctis, & sanctos in DEO celebrent, honorent & laudent, &c.

Sexta pericope est:

Ne quid novi contra Sacramenta & contra veteres & hæc usitas ceremonias atque simul cantiones & lectiones Ecclesie, introducatur in templa. Sed veterum ceremoniarum, lectionum & cantionum usum, consuetudinem & figuras ac explicaciones plebi tradant, &c. Hic clare totus stabilitur papatus.

Septimo, cum regenerentur per baptismum infantes & per Spiritum Sanctum ita fiant membra Ecclesie, debent ministrum tali actione declarare, quid ibi spondeatur Deo, & quomodo renunciatio Satanae fiat, & quae simul ibi Catechismi exercitia adhibeantur, ut cognoscant, quid illa omnia denotent, ut sciant quid promiserint, & cui renunciaverint.

Octava pericope est:

1. Ut celebretur & observetur officium sanctae Missae.

2. Interim præcipitur ut plebs diligentissime instituat in Sacramento altaris esse verum corpus & sanguinem Christi.

3. Quod per hoc Sacramentum applicetur nobis gratia & remissio peccatorum sicut Christus promissit. Promissio autem talis est morte & purissimo sanguine ejus obsignata.

4. Verum tale Sacramentum nemo nisi prius poenitentiam agat & confessus fuerit peccata, sumere debet & sumpturus fidem adhibere.

5. Ideo operam dabunt concionatores ne cuiquam in confessione aliquid absurdi, periculosi, indecori & immodesti proponant aut ab aliquo quærant, ne confitentes citius offendantur, & inde occasionem ad mala perpetranda capiant potius quam erudiantur.

6. Verum hoc agant, ut ipsos ducant ad cognitionem peccatorum & quomodo poenitentiam agere debeant, vitam malam in meliorem corrigere, & tunc Sacramentum in vera fide percipiant, & certam DEUM spem habeant.



7. Præcipue vero conscientis ærumnosis & oneratis propter peccata proponere certas scripturæ promissiones & DEI consolationes, ut paci restituantur, debent.

8. Ut quoque plebem erudiant in confessione, ne Magistratui resistant, ut sibi à seditiosis impiisque conatibus caveant.

9. Debent quoque erudiri, si qui bona male parta vel titulo male occupata habeant, ne illa sive istorum partem in cœnobîa vel collegia, vel ad usum templorum transferant, sed tantum veris hæredibus concedant, à quibus sunt abalienata, sed si hi non inveniri possunt, transferentur talia ad usum pauperum, &c. Egregia Reformatio, qua Missa Papistica, qua nihil unquam in toto mundo magis impium est, stabilitur, & nihil de merito Christi nobis per veram fidem applicanda, nihil de remissione peccatorum in absolutione per ministerium Ecclesiæ in nomine Filii DEI accipienda traditur. O Reformatio plus quam gentilis.

Nona pericope ordinationis Ducalis est:

1. Ut doceant ministri in vera doctrina requiri pœnitentiam, agnitionem & contritionem peccatorum, observationem mandatorum atque fidem absque pœnitentia & contritione cordis, sine doctrina operum sine timore DEI & proximi, nihil esse.

2. Requirit quoque necessitas ut eis pœnæ peccatorum & delicta quæ sunt proponantur, item quomodo piæ vitæ conversatione, diabolo & peccatis fortiter resistent, item ut per præces augeatur in eis fides, ut proximo per elemosynas serviant, ne avaritiæ & crapulæ indulgeant, sed per jejunium & labores exercitiaque carnis conatum reprimant, &c. Sed Paulus aliter docuit: nempe fide & prece resistendum diabolo.

Decima pericope est:

Quia à DEO mandatum est matrimonium, ideo doceant ministri de fundamento, usu & cognitione conjugii, & quomodo conjuges multa obsequia & benevolentiam præstare & alter alteri juxta scripturam suam tribuere debeant.

Undecimo, ut pastores vel vicecurati in prædictis articulis semel quotannis suos auditores examinent, & omnium illorum articulorum usum, explicationem & fundamentum inculcent, & neminem ad communionem Sacramenti assumant, nisi qui ita sit institutus,



Duodecimo. Ut capita religionis præcedentia tanto fidelius inculcentur omnibus, debent post singulas conciones prout ratio temporis postulat unum aut alterum horum articulorum declarare & eis inculcare, deinde ita ordine pergere, & ita in omnibus concionibus post absolutam Evangeliorum & epistolarum explicationem, illos semper pro parte declarare, ut sciant articulos fidei, Decalogum, orationem dominicam, item quid sit baptismus & alios, eorumque explicationem, ex scripturis & certis rationibus dare) eosque finitos iterum repetere. Interim quod ad ceremonias, ut illas exerceant & observent hæc temporibus & simul quotidianas prout in Ecclesiis ordinatæ sicut, sed etiam eas ex scripturis & certis rationibus declarent populo & eorum mysterium explicant, ne istarum ceremoniarum contemptus eorum animos occupet.

Decimo tertio. Ut concionatores, solitos de more veteris jejunii dies annuncient plebi observandos ex laudabili Ecclesiæ consuetudine, nisi impediatur corporis fragilitate, alioqui nemo aliter faciet ut non contemnatur mandatum magistratus & illudatur ejus officium atque ita etiam proximus lædatur & offendatur. Quomodo etiam plebi indicentur festa, addendum erit à concionatoribus, ut precibus consideratione suorum delictorum, vera pœnitentia, auditu verbi DEI transigant ea & sanctificent atque istis diebus ut alias, quantum potest fieri, officinas vinarias, cerevisiarias, luforias, ubi blasphamatur DEUS, & alias occasiones peccandi devitent, interim ut nemo istis ferialibus diebus laboret &c.

Hæc est illa reformatio tam anxie à multis expectata, quam ex urbe & arce Clivorum edidit 11 Januarii Anno 1532. Clivensis Princeps *Johannes*, sed auctores dicuntur prædicti & multi alii politici Consilarii.

Jam judicent pii de hac reformatione, quid de articulis Christianæ doctrinæ de discrimine legis & Evangelii, de officio Mediatoris, de justificatione hominis, de fide & fiducia in Christum filium DEI, de remissione peccatorum, de vita æterna consequenda per Christum de vera oratione ad DEUM patrem faciendâ per Christum hic dicatur & scribatur. Ubi hic auditur de numero, usu, fructu & fine Sacramentorum? Ubi hic obsecro horrendi abusus, prophanationes, idololatriæ, falsæ religiones, Missæ papisticæ & Sacramentorum avertuntur? Profecto nunquam in papatu vilior est Reformatio hac unquam ab ali-



quo profecta. Multis modis adhuc illa est melior, quam *Gropperus* sub nomine Archiepiscopi Colonienfis *Hermanni* edidit Anno 1535. Et hic potest cognosci Theologia *Erasmii Roterodami* & suorum discipulorum. Si ego nunquam aliquando sensissem de Theologia *Erasmii* honorifice, jam profecto ex illo scripto sorderet mihi ille *Erasmus* quod ad Theologiam attinet. Retulerunt aliquando nobis boni viri in Superiori Germania, quando interrogasset Dux Saxoniae *Johannes Fridericus*, Electoris *Johannis* filius, mortuo patre quoque Elector, *D. Lutherum*, quid de edita sui Soceri Reformatione sentiret, verum is indignanter responderat: Böß Deutsch / böß Evangelisch / alles was von *Erasmio* kömmt / ist so voll Theologia, als mein femoral voll Pfeffers: Parturiunt montes nascetur ridiculus mus. Hæc ille: Quia & Germanice scripta est, & dictio in illa Reformatione est ex quatuor dialectis mutuata, videlicet, ex superiori, ex Westphalico, ex Brabantino & Coloniensi conflata, ideo dixerat: Böß Deutsch.

Sæpè piissima conjunx sanctissimi Electoris *Johannis Friderici Sybilla* lachrimis conditionem optimi sui patris & matris deploraverat, quod ita captivi in causa religionis tenerentur, ex malè sanis quibusdam consiliariis pluris facientibus *Erasmum* quam Christum.

Cum autem viderent consilarii se in aliis aulis risui exponi propter talem ordinationem, tum quoque cognoscerent propter obscuritatem passim calumniose non tam à subditis quam exteris exponi istam ordinationem, atque similiter ex ejus brevitate occasionem sumptam à quibusdam, ut quædam Evangelica propagassent, sunt suasores suo principi, ut adhuc explicationem istius ordinationis vel explicatiorem Reformationem edat, ex qua plus gloriæ consequatur, & post eam editam mox per certas quasdam personas ex consiliariis curet in tribus Ducatibus & simul duobus suis Comitatibus exquiri, quinam sint, qui se priori reformationi opposuerint, & quid fiat in Collegiis, Cœnobiis, Scholis, hospitalibus ut quoque per eos omnis tollatur abusus & quod utile sit, assumatur: Ut Ecclesiæ per ipsos disponantur, templis & scholis utiles, sedati & pii viri proficiantur, eisque debitum & honestum salarium assignetur, ut quoque de illorum mandato Collegiatae ex suis quosdam deinceps curent in Academiis erudiri, qui aliquando vel Ecclesiæ vel reipublicæ ornamento sint: Ut injungatur Abbatibus quoque prioribus & aliis præsulibus cœnobiolarum, ut emant sibi utiles scriptores Ecclesiasticos, adornent splendidas Bibliothecas, habeant



lectores & professores, qui quotidie salutaria ex Bibliis vel aliunde proponant & explicent junioribus, & ut quoque in cœnobis singulis Dominicis & festis diebus conciones fiant: Et quia multi de jurisdictione Ecclesiastica Episcoporum & banno & excommunicatione eorundem Viscalium & officialium Archidiaconorumque fuerant conquesti, jubet Dux hac ratione assignari ut per hujusmodi personas, visitatores ordinatos in diversis locis cognoscatur circumstantia rei & quid commodè & quid incommodè fiat, ut istis omnibus cognita admoneantur deinceps Episcopi, Archidiaconi & Officiales ac Commissarii vel Viscales, ut omissis abusibus quæ legitima sint agant de. Hæc igitur ita annotata Dux Clivensis & Juliacenſis *Johannes*, cum instructione quæ continet prioris Reformationis declarationem, edita publicavit 8 Aprilis anno 1533. Quibus instructos ablegat in diversas suas provincias consiliarios quosdam visitatores, qui tunc iter ingressi, certe sine, ut planè lux Evangelii ubique extingueretur, & p̄i doctores undique turbarentur, quod etiam factum in nonnullis est locis: Nec quicquam tale in collegiis & monasteriis est præstitum, cujus nomine emissi erant. Summa istius instructionis, quam quoque vidit & perlustravit *Roterodamus*, quem in illa aula Numinis intus colebant habebantque, hæc est, ut ordine subjicitur; Primo clausulam, de eo admittendo, qui sit vocatus legitimè, arripuere quidam Apollares & ardeliones, qui quorundam consensu impetrato se ingerunt in Ecclesias etiam vel ignorantibus vel invitis pastoribus, qui malè interpretantur scripturas, vel publicè vel privatim, & sibi adjungunt locos & discipulos, ut illaqueant conscientias & ad novitates populum invitent. Ideo debent illi amoveri, & veri pastores & alii, quos noliti Consiliarii ac legati probaverint, tantum in posterum admitti. Ideo etiam præcipitur, ne quisquam subditorum, tam in oppidis quam pagis rejectos vel rejiciendos novitios doctores, sive qui ex aliorum Heroum ditionibus ejecti sunt, hospitio suscipiat, vel sustentat propter vitandas sectas & seditiones, aut locum eis concedat imò nullus peregrinus, nisi qui honestum magistratus testimonium de sua vita & doctrina habeat, admitti debet ad jus & hospitium oppidorum & pagorum. Qui aliter faciant puniendos esse: Ita rejiciuntur qui vitiosos enthusiastas, revelationes sibi clam factas jactitant, quia hoc docendum erit, quod ut Christus à patre missus, ita ille Apostolos missus Apostoli Episcopos, Presbyteros & Diaconos in Ecclesia ordinant.



Episcopis etiam mandarint, ut circumspicerent quo legitime ordinarentur & præficerentur ministri Ecclesiis. Interim licet hodie illo suo defectu laborent, ut nemo ab omni parte beatus, tamen non licebit propterea populo quoslibet assumere & remove pro arbitrio Ecclesiæ ministros, aut alios, quam ordinarios suscipere, id enim potius tunc spectaret ad Magistratum, cujus est: non vero plebis, abusus abolere & errata corrigere.

2. Multa quæ quidem correctione indigerent sunt in Ecclesia toleranda pacis & concordia causa, ne bona cum malis simul perditum eant, & deinde offendicula vitentur.

3. Docendum, omnes austeros, rigidos, & seditiosos conatus, licet ad tempus hujusmodi interdum successum habuerint, miserum esse sortitos semper finem, veluti exempla in Chore, Datan, Abiran & aliis videre licet.

4. Ut quilibet sua magis consideret vitia, quam ut procax & dicax sit in magistratus & ministros vel alios, ut potius se poenitentia submittat, & oret DEUM si forte non tam idonei aut per omnes partes absoluti præfides in Republica & Ecclesia essent, ut is hujusmodi dare velit: Ut ita excitentur autores ad amorem magistratus & ministrorum reverentiam. Ideo de mandato nostrorum consiliariorum omne illud vitari debet, quod posset scandalo discordiaque occasionem dare, & deinde videbunt ministri ut quoque honesta vita ornent conclusiones.

5. Ne quoque in administratione Sacramentorum ut in Reformatione priori dictum est, gravent quenquam aut sint oneri, sed gratis conferant præsertim pauperioribus Sacramenta & ministeria, quod etiam fiet in introductionibus, sepulturis, copulationibus & aliis ceremoniis. Nam curabimus ut omnes ministri habeant honestam sustentationem. Interim non abrogantur quatuor offertoria festorum & alia frumenta & subsidia, quæ ad usum Pastorum & Sacellanorum quotannis conferuntur, sed serio mandantur. Si etiam quis ex proprio zelo & gratia aliquid ministris contulerit, merito id ab eis cum gratiarum actione suscipi debet.

7. Nec quoque custodes & sepulchrarii alique suis debitis privari debent.

8. Etsi ad vitam solitariam vocati sint monachi, ut merito non concederetur eis locus in parochiis, tamen propter inscitiam quorundam  
mini-



ministrorum tum quod plerique docti & pacifici monachi reperiantur, non debent temerarii excludi.

9. Ideo mendicantes monachi non debent rejici, si prius rogentur auditores à pastore, ut inopiâ monachorum succurratur, & illi interim non sint nimium importuni, tamen non debent isti mendicantes ab illis qui nihil dare volunt aut possunt, derideri & agitari.

10. Ne temere novus monachus vel terminarius admittatur, nisi de consensu pastoris aut vicecurati & praefectorum.

11. Ut praesides cœnobiorum idoneos concionibus praeficiant, ne quoque aliunde ex cœnobiis profugos suscipiant, nisi de nostrorum consensu.

Non debent quoque temere admitti illi stationarii, qui æterna forma plebem emungunt argento.

Sic primus articulus reformationis prioris explicatur. Sequitur secundi declaratio, ubi omnis penè papismus & monachismus stabiliatur, & persecutio piorum doctorum traditur, ubi papisticae ordinationis confirmantur, ubi docetur manifestos abusus tolerandos. Ideo ibidem sequitur.

1. Secundus articulus non servatur dum multi ex proprio cerebro & sensu interpretentur scripturam, ideo hoc inculcabitur concionatoribus, docendum, credendum & amplectendum esse Evangelium & verbum Dei, illudque habendum & tradendum tanquam unicam doctrinam ad salutem. Hic vides confundi legem & Evangelium. Lex est verbum Dei, ergo est ad salutem necessaria, &c.

2. Debent autem (pergit ibi Dux) & suam vitam, actionem & conciones ex eo verbo moderari, atque aliorum scripta, & alias doctrinas juxta hanc scripturam Dei formare, invocare etiam DEUM pro illuminatione veri intellectus.

3. Ea etiam quæ in scriptura offeruntur debent omnia scrutari, ad quem locum communem pertineant, ut recte applicentur.

4. Ut unus locus obscurior ex manifestioribus dictis verbi DEI explicetur consideratis praecedentibus & consequentibus in textu, non autem hoc torquere & observare, quod cuique pulchrum videtur, sed quod solide & aperte sit fundamentum in scriptura & DEO acceptum adferre.

5. Hoc praecipue in concionibus urgere debent, in quibusnam sit nostra salus sita, quæ ad gloriam DEI, ad ædificationem proximi ejusque



que charitatem pertineant: Nec necessaria omittere, nec etiam plane minus necessaria rejicere.

6. In quare ita procedendum, ne infirmi offendantur, nullæ personæ, nulli status in rebus publicis vel alii ministri taxentur, ut omnia ita ad pacem & ædificationem spectent.

7. Omnia pro consideratione circumstantiarum debent utiliter proponi, ut quomodo, quando & qualiter utiliter hæc & illa sint tractanda.

8. Sic quoque quæ de Magistratu, quæ de aliis, quæ in genere, quæ in specie in scripturis dicuntur, non confundere decet.

9. Causæ & occasiones in scripturis expressè non erunt quoque omittendæ, ne quicquam vi in alium sensum torqueatur eumque peregrinum.

10. Debent quoque fabulæ & exempla & alia quæ in scripturis nec locum nec fundamentum habent, nec multum ad ædificationem & pacem spectant, sed potius contemptum ministerii pariunt, omitti.

11. Tropi aut allegoriæ, mysteria & similitudines scripturæ non secundum literam, sed ex ipsorum vi & efficacia prudenter declarari. Ubi autem non satis assequi illorum proprietates quis posset, consulat *Chrysostomum*, *Augustinum*, *Hieronymum*, & alios probatos Doctores Ecclesiæ, qui in talibus explicandis bonam operam posuerunt.

12. Quæ sunt in verbo Dei res fidei & rationi contraria, illa non debent pro nostro captu intelligi & exponi, sed absque speculatione credi, cum sint Dei omnipotentis res.

13. Ne vitia Clericorum & Magistratus revelentur coram plebe pro concionibus, sed privatim in iis locis, ubi locus & commoditas postulat & cum fructu fieri potest, nec dissentiones privatas decet revelare in concionibus, nulla quoque certamina movere, sed quæ ædificationis & salutis sint quærere debent ministri, ideo communiter crimina taxanda, non erit ulla persona exprimenda, aut ita per periphrasin describendum quid erit, ut intelligatur aliqua certa persona notari. Si vero quidam in manifestis perseverant delictis, & contemptores nostræ essent ordinationis, illi debent privatim admoneri, aut si id non proffit per nostros præfectos puniri.

14. Seducuntur etiam Auguribus, Benedictionariis, Ariolis, Sagis, Veneficis, Incantatoribus & Aruspibus multi, quoniam credunt eorum vanis signis & fictis benedictionibus, ideo debent isti ejici, aut si



reperiantur ad supplicium rapi. Ideo ex scripturis erit docendus populus, ne talibus credant. Imò etiam & ipsi pastores, clerici, jurati & custodes talibus curiosibus artibus dediti debent ejici & privati bonis Ecclesiasticis.

15. Verum si hic quispiam excepiat, crucem signare, non est malum tunc inter abusum & verum usum distinctionem facient ministri.

16. Docendi quoque sunt subditi, ne pythonibus & spiritibus vel animabus redeuntibus post mortem credant aut aliis fictis revelationibus fidem adhibeant, quod potest fieri ex Evangelio de divite & Lazaro Lucae 16. Sic explicatur secundus Articulus, in quo multa etiam reprehendunt pontificii, videlicet 2. 3. 4. 10. & 16. liberae reprehensiones falsæ doctrinæ vel publicarum criminum hic prohibentur, quod est contra officium Doctoris in scriptura expressum. Reliqua sunt toleranda.

Sequitur tertii articuli in priori Reformatione explicatio :

1. Jubeunt nostri consiliarii ministris ut ita tractent de lege, legem esse per Moysen datam, & nobis in decem præceptis proponi, ut in pædagogus, ut inde ejus voluntas & nostra revelentur & cognoscamus peccata.

2. Item etiam minimi mandati transgressores esse æternæ mortis reos, ideo quoque pœnæ & exempla pœnarum, quo quidam puniti sunt, ex scripturis adduci debent, ut horrescant ad iram & judicium DEI, eumque timeant auditores.

3. Et aggeranda ira DEI ex eo erit, quod propter aliena peccata non pepercerit filio suo dilecto, ideo nec nobis delinquentibus pareat deus. Hæc ibi, ubi quidem de usu legis aliquid dicitur, sed nihil perspicue & rotundè.

Quarti articuli explicatio talis est : Hanc ex præcepto nostrorum consiliariorum percipient, ut ita Symboli explicatiunculam proponant concionatores.

1. Nos omnes esse natura filios iræ & indignationis ex qua nunquam nostra vel alterius creaturæ opera expediri & liberari queamus, ideo ex mera misericordia à DEO datum filium ipsius unigenitum in mortem & redemptionem nostram & reconciliationem, quam vera fide consequimur.

3. Fidem autem non esse rem otiosam, sed credulitatem qua credimus omnia vera esse, quæ in scripturis expressa sunt & habentur deinde



deinde esse fiduciam in misericordiam DEI nobis promissam & per Christum partam & stabilitam, ut nos ei totos demus.

Ut quoque habentes hujusmodi fidem non minus timeant penas delictorum quam beneficentiae consolationes expectent. Nam nemo existimet sibi perseveranti in delictis prodesse consolationes scripturae, nisi poenitentiam agat, & serio DEUM invocet.

4. Fidem veram non esse vacuam charitate erga Deum & proximum. 5. Amantes Deum esse audire verbum Dei, ei adherere, & non transferre libertatem spiritus in carnis libertatem, sed ex spiritus impulsu, non ex coactione legis benefacere & amare proximum decere Christianos tradent. Quia charitas non est suspiciosa, non quaerit sua, sed placida, patiens & singula bene & dextre intelligens. Interim peccatur ab eis contra charitatem, qui proximo detrahunt, eum temerè judicant, traducunt, aliisque sunt vita & verbis offenculo.

Hæc de quarto articulo ibi habentur, ubi equidem symboli verba eorumque vis & efficacia cum suo fructu non explicantur, sed in genere dicitur de fide. Sed illa in 2. §. definitur papistico more, qualem diaboli fidem habent, deinde additur aliquid de fiducia, ut videantur etiam ad nostras definitiones alludere, ut sic Confessores illius illustrationis & commentarii super priorem ordinationem sibi ex uno ore & calidum & frigidum videantur flare. O *Erasmii* versutia!

In explicatione quinti articuli sic refertur: Injungent nostri consilarii pastoribus, ut in posterum doceant, ne quis ex temeritate vel labiis tantum aut ex more orent, sed ex toto corde & vera fide, certo statuens se exaudiri in sua oratione, ut vel à presenti malo liberetur & illud consequatur, quod petat; aut aliud quod ei magis salutare sit: ut interim DEO nec modus nec tempus nec forma præscribenda sit, quia is novit quibus opus habeamus, quid utile sit, quomodo & quando idque multo melius quam nos. Hæc ibi. Illa tolerari possent, si doceretur quomodo pater in nomine filii invocandus, & quid singulis comprehenderetur, explicaretur. Hic quoque nihil dicitur de abusu invocationis hominum mortuorum & de idololatria hæctenus sanctis tributa.

Sextus articulus ita declaratur: Indicabitur per nostros consilarios baptizari aqua, esse nihil aliud quam veterem hominem, qui in peccatis est natus, mori peccatis & immergi ad poenitentiam & submergi in vitam, verum permortem Christi emergi & innovari, ne amplius



carnem ejusque desideria sequamur sed cum CHRISTO crucifigamus mortificemus & sepeliemus eam, ut veluti Christus resurgens a mortuis ingressus est gloriam patris, ita quoque in novitate vite & spem ambulemus; denique ut fiamus certi nos quoque ita resurrecturos & in gloria convicturos Christo, quia ut in peccatis fuimus mortui, ita & Christo vivificati sumus, item ex veteri homine novifacii, ex iniustis justis, ex captivis liberi, ex filiis carnis, filii DEI facti: *und das (Christus) den alten Menschen zur neuen Creatur / das Leichnam des Sünders in seinem Reichnam zc. geändert zc.* (Quæ verba germanica præsertim posteriora non intelligo) Hinc quoque procedit ut quotidie doceatur populi, ut nunc cogitent veluti Christus ferens crucem & mortem propter nos, fuit patiens & sine tergiversatione atque ulli contradictione se ut ovis macerationi dedit, ita quoque quemlibet debere terre patienter crucem, calamitates & vestigiis Christi inbarere, eaque loqui. Pastores quoque & Sacellani admonebunt susceptores ac parentes sui officii, ut pueros ad maturiorem ætatem pervenientes in timore ac cognitione Domini & disciplina educant. Hic quidem aliquot de baptismo dicitur: Sed omnia valde involvuntur, nihil explicite, nihil apertè & candidè traditur.

In septimo articulo, qui de Missa agit, declarando, sic habet liber Principis Clivensis.

1. Consiliarios indicare debere pastoribus, ut sæpè præter ea, quæ in ordinatione extant, quoque doceant de usu Sacramenti, quomodo in Sacramento illo contra omnem & anxietatem cordis & contra tentationes diaboli, reperiatur consolatio, consilium, confirmatio, immo gratia, justitiaque, & quod vita Christi nobis communicetur ibi.
2. Esse quoque Sacramentum altaris mysterium Evangelicæ inter nos unionis & charitatis, ut tanquam fratres mutuo diligamus nos, qui unum in cœlis patrem habeamus: Deinde ut fiamus mutua membra sub capite Christo, ideoque merito quemlibet proximo delicta remittere debere, atque vindictam Christo tradere.
3. Hæc non solum expendi debere à populo quando ipsi vel alii communicant, sed etiam in ipsa Missa considerata esse & expendi debere, quia eatenus fructus, vis & significatio Missæ atque simul mortis Christi & ejus meriti abunde nos participes facimus. Ibi etiam gratiæ iustitiam DEO agenda, & pro pace & aliis necessitatibus orandum.



4. Ideo hoc Sacramento, quod est vinculum pacis non debent concionatores abuti ad ulla dissidia facienda, vel in Ecclesia, aut officina in plebe &c.

5. Ne quoque celebrentur & habeantur in posterum Missæ propter pecuniam aut lucri causa, quia hoc nomine male audiunt clerici, & illud institutum vel talis præsumptio est Missæ ejusque ministerii institutioni & formæ contraria. Verum Missæ potius ex zelo, devotione & charitate fiant, doch hiemit den löblichen Stiftungen nichts abgebrochen.

6. Quod ad confessionem attinet, instruuntur pastores, ut populo indicent, non solum confitendum esse quando sumitur Sacramentum, sed etiam ut quotidie coram DEO fiat confessio, quoties agnoscimus deliquisse.

7. Deinde ut cum proximo offenso reconcilietur quilibet, ut quoque diligenter sua peccata & delicta populi recitent, quo tanto commodius consolationem & instructionem à ministris consequantur, & magis peccata devitent.

8. Debent quoque rationem habere ministri & differentiam contentium, quia alii sibi in rebus nihili scrupulum faciunt, & peccata magna flocci pendunt: Sunt alii qui contrarium faciunt, quomodo singulis vulneribus medicinam adhibeant, & miseris & anxiiis conscientis consolationem firmam ex scripturis adhibere ac proponere cogitent. Securis autem iram DEI incutere, judicii & vultus DEI, ignisque gehennæ propositione, ac productis variis peccatorum punitorum exemplis ex scriptura prolatis, debent.

9. Debent quoque docere quomodo diabolo sit resistendum, ut in orationibus in eleemosynis sint fideles, jejuniis, vigiliis & piis exercitiis vacent.

10. Jubemus quoque examinari per ministros, singulos in doctrinis, articulis prædictis, ut ita exploratio fiat, quid retineant ex concione &c. Hæc ibi.

Hic lector videat, quomodo in hac declaratione magis quam in ordinatione stabiliatur Missa papistica. Idolon superstitionis immundissimæ §. 3. & 5. Ubi autem in quinto dicitur ne pro pecunia Missas celebrent: Doch hiemit den löblichen Stiftungen nicht abgebrochen/ plane omnem superstitionem stabiliunt. Quia omnes Missæ habent suas fundationes in collegiis ex magnis commodis, proventibus & annuis redditibus pecuniariis.

Cur



Cur obsecro omnes præbendæ, omnia beneficia atque commenda sunt institutæ? nisi ut inde & propterea fierent Missæ. Adde quod celebrantibus Missas in Collegiis multis propria pecunia, est quædam penè assignata, veluti in Choro præsentibus: Hinc ista pecunia Præsentia, ista vero Celebrantia dicitur, &c. Quid hic agitur in hoc paragrapho aliter? quàm imprimis impiæ Missæ stabiliantur. Deinde videntur quidem crassi abusus taxari: Interim majores & nocentiores excipiuntur. Et hic non aliter agitur, quàm in ordinatione vel Reformatione *Gropperiana*, ubi dicitur Sacrilegam esse habere unum plures præbendas (modo inde honestæ vitæ competentiam habere) quam unam: Interim excipiuntur, ait *Gropperus*, & absoluntur ab hujusmodi sacrilegio illi, qui sunt aulicis principum negotiis occupati. Quibus verbis & se & *Bernhardum Hagium* Cancellarium excipere voluit. Sic una manu aliquid hypocritæ porrigere & concedere videntur, quod altera mox tollunt. Deinde consideret lector, quidnam hoc referatur de utraque specie & ejus usu in Sacramento? Hic pulchre tacentur ista.

In sexta pericopes vel articuli explicatione declarabitur.

1. Quomodo quisque in sua vocatione maneat, & mariti exemplar Christi sequantur, ut regant & ament uxores veluti Christus Ecclesiam, & conjuges sint obsequentes & subditæ viris.
2. Deinde ut filii & liberi sint parentibus subditi, & in parentibus honorent Christum: Tum quoque ut parentes in timore Domini educent & corripiant liberos sibi à Christo datos, ut educatio sit pia.
3. Postremo ut familia sit subdita & fidelis heris tanquam Christo, coram cujus tribunali prodibunt. Contra ut quoque heri cogitent suos famulos & famulas esse commembra & conservos cum ipsis Christi, coram quo non est respectus personarum.
4. Hic commode docendum, quomodo subditi Magistratui obedire debitum honorem & vectigal & census præstent, nec eis resistant, tanquam ordinationi DEI: Ut quoque regentes æquè agant cum subditis tanquam coram DEI judicio id fiat, ne sint dorophagi: Postremo docendum ut quisque in sua vocatione maneat, & quæ sua sint agat. Hæc ibi. Illa omnia sunt bonæ ordinationis, sed interim hic nihil dicitur devoto impio monachorum abdicando, de conjugio sacerdotum admittendo, de fornicatione concubinariorum &c.



1. In explicatione noni articuli sic dicitur: Veluti cupit homo & animo & corpore salvari ac juvari, ut quoque utrobique est infirmum quicquid est in eo, atque interim ut utroque est salvatus: ita merito decet totum hominem in servire DEO, laudare eum & celebrare. Ut enim appetitus salutis est in animo, ita quoque fragilitas corporis indiget etiam suo exercitio. Cum quoque sint ceremoniæ, figuræ interiorum rerum, quasi internam tacite salutem repræsentent, & sint simul pædagogicæ & exercitia, per quæ vel fides exprimitur, vel ordo & disciplina retinetur, merito propter offendiculum vitandum, debent huiusmodi ceremoniæ observari reverenter. Quanquam semper addendum sit in externis rebus nullam sitam esse salutem ac fiduciam, sed tantum esse mysteria, quæ si maximè ab omnibus non intelligantur, minimè tamen negligenda esse propterea, sed in pretio potius retinenda. Debent igitur explicari ceremoniæ ne imprudenter rejiciantur, sed in mysterio observentur. Interim ita procedendum erit in tali re, ne in eis vel idololatria, magia, hypocrisis & aliæ impiæ res committantur, sed sensus earum ex scripturis petatur, ut explicandi causa dicamus de quibusdam particularibus.

2. De aqua lustrali & sale hoc indicandum hominibus, veluti aqua externe purgat, ita nos debere abdicatis omnibus malis effectibus esse mundo corde, veluti in Ecclesiæ cantico dicitur: Aspergas me Domine hyssopo. Deinde veluti sal carnibus putredinem adimit, ut ita simus sale conditi & retineamus bonum propositum, ut in puritate & sinceritate maneamus.

3. Item veluti in veteri testamento clangoribus tubæ convocabantur populi, ita hodie campanis ad ministeria & exercitia Ecclesiastica conveniant. Ideo pulsus matutinus nos diei & auroræ admonet, ut DEUM pro transactione noctis celebremus & deinceps oremus, ut nos per diem protegat, & veluti jam lucem dederit externam, ita nos velit recreare æterna luce. Meridianus pulsus denotat, quia Christus in meridie est mortuus in cruce, tunc meditandam passionem Christi & imprimis in agone mortis, ut in ea passione salutem speret. Vespertinus pulsus, das pacem scuten/ denotat pacem à DEO nobis petendam, & pro tranquillitate gratias agendas. Interdum in tempestatibus pulsus factus denotat nos admoneri DEUM esse nostrum robur & refugium contra omnes adversitates ideo ipsam invocandum, ut serenitatem donet.

4. Ita



4. Ita quoque Missalia vestimenta vel casulae albæ, quibus sacerdoti in celebratione Missæ utuntur, multa in se habent mysteria, qua debent concionatores explicare plebi diligenter prout aliquid in passione singulæ & minutæ partes ibi denotant & exprimunt.

5. Debent quoque de imaginibus instrui auditores, quod non debeant adorari, nec ipsis attribui cultus vel ulla assignari miracula, sed quod sint externa symbola, ut admoneamur vel Christi passio, vel Pauli aut Petri militantis & certantis pro Ecclesiæ fide, vel ut celebremus in ipsis DEUM, imò ut discamus ex sententia *Augustini* DEUM in sanctis celebrare propter illorum fidem, charitatem & alias virtutes, ut quoque à DEO petamus similia dona.

6. Dies rogationum, quando per fruges & agros cursationes à plebe fiunt in hebdomade crucis, ut dicitur, ita abrogantur, ne illæ processiones amplius fiant, sed ut eo tempore in suis conveniant singuli templis, & conciones & mysteriorum sacra audiant, & pro omnibus malis avertendis DEUM orent.

7. De crucis signo ita sunt docendi, nihil esse utilitatis in externo signo, sed admoneri nos crucis Christi quomodo in ea pro nobis passus sit & nos redemerit.

8. Similiter in anniversariis & exequiis & sepulturis debent homines admoneri, se quoque mortales esse, ut se præparent ad felicem exitum. Ut igitur hic commoti tanto citius mundo & carni renunciant & se ad mortem præparent: Ne quoque contristentur propter suos defunctos, qui in Domino mortui sunt, quia gentes merito contristantur hoc nomine, quod carent spe & promissione.

9. Id dicendum pro concione erit de candelis, ut sursum elevent habeantque corda populi ad Dominum verum lumen gratiæ, quod & defuncti in Domino tanquam perpetuo lumine recreentur. Interim propter lucrum non sunt aliqui cogendi ad exequias & anniversariasciendas suis defunctis.

Ad hanc formam de aliis loquentur ceremoniis coram plebe, ut omnia ad honorem DEI & ad ædificationem Ecclesiæ, tum ad intellectum mysticum illarum fiant. Hæc ibi:

Est ne pulchra de ceremoniis oratio tradita hic? Sic & umbra & figuræ veteris testamenti, in quibus multa denotabantur & latebant revocari quoque possent.



Quis non cohorresceret ad aquam lustralem & sal illud, si cognoscatur cum quanta idololatria & prophanatione nominis DEI & ignominia Christi consecratur aqua & sal, & non planè aufugeret? Sed de his tacetur hîc, quasi omnia probentur, quia aqua ita sacrata admittitur. Quid nobis inculcarent vim passionis Christi, ridicula pontificiorum vestimenta, nisi id aperta scriptura faceret? Certum quoque est in exequiis, vigiliis & Missis pro defunctis stabiliri purgatorium, probari & confirmari operum & sanctorum merita &c. Et de his nihil dicitur hîc, ideo dum exequiæ, vigiliæ & anniversariæ admittantur, admittuntur ista quoque omnia &c. O miseram! O Erasmicam & claudicantem Reformationem! Sed pergamus.

Decimi articuli explicatio talis sequitur. Erudiendi sunt auditores, ne tantum sint sobrii, temperantes & legitimis visitatisque jejuniis sint dediti in Quadragesima, in profestis sanctorum, in diebus quatuor temporum, sed ut semper frugalem & sobriam vitam exerceant, ut sint paratiores ad servitutem DEO præstandam: Interim non esse jugum jejunii infirmis, senibus & aliis personis, quæ non possunt certis aut aliis cibis abstinere, quasi debeant se continere à quibusdam cibis, imponendum. Ergo hîc adhuc delectus ciborum statuitur.

2. De festis observandis hoc indicari debet, ut diligenter tunc in templo conveniant, orent, verbum DEI audiant, ut quoque devitent blasphemias, luxurias, tabernas publicas, & alios inhonestos lusus chartæ aleæ & similia. Potest etiam in susceptis serialibus festis dispensatio fieri tempore messis propter fruges comportandas in horrea, &c. Hæc ibi. Et ita finitur declaratio, quæ gravi principis mandato concluditur Anno 1533. Hæc est illa ordinatio fucosa, ambigua & perplexa edita sub nomine optimi, honesti, simplicis & clementis Principis Johannis, sed conscripta à *Consiliariis Erasmi*, qui volebant ita claudicare in utramque partem. Sed hanc ipse Illustrissimus Princeps *Wilhelmus, Dux Julia, Clivia & de Berga, &c.* filius & hæresunicus agnovit talem quidem esse, ut eam descripsimus, ideo de nova quadam Reformatione cudenda meditatus est in suo regimine. Nam mortuo patre, cum etiam Dux Geldriæ fieret, permisit multis & liberum reliquit, Evangelii doctrinam suscipere. Multis tunc in locis per Geldriam & Juliacensem & Bergensem ditionem erant Evangelii prædicatores, ac in multis locis canebantur Psalmi Germanici.



In Clivia tunc Wesalienses, quia ibi collegium non est, concilium Principis obtinent, ut anno 1540. Evangelii doctrinam suscipere. Alibi in Clivensis Ducatus urbibus impediabant collegia curiam Evangelii. Nam passim per omnes regiones istius principis etiam in hunc usque diem impedimento fuere collegia & cœnobîa, ne progressum haberet perspicuè cultus & doctrina Evangelii, quia inde quidam in aula potentes forsân sua lucra habent, & multi nobiles & multi aulici & sibi & suis liberis præbendas in istis conventibus consequuntur. Quod scirent non futurum, si in melius transformetur cœnobîa. Ita Deus Venter impedivit omnia bona semper.

Tunc quoque quidam, qui *Erasmici* plane erant, videbantur mortuo *Erasmio* magis inclinare in nostram religionem: ita accidit ut cum *Bucero*, quemadmodum & *Gropperus*, multum familiaritatis passim haberet in Colloquiis & Imperii conventibus, *Johannes Vlatenus* precipuus Consiliarius & legatus antequam Cancellarius fieret, quod primum factus est post demortuum *Gogrevium*. Sed credo propterea id factum, quod & ille & *Gropperus* putarent *Bucero* aliquid de nostra religione remissurum esse. Tandem cum in bello Juliacensi *Wilhelmus* Clivensis fieret supplex *Carolo V. Casari* hoc quoque suadentibus Consiliariis (in quibus *Vlatenus* exprimitur apud *Steidannum* in sua historia lib. 15.) cogitur promittere abolitionem novæ doctrinæ & reformationem Papismi. Interim lente id quidem fiebat, nam & permanebant *Susari* & *Wesalia* & *Lippia* Evangelici concionatores usque ad tempus Interim. Tunc etiam cogebatur serio agere pro papatu *Wilhelmus*, *Dux Clivensis*. Cum autem remissior esset aura, & ipsius conscientia eum urgeret, cepit semper cogitare de alia Reformatione licet plurimum impediretur à Consiliariis pontificiis. Interim cepit inde ab anno 1556. alere Evangelicum in aula nomine *Gerhardum Velsium* hominem uxoratum, qui magna cum libertate docebat & Sacramenta ipsi principi & aliis integra administrabat, atque ad Reformationem principem hortatus est, quod etiam semper fecerunt Medici Evangelio addicti, ut *Doctor Johannes Bacchovius Echium*, *Doctor Johannes Wierus*, *Doctor Reinerus Solinander* & *Doctor Johannes Lithodius*, qui ægrotantem interdum & alias semper admonent principem, ut vitam suam & suorum subditorum pabulo verbi pasci, & medicina spirituali oleoque salutifero, videlicet Evangelio Christi, refici prius sit longiori procrastinatione curaret. Ideo etiam princeps per mortuus



rationem cum Coloniensi Archiepiscopo *Antonio Schowenbergico*, Comite tunc succedente fratri *Adolpho* (qui *Antonius* jam clam antea legerat *Lutheri* scripta) de constituenda Reformatione. Illa autem constituta est anno 1558. quibus autoribus, ignoratur, nisi quod *Doctor Jacobus Hompalius* gloriatus fuerat in quodam conventu Monasteriensi coram Lippiacis Consiliariis (inter quos tunc erat *Henricus Grotenius*, qui nobis hæc referebat) illam ordinationem sibi visam, lectam, & à se quoque in ea paululum laboratum esse, ideoque talem fore eam, quæ cordatis & piis approbari possit. Cum vero subito moreretur *Antonius Archiepiscopus*, & ei succederet *Johannes Gebhardus Mansfeldicus* tunc factus Coloniensis præsul, adhuc quidem agitabatur & volebatur illa Reformatio in utraque aula, sed inter paucos, atque is quidem Elector ejusdem erat sententiæ cum Juliaco Principe, ut prius probata ordinatio à suo antecessore adhuc revideretur, & deinde per utriusque principis ditiones publicaretur: Et quidem in revisione apud Coloniensem Archipræsulem perlustraverat illam quoque *Fodocus Dincklagius* Præpositus Osnaburgensis, ut & *D. Christiano Sleibingio* & mihi confitebatur, mirumque in modum eam commendabat. Sed cum & is Archipræsul, priusquam in effectum produceretur, moreretur, & interim adhuc ista ordinatio nondum satisfaceret *Principi Wilhelmo*, cogitavit is diu, quomodo jam mortuo Juliacensi Cancellario *Vlatteno* (qui videbatur difficilis esse in admittenda vel alia vel hac ordinatione, ut publicaretur propter stipulationem à Principe *Cesaribus Carolo V. & Ferdinando* factam de non mutanda religione) ipse de nova Reformatione omnia disponeret, ideo eam demum conscribendam & meditando viris aliquot doctis commisit. Hic cum disuadere videretur *Henricum Barsaem Olieslegerum*, Cancellarius Clivicus hoc institutum, præterdicens inter alias rationes quoque hanc, quod aliter stipulatus esset *Cæsari*, &c. Interim *Principem* cum ibi videret conscientia causa persistere immotum, ita Cancellarius tamen consensit, ut posset hujusmodi ordinationi vel reformationi cudendæ adhiberi *Georgius Casander*, quem supra modum ut hominem doctum, pacis & concordia in negotio religionis amantem, & in patribus ad miraculum usque versatum commendaverat Duci suo, quem etiam novæ futuræ *Academiae Dubergensi*, quam paulo ante erigere decreverat Princeps, ut præcipuum Professore præficiendum volebat *Cancellarius Olieslegerus*, cujus quoque opera ex promotione *Olieslegeri Cancellarii* in exami-



nandis & refutandis Anabaptistis usus est aliquando princeps per Civitatem. Conditionem suscipit Princeps, & ad certos dies Junii Anno 1564. convocat etiam paululum ægrotans & iterum per medicos prædictos eò pertractus & admonitus, *Dusseldorpium* ad conferendam ordinationem, *Wilhelmum Keilerum* nuper *Monasteriensem* episcopum, *Henricum Barsaum Olieslegerum*, Doctorem & Cancellarium Civicum, (qui tunc nondum erat loco *Vlatteni*, alter, hoc est, *Juhacensis* confutatus Cancellarius) *Conradum Heresbachium* Doctorem (qui post mortem *Erasmi* unice pendebat à *Philippo Melanchthone*) Doctorem *Georgium Mommer* & *Henricum Reckium*, nobilem & L.L. Licentiatum atque *Georgium Cassandrum*. His serio in mandatis dedit, ut cogitarent de utili, salutari, pia, sanctaque Reformatione conferendis, quæ Ecclesiis suarum ditionum idonea, sufficiens & accommodata posset esse. Hic tres illi *Keilerus*, *Mommerus* & *Heresbachius* constanter doctrinam Augustanæ confessionis tuebantur (licet Sacramentaris aliquantisper propter *Philippum* favere viderentur clam) reliqui tres ab illis diversæ erant sententiæ. *Reckius* diu Romæ vixerat, & ita papæ addictus esse videbatur vehementer. *Barsaus* totus erat *Erasmicus* & *Cassandricus*. *Cassander* vero erat in omnibus flexuosus, & sub specie antiquitatis & nomine concordiæ etiam movit interdum *Keilerum* virum mira prudentia & eruditione & ingenio præditum, sed semper in publicis negotiis & legationibus & aulicis agentem. Itaque *Cassander* videbatur eo inclinare, ut permitteretur Romano præfili & reliquis sua ordinatio & successio, postquam de ordinaria ea, quæ etiam in Romana Ecclesia esset, successione multos antiquos patres gloriosos esse legeret. Item voluit ceremonias papales quasi ex traditione veteri proficiscentes propter mysteria & antiquitatem decoris ac ordinis simul causâ retinendas, utrumque speciem in Eucharistia ita concepi ut tamen nullis prohiberetur una species, præsertim illis, qui ea contenti essent. Dixit publica quidem sacra fieri posse & debere & immisceri istis Psalmos & preces Germanicas, non tamen Canonem plane rejici debere, nec merita vel intercessionem sanctorum. Hic *Cassandrum* sequitur *Barsaus* & *Reckius*. *Heresbachius* & *Mommerus* nihil minus parum cedunt adherentes Augustanæ Confessioni. Et si *Keilerum* quibusdam aliquid tribueret *Cassandro*, tamen dicebatur magis ad nostram nostræ religionis hominum sententiam accessisse. Ita quædam pars sua argumenta & rationes de singulis articulis, qui controversati



erant propositi, referri curat inscripta & offert principi, ut is sententiam de eis ferret, & inter eos, ubi non conveniebant, controversiam sopiret.

Qualis fuerit *Cassander* constat ex libro ab ipso edito, cujus titulus est: De officio boni & pii viri, & publicæ tranquillitatis verè amantis in hoc religionis dissidio &c. nempe lubricus, flexiloquus, dubius & neutralis. Libellum illum impugnavit ex papistis *Johannes Hassels* de Lovania D. Theologus publico scripto, & ab altera parte *Johannes Calvinus*. Imò ne quidem *Claudius Britonius Heduns* in oratione ad Concilium Tridentinum de vera Ecclesiæ constituendæ ratione, per omnia probat hoc *Cassandri* scriptum. Editis scriptis probavit *Cassander* ille merita sanctorum, probavit unctiones, Christmata, rasuras & alias ineptias etiam publicis disputationibus defendit *Cassander*. Neque frigidus neque calidus erat, sed tepidus, lubricus & neutralis. Possem multorum doctorum literis etiam hodie commonstrare *Cassandrum* fuisse Sacramentarium primò, & postea Apostatam factum; mox Anno 1566. in Quadragesima, unctio accepta Coloniae Si vixisset, multum damni Ecclesiæ Christi sine dubio dedisset.

Cum autem, ut ad historiam revertar, videret in ordinatione conscripta diversas opiniones illorum, quibus summa rei erat commissa, & restitutus valetudini aliis rebus occuparetur *Dux Wilhelmus*, premit ordinationem, & interim alit aulicum concionatorem Evangelicum, quamvis ferat adhuc papisticos etiam concionatores in aula; *Arnoldum Bomgardum*, Scholastastrum (Scholasticum debebam dicere) *Dusseldorpiannum* & pastorem *Wassenburgicum*, item *M. Hermannum Schilderum*, Decanum & Pastorem Ebrimcensem. Jam tum quoque permotus persuasione *Cassandri* & *Barsai*, Cancellarii hujusmodi mox edictum anno 1565. edidit 23 Januarii ex *Dusseldorpio*: *Nögen wir gnädig erwidern / daß beyder Gestalt des hochwürdigen Sacraments des Altars die Pastoren denen / so es aus Christlichen Eysen mit beständiger Anzeige ihres Gewissens nach gnugsamer Erforschung und Examination der massen / so fern sie darzu geschickt und bequem befunden / reichen und ausheilen. Auch hinwiederum diejenigen / so mit einer Gestalt zu frieden / darbey ungehindert und ungewehret bleiben lassen / so wir niemand desfalls an seinem Gewissen zu beschweren gemeynnt sind. Derowegen dann unser Befehl ist / daß keiner den andern der Communion halben scheite / auch die Pastoren und Capellanen auf den Tangeln und sonst sich bescheidenlich halten /*



von der einer oder beyderley Gestalt ohne einige Lasterung / Scheltunge oder Verdammniß predigen und lehren / etc. Hæc ita erant ex *Cassandro* (qui similiter ea ratione defendit unam speciem quasi habuerit olim legitimam causam Ecclesia auferendi laicis calicem) per *Bartholomæum* profectum quoniam is cum filio *Adolpho* plane alebat *Cassandrum* in suis rebus Coloniae. Ab eodem erat quoque profectum quod ad tertium calendis Decembris Dusseldorpium evocaretur Suffraganeus Monasteriensis (quia ibi Coloniae in vicinia non erat Suffraganeus) vir (supra modum sordidus & avarus *M. Johannes Kritius* (cujus Deus verè *Mamma* est)) ex mandato Principis, qui ibi novum cæmeterium quod extra muros designaverat atque munierat, magicis gestulationibus, aqua lustrali & aliis murmurationibus ac ridiculis ceremoniis sacravit. Quæ res de ipsura & vicinos Colonienfes Theologos atque omnes papulas non leviter recreavit: Ideo fictus ille Suffraganeus prima Dominica Adventus habuit concionem, in qua nihil aliud, quam virtutem aque lustralis suæque potestatis conferendi spiritum sanctum per confirmationem in Chrismate, & simul vim remittendi peccata per aliquot ceremonias à solo Episcopo fieri peragique solitas, jactavit. Quæ ratione voluit omnes ad petendam ridiculam & magicam confirmationem pro certa pecunia & ad offerendum nummos ad altare excitare & permovere. Quo etiam die se purpura ornavit & egregio ornamento procedens & corona bicipiti tectus & baculo, opere variè agitato, sicut non potest quantum illud brutum animalculum superbieat, & Missas ei duobus Sacrificulis ministrantibus celebraverit, & deinde à prædicatione confirmationem contulerit, unde magnam pecuniarum vim contraxit. Is quoque proficiscitur de jussu, ut ferebatur, Principis, ad arcem Ducatus Bergensis Bensburgum ut inauguraret ibi templum nuper à Principe ædificatum. Quod quoque sordidis (quarum alibi mentionem facit *Sleidanus* in sua historia) initiat & consecrat larvis, & deinde quoque ibi suum Chrisma sub specie alapæ & fictæ confirmationis vendit, & ita lætus ac pecunia onustus domum redit. Quæ res mirè, ut ante pontificios ubique refecit. Quanquam paulo ante admonitus erat in Octobri Princeps cum Colonienfi Archiepiscopo *Fridrico de Widen* in eadem arce Rensbergica: Nam ad ipsum erant legati destinati à *Johanne, Comite à Hoya Episcopo Osnaburgensi*, nunc quoque Monasteriensis *Jodocus Dincklagius*, præpositus Osnaburgensis & Cancellarius Episcopi *D. Sernarius Eick* Colonienfis. Hic cum appropinquarent ponti-



cipibus, ecce in summo gradu corripitur Apoplexia *Dincklagius*, vir doctus & eloquens (sed qui agnitam veritatem ita ut debebat, non confitebatur ingenuè) & relabatur ad inferiores gradus, quem cum duo ministri reducere ad hospitium conarentur, elabatur vir proceræ staturæ & longus è manibus eorum multum sputi ex ore emittens. Delato ad hospitium adhibentur Medici Doctores, *Echthius* & filius *D. Johannis Weieri*, *Henricus Weierus* Doctor, qui diu ei adfuit, sed reversus *Olnaburgam* non multo post Anno 1566. moritur.

Illo casu non leviter movetur princeps. Et quanquam dubium se videretur per id tempus præbere in religione princeps, tamen idipsum pro sua clementia manu tetigit filius DEI Anno 1566. quoniam & ipse Apoplexia correptus agnoscit admonitionem DEI paternam, & quidem sentit se ope Dei per Medicos juvari, & placide audit Medicorum admonitiones, promittitque paululum restitutus sanitati meliora. Cum vero suum aulicum concionatorem concederet *Wesalienibus*, ut postea prolixius dicitur, suscipitur *Henricus Humelius Glattbeccensis*, alumnus ditionum Principi subditarum (quem & nuper captivum tenuerat, & deinde ejecerat *Henricus, Dux Bransuicensis*, ut mox in loco de certaminibus dicitur) in *Velsii* locum, qui & concionibus & privatis admonitionibus consolatur & confirmat principem, eoque perducit, ut in initio anni 1567. inciperet serio cogitare de Reformatione Ecclesiarum. Nam tunc demum cepit omnibus liberum Evangelii cursum permittere per omnes ditiones. Noluit quoque amplius *Missam* & *Missificationes* ferre in aula, quam ex ea in mense *Novembri* turbavit invitis multis *Consiliariis*. Et cum aliquoties *Arnoldus Bomgardus* & alii *Sacrificuli* ad aulam venirent *Sacrificatum* vel *concionatum*, iussus est *Bomgardus* de autoritate principis regredi cum aliis, & cum forte obrulisset principi librum *Bomgardus* in quo *Missam* defenderat & exposuerat, acerbis verbis hominem reprehenderat ac dimiserat. Incepit quoque deliberare de idoneis personis eligendis, qui cogitare tandem serio de pia Reformatione possent. Nam tunc serio animum applicuit Reformationi.

Ideo hoc anno 1567. ad 12 *Januarii* convocat *Dusseldorpium* viginti octo, quos putat aut sibi aulicos esse, aut in suis ditionibus natos (nam aliquoties *D. Brentium* de Reformatione consulerat: Aliquando decreverat evocare *Doctorem Jacobum Andrea* ad Reformationem: Et etiam propterea egerat ipse cum *Principe Wirtembergico Christophoro*; Sed hoc



hoc *Barsanus* & alii dissuaserunt, & noluerunt eum planè jurare in Augustanam Confessionem, ideo cum vident ex eis multi consilium immotum Principem in meditando Reformatione perstare, quia aliter agere nequeunt, suadent & dant tandem hoc præsens consilium, ne extranei evocentur) ut illi de ordinatione & Reformatione constituenda convenirent deliberatum: videlicet; quatuordecim viros Augustanæ Confessionis, contra quatuordecim qui aut pontificii planè aut neutrales sive *Erasmiani* erant. Augustanæ Confessionis homines erant *Johannes, Comes de Nassau & Casenellenbogen* / *rc.* Principis Itraniæ frater, heros doctus, *Franciscus, Comes de Waldeck* / *Consiliarius Principis Juliensis, Wilhelmus Kettlerus, Victor Snippinck* / *Cap. Regii* / *Dominus de Kethe* / *Dominus de Palant* / *Nobiles, Conradus Herbachius, Egidius Mommerus, Guilielmus Gulich* / *Doctores, Wilhelmus Bispinck* / *Licentiatus Consiliiarii.* *Henricus Humelius*, aulicus Concionator & *Petrus Loo* / *examinator Anabaptistarum*: Ab altera parte erant *Henricus Barsanus*, *Clivensis* & *N. Oresbachius*, *Juliensis*, *Cancellarius*, de quinque *Marescalli*, videlicet *Dominus N. Gymnich* / *Dominus Wilhelmus Berdensow* / *Dominus in Hardenberg* / *Dn. N. Nustenberg* / *Theodorus Nect* / *Dn. N. Wachtendunck* / *item Henricus de Nect* / *Licentiatus, J. Sibertus de Frostorp* / *N. Horst* / *Satrapa in Düsseldorf* / *Baziliensis* / *Nobiles & Gerhardus Fulticus*, *Consiliiarii omnes*; Deinde *Hobertus N.* junioris Principis *Sacellanus*. Hi conveniebant per integros dies octo quotidie bis: Et quidem inter se gravissime rixati sunt de gravissimis articulis religionis nostræ, tum quoque de cæna Domini, de numero Sacramentorum, de Missis privatis, de votis, de usu Monasteriorum & beneficiorum, de exercitiis Collegiorum, de continentia, de jejunio, de oleo vel Chrismate, de ordinatione ministrorum, de oratione pro defunctis, &c. Conveniunt quidem in articulis de justificatione hominis, de invocatione DEI, de usu Sacramentorum. Et quantum liber utilis ad conciliationem proponeretur (veluti olim in *Ratisbonensi* Colloquio Imperii fiebat anno 1544.) qui credebatur esse opus *Georgii Cassandri* tunc demortui, tamen de prioribus ita dissenserunt, ut cum *Johannes, Comes de Nassau* &c. illos paululum deflectere ab Augustanæ Confessionis doctrina pro suo candore & prudentia videret, protestatus sit se Augustanæ Confessionis esse membrum, ideo horum consilio in causa religionis interesse non posse, si aliquid ab ea divertit concludi deberet, dixit *Cancellarius Clivicus* mox, Principem non posse



posse se planè Augustanæ Confessioni addicere propter multas gravissimas causas. Interim in præcipuis articulis conveniunt fere omnes. Optaverant multi ex aliis Consiliariis, & etiam quidam ex illis 14. qui aut neutrales aut pontificii habebantur, *Cassandri* simiam & discipulum *Petrum Ximenium*, doctum quidem & placidum, interim ut *Cassander* erat, valde lubricum in religione, adhiberi posse, sed non fuit concessum, nec quoque præsens is aderat. *Henricus Reckius* plerumque egrotabat, quod divinitus accidit, ideo rarò interfuit: Nam quia totus est papista, totum quoque viriliter papatum defendit, & majores turbas dedisset, aliorumque conatum turbasset. Cancellarius Clivicus sibi lubricus, dubius & flexilocus, imò *Cassandrista* fuit, quem sæpe sunt sui loci secuti. Ex illis prioribus 14. qui Augustanam sequuntur Confessionem plerumque doctiores *Philippizare*, videntur, ideo Calvinismo sunt dediti. Itaque in verbis cœnæ cothurnum aliquem struxerunt, interim posita in ista nova Reformatione videntur inclinare ad Calvinismum. Summa Summarum, 22. die Januarii conclusum est de tota ordinatione & Reformatione, quæ mediocriter est formata, & videtur tolerabilis esse, sed ita scripta est, ut nec per se Lutheranismum planè nec papismum saperet.

Ad Dominicam Reminiscere & per sequentem ab illa Dominica septimanam præteritis multis, nonnulli ex prioribus, ad formandum Catechismum & conscribendum, convocantur, inprimis *Henricus Humelius*, aulicus concionator, & junioris Principis *Sacellanus Hubertus*, & loco *Petri* loco opera Cancellariorum & *Gerhardi Juliaci* (qui non amabant *Petrum*) nunc vocatur pastor Xantensis *Henricus Rispens* nunc (qui quoque lubricus est in religione & *Cassandrista*) De toto opere cum prodierit, si tamen prodeat, judicabit Ecclesia.

Omnia vero cum parata essent & Princeps vellet illa edenda, ecce fit subita mutatio religionis *Antwerpia* & per totas belgicas nationes, ideo vehementer instabant Consiliarii, ne publicaretur Reformatio. Interim optimus Princeps liberum ubique concessit cursum Evangelii, & suscepit quoque hospitio in diversis oppidis Ducatus Clivorum, ut *Wesalia*, *Clivia*, *Gocho*, *Burico*, *Ursa*, *Dinckeslagio* & aliis oppidis & pagis exules & profugos ex *Brabantia*, quapropter etiam malam inuit gratiam apud *Hispanorum* regem & proceres Belgicarum nationum.



De certaminibus in illa Aula & in Præfecturis ibidem  
subditis isti Duci motis.

**U**T autem certum sit Principem non favere papatui, recitabo historiam lectu dignam: Cum audivisset Princeps Pium IV. Papam mortuum jam senem, ex turpi concubitu, dixerat ad convivat. Bona nova, Papa Romanus etiam mortuus est, & hunc sua sanctitas & opera liberare non potuere à morte. Mox paucis post diebus venit ad Principem *Petrus Canisius* offerens diploma Pontificis Romani Pii 4. Hic dixerat Dux: quid hic sceleratus vult, optarem illum ut patrem Jesuitarum & reliquos omnes *Jesuitas Rheno* immerfos. Exhibito diploma admonetur Princeps, ut constans in veteri religione permaneret, decreta Concilii Tridentini susceperet & per *Canisium* confirmari & stabiliri curaret in suis Ecclesiis: Atque si qui contrarium sentirent ut eos cum *Canisio* in disputationem committeret. Princeps respondet per *Cancellarium Barseum*. Etsi mortuus sit Papa, & nunc illud propterea diploma sit invalidum, tamen auditurum *Canisium* pro sua pietate & clementia, si velit Germanicè loqui. Is mox petit, ut sibi licere Latinè perficere. Quod fecit Princeps. In longa illa oratione hoc unum egit, ut is & in suis regionibus exequeretur Concilii Tridentini Decreta, & juvaret Papam opere & auxilio suo, ut per totam Germaniam executio fieret; decere quoque Principem susceptam & permissam passim in Ecclesiis utramque speciem pro laicis abolere, & deinde dignetur in avita religione manere, ut laudem cum majoribus & patre suo apud Catholicos & sedem Romanam habeat. Hic respondet Princeps per prædictum Cancellarium: De utraque specie hoc sibi constare, illam esse à CHRISTO præceptam & mandatum ideo se ipsum testari suo exemplo veram, Quod ad avitam religionem attinet, se quidem curaturum promittit, ut simili laude & equitate quantum possit fieri suis præluceat, & majorum vestigia ingredatur. Quod vero de executione concilii dicat, ad illud se nihil modo respondere posse. Sed jam in futuris Comitibus deliberatum iri à proceribus Imperii de ea re. Ideo quicquid communi deliberatione ibi statuant, se quoque facturum, ideo etiam sibi non integrum esse novas instaurare & ferre disputationes.

Sed hoc fere præterieram. Inscripterat eidem Principi scriptam quoddam de componendis dissidiis Grammaticus & Rector *Emilio*



ensis *Matthias Bredebachius*, ubi crassissimè errores papales defendere conatur, & apertè scribit *Lutherum* ardere apud inferos. Quem quidem non suscepit grato animo, quia erit ei gravior labor Doctoris *Jacobi Andree*, mandavit Princeps Embricensi Rectori, ne quicquam tentaret publicis scriptis contra Augustanam Confessionem amplius.

Cum vero non satis clarè esset prædicatum Evangelium per Cliviam & reliquas ditiones Principum de Berga ab initio, multi passim in oppidis & urbibus latuerant Anabaptistæ.

Illorum quosdam interceptos jussit tradere vinculis Princeps in arce Clivorum, & illis adhiberi anno 1563. *Georgium Cassandrum* (qui quoque Superiori anno adfuerat *Campano*, quem etiam jam per plurimos annos captivum tenuere Principes Juliaci, & cum eo contulerat) ibi simplices plebei respiciebant ad Magistrum suum & doctorem concaptivum: Ei plurimum ex scriptura proposuit pro pædobaptismo, & deinde exposuit ei concordem omnium veterum sententiam de parvulorum baptismo in Ecclesia inde à tempore Apostolorum conservato, ut tandem ille confiteretur, se isti consensui nolle refragari, sed eo flecti se non posse ad emendationem. Ideo petiit sibi testimonia erudita antiquitatis perspicua demonstrari, & deinde probari hanc rem esse Apostolicis & divinis literis consentaneam: Tunc enim fore se non pertinacem & improbum. His jam oblatis & inspectis pro sui ingenii perspicacitate, pro timore DEI, pro sua modestia & judicio (quibus dotibus valuit) opinionem suam deposuit, & coram Ecclesia postea confessus est quem ut Magistrum alii nonnulli sequuntur, quanquam quidam præfracti permanerent. Etsi alioqui infinitus per Cliviam Anabaptistarum numerus, quod inde factum est, quod hæcenus caruerint verbo DEI & prædicatione Evangelii. Imo per totas istius Principis regiones maxima pars istius fecis, vel vagatur, vel sedes habet sive ibi locum obtinet. Ita accidit ut plurimi in præfecturis *Blancenberg* & *Bensberg* Ducatus Montis caperentur qui ibi diu conventus celebraverant, quidam noctu in agris, alii in campis, nonnulli in ædibus. His examinandis & in viam reducendis (quia nullas papistas ferebant, nec eis respondere volebant) præficiebatur *Petrus God* Erverfeldensis, vir eloquens & doctus. Nam is vocatur ad 12 Junii à Consiliariis de jussu Principis in arcem *Blancenburg*. Is ibi à die 13. ejusdem mensis usque ad 24. continuè egit in præsentia Consiliariorum quorundam aut aliorum aulicorum. Et mox vocatur à Principe in *Bensberg* / ad 28.



diem ejusdem mensis, ubi quoque egit cum Catapultis ab eo die usque 2 Julii. Erant omnes plerumque de secta *Michaelis Salteri*, qui habebant tres presidentes. 1. *Doctores*. 2. *Lectores*. 3. *Admonitores*. In praefectura *Blancenburg* / duo monitores vel Doctores erant, quidam *Martinus N.* & alter dictus *Fass*. Et primò egerunt de statu Christianorum, & de effectu foederis DEI in utroque Testamento, an sit ejusdem naturæ. 2. Disputatum est de statu filiorum & infantum Christianis parentibus natorum. Nam illi proponebant hoc, si salvantur infantes Christianorum, ergo & Turcarum & Judæorum, imò & ipsi Turcæ & Judæi, quia illi tantum credunt, quantum infantes Christianorum. Sed egregiè pro sua eloquentia & gratia respondit eis. 3. Disputatum est de baptisate infantum. 4. De Anabaptismo. 5. De incarnatione filii DEI, in qua quæstione & disputatione fuerunt variæ, quia alii patrem assumpsisse carnem, alii verbum mutatum in carnem dixerunt. 6. De Magistratu disputatum est, an sint nostri Principes & Magistratus ordinatio DEI legitima, cui sint vestigalia, tributa & census solvendi, & propter DEUM de necessitate, &c. In qua re etiam ex aperta Apostolica scriptura convictos se faterentur, tamen pernegarunt statuentes communionem rerum, juramenta omnia pernegantes & prohibentes, improbant quod Magistratus nostri puniant, reculare citationes Magistratus, etiam salvo ipsis conducto dato, licitum esse putant. 7. Disputant de novo & veteri Testamento, dicentes vetus esse antiquatum, & novum non posse ex veteri Testamento probari.

Quicquid *Petrus* responderit ad illorum argumenta diligenter congeffit conscripsitque: Atque fateor, ipsis elegantissimè & doctissimè responsum esse. Multi ex eis sunt conversi, multi permanserunt praefracti, plerique aufugerunt. Princeps cum hæc cognosceret, in gratia magna habet *Petrum* 100 / & audita ejus concione non sine magna gratiarum actione oblati ei etiam amplis dignitatibus eum dimisit.

Nunc quoque subjiciemus dignam historiam de aulico concionatore *Henrico Humelio*:

Cum peteret sibi locum *Nicolai Rollii* tùm peste demortui *Wislada* dari Anno 1565. *Gerhardus Velsus*, erat quidem facilis ea in re Princeps si ei alius idoneus concionator offerri posset. Cum vero de alio consequendo deliberaret cum Medicis Doctoribus, facit *Doctor Reinerus Solinander*, honorificam mentionem *Henrici Humelii*, Glatbeccensis



in hanc sententiam, quod is haecenus fuisset aulicus concionator *Henrici, Ducis Brunsvicensis*, Papisticus ad ipsum olim missus ab *Abbate Werdensi* ad Ruderam flumen in *Westphalia*, & nunc quidem esset divinitus illuminatus, ut recte de Evangelio & vera doctrina sentiret. Ideo & incarceratum & tandem propulsatum esse ab *Henrico Duce Brunsvicensi* asseruit, ideoque istum adhuc esse sine vocatione & conditione. Eum ergo suscepit Princeps in aulicum concionatorem. Sed integra historiam habet: Cum Dominus ei *Henrico* aperuisset oculos, & extenebris papisticis ex singulari gratia eruisset, primò desiderat in aula *Ducis Henrici Brunsvicensis* Missam celebrare Anno 1564. Mox sequenti Anno ceperat reprehendere abusus papisticos in celebrandis Missis. Tertio tandem in Festo Assumptionis Mariae, quo die solebant in papatu herbae consecrari, illam magicam incantationem & benedictionem herbarum graviter reprehenderat. Propterea factus *Duci Henrico* suspectus, & simul erat apud eundem delatus per *Bernhardum Easthusen* egregium papistam & *Petrum Hoyet* / pessimum quendam Jesuitam: Ita accidit, ut Princeps jubeat Consiliariis, quibus id negotii mandatum erat (inter quos imprimis se virum praestiterat Vicecancellarius *Ludolphus Halverius*, Monasteriensis J. U. Doctor) Illi miris & variis technis monuerat hominem ad faciendas Missas hoc praetextu, ne turbaret & mœrore afficeret senem & agrotantem Principem. Ipse verò cum & suas rationes proferret, nec illorum monitis cedere posset, defertur ejus responsum ad Principem, & deinde mandato ejus, sed ex instinctu *Bernhardi* & *Jesuita Petri Capitii* vel *Hoyet* / jubetur capi. Captus beneficio multorum nobilium per triduum in mediocri conclavi servatur. Sed cum id per indicium à Pontificiis accepisset Princeps, gravissimè mandat *Henricum Humelium*, arctioribus carceris abditis includi, & ita appositus est duobus furibus, & deinde aqua & pane cibari & potari eum volunt Pontificii. Hic cum fere inedia periisset, excitatur Principissa cum Gynaceo deprecatrix, verum ejus, nec totius Gynacei supplicatio profuit *Henrico*. Tandem sese colligunt aulici Nobiles & simul aliquot pii Consilarii, & pro eo graviter intercedunt, sed & ipsorum petitio est frustranea, resistentibus Pontificiis horum petitioni. Interim multis precibus ita commovetur Princeps, ut tandem convocet aliquot Abbates & Pontificios in unam Synodum, ut ibi deliberatio fieret de pœna *Humelii*. Ibi erant aliquod Abbates non alieni à doctrina Evangelii (inter quos erat im-



primis ipsius popularis *Petrus Ulnerus*, Glatbecensis, Dominus & Abbas in *Berga* prope *Magdeburgum*) qui protulerunt crassos tantum abusus ab ipso taxatos esse, ideoque eum, propterea accusari non posse nec gravius premi. Cum hoc relatum esset ad Principem, dixerat senex: Was mache ich denn mit dem Lecker? Ideo mox in finitimo suorum patronorum petiit dimissionem suppliciter à Principe ea lege, ut posset se ad aliquot Academias conferre, & majorem in scripturis sacrarum progressum. Ea ergo conditione dimittit, & carcere eximi jubet Princeps *Humelium*, ut se conferat *Lovanium*, & ibi aliquamdiu operam det Theologia, sed interim stipendio biennali suo privatur. Sic liberatus abiit *Lipsiam*, & aliò ad viros doctos, & tandem regressus in patriam opera ut dixi Medicorum Doctorum, imprimis *Reineri Selwandri* commendatur *Duci Wilhelmo Juliano & Clivico*, & ab eo assumitur anno 1566. in aulicum concionatorem loco *Gerhardi Velsii* abeuntis *Wesaliam*. *Humelius* quoque dicitur magna libertate concionari, & cælibem hactenus egit vitam. Publicè etiam pro concione referre solet interdum in ea aula: Jam ego propter Christi Evangelium affuefactus ad carceres, ad famem & sitim, ad exilia, nihil quoque modo metuo, & sum ad omnem fortunam paratus. Is igitur magno terrore est & fuit hactenus Pontificiis Consiliariis. Cum igitur graviter antea *Gerhardus Velsius*, & abusus Pontificios taxasset & Principem ac Consiliarios sui officii monuisset, jam quidem ei successit *Humelius*, quid majori facit libertate.

Ut autem pater fuit optimus Princeps, ita & filius *Wilhelmus*, qui in summa sobrietate vitam ducit, clemens, pius, modestus & benignus est, qui mane surgens & vesperi lectum petens per horam preces ad DEUM effundit, sacræ lectioni intentus est. Ideo si qui olim sub patre, si qui sub hoc sunt exilia passi ex piis concionatoribus, id potius aut Pontificiis Consiliariis, aut malis præfectis aut delatoribus aulicis imputandum erit, quod in hac historia certis exemplis est probatum.

De RENATO EVANGELIO  
IN ECCLESIA WESALIENSI  
URBIS DUCATUS CLIVIAE.

Postquam *Wesalia* doceret *Adolphus Clarenbachius* in scholis Co-rectorem agens circa annum 1525. & ibi jaceret vera religionis



fundamenta, mox ille ex accusatione Officialis Colonienſis, autori-  
 tate & juffu Principis Clivenſis Johannis amovetur officio & exturbatur  
 urbe. Erat quoque circa hæc tempora in oppido Clivia Burica prope  
 urbem *Wesaliam* Evangelii concionator ad *Rheni* ripam *Johannes Clopri-*  
*fius*, qui etſi juffu Principis Clivenſis ejiceretur ex urbecula illa, tamen  
 clam redit ad functionem, ac propterea tandem captivus ducitur anno  
 27. & traditur Epifcopo Colonienſi & ejus Officiali, ideoque in iisdem  
 fuit cum *Adolpho Clarenbachio* vinculis. Sed inde mirabiliter ereptus  
 poſtea non perſtitit in vera doctriina, ut diximus in hiftoria Monaste-  
 rienſi. Hic igitur ibi vera ſemina ſynceræ doctriinæ jecit, adeo ut multi  
 cives ex urbe *Wesalia* ad iſtius conciones & Sacramentorum uſum per-  
 ciendum ſe *Buricam* conferrent, & magis inflammarentur in pro-  
 feſſione Evangelii. *Burica* vero proſtigato & captivo *Cloprifo* docuit  
 Evangelium *M. Gerhardus Oemikenius Camenſis*, cum *Brixio Nordano*,  
 qui fuit *Burica Sacellanus*: Sed anno 1529. juffu Principis quoque expel-  
 litur *M. Gerhardus Omfen* cum adhuc ibidem ut *Sacellanus* maneret  
*Brixius Nordanus*, & pergeret docere & Sacramenta administrare,  
 quanquam tectior & magis circumſpectus eſſet, quam priores duo,  
 tamen & ille ejicitur Anno 1530. juffu Principis Clivenſis. Interim dum  
 eſſet *Burica* *Brixius*, eſt ſemel admiſſus ad habendam concionem  
*Wesaliæ*, in qua cum ſe declararet *Lutheranum* etiam ipſum mulier-  
 culæ ſedilibus, quibus uti ſolent in templis, petunt, ut vix evaſiſſet  
 periculum; niſi opera *Johannis Coſfeldii Sutoris* ex ipſarum impetu ere-  
 ptus fuiſſet. Illi interim & *Burica* & *Wesaliæ* bona fundamenta veræ  
 religionis poſuerunt cives, & quanquam nonnulli poſtea ſe darent  
 Anabaptiſticæ factioni, tamen multi etiam perſtiterunt in vera doctri-  
 na, inter quos erant præcipui in Senatorio ordine, ut *Weſſelus Berthius*,  
*Henricus Chevlowe* (qui propterea etiam delati erant apud Principem)  
 qui diu id per annos multos meditabantur de totius ſenatus Suffragio  
 per præceptorem Principis *Wilhelmi D. Doctorem U. J. Conradum He-*  
*rebachium*, ut Evangelicæ doctriinæ prædicatio ipſis publicè concedi  
 poſſet. Cum vero Princeps *Wilhelmus* etiam *Ducatu Geldria* & *Comi-*  
*tatu Saphania* augetur, videbantur etiam doctriinæ noſtræ favere  
 Conſilarii, & ipſe Princeps (quia offenſum habebat Cæſarem) cum  
 Conſilariis inclinare videbatur ad partes proteſtantium, itaque ope  
*Henrici Barſai Olieſlegeri*, *Wesalienſis*, Cancellarii Clivici & *D. Heres-*  
*bachii* atque aliorum opera impetrant conſenſum permittentem Prin-  
 cipis



cipis, ut Evangelicos concionatores vocare ipsis liceret, ideo Anno 1540. totus Senatus (in quo præter prædictos atque etiam *Theodorus Grovium*, & *Johannes Mursaus* & plerique cognati & affines *Dietrici Heshulsi* & *Doctoris Berthii* erant) vocant ad plantationem Evangelii *Imandum Ortzonium Zelandum*, qui ibi evocatus ex *Dusberga*, jam antea hæserat apud *Cancellarium Olieslegerum*, is inquam feliciter incepit docendo Evangelium, & Sacramenta administrando, quamquam antea ipse esset varius. Hic deinde in collegam vocavit de jussu Senatus *Antonium Mecheliensem* quondam Augustinarium priorem. Interim cum nondum utramque parochiam haberent restitutam, accidit deinceps ut ignorante Senatu cives idolon *Antonio* factum devotarent, ad cujus adorationem hinc inde ex multis locis curiam accurrere solebant, & deinde apud Senatum instarent ut plures Evangelii ministri vocarentur. Sunt igitur istis tres additi, *Johannes Tobijanus Nicolaus Buschoducensis* & *Eberhardus Trajectensis*. Tandem his additus est *M. Thomas Plateanus* filius urbis Anno 1544. Postquam vero constitur inter illos controversia de multis rebus, delegit Senatus *M. Nicolaum Buschoducensem*, ut hominem doctum & multarum linguarum peritum in Superintendentem. Sed interim non est sopita controversia. Fuit omnium primo *M. Nicolaus*, Rector Scholæ. Quilibet habuit alterum suspectum de re Sacramentaria. Deinde alii ut eloquentiores invidabant *M. Nicolao* honorem.

Cum verò clam multis technis & variis mendaciis ab initio se opponerent monachi (Nam quatuor sunt ibi Monasteria) & sibilarent, quia publicè nihil audebant, dat Magistratus Mandatum eodem anno, ut Monachi in quatuor illis cœnobiis ab omni Missificatione abstinerent, clausaque cœnobia haberent, domique se continerent. Itaque feliciter ibi Evangelium docebatur usque ad tempus Interim.

#### Quid tempore Interim accidit.

Est quidem silentium impositum omnibus concinatoribus Anno 1548. & anno sequenti ejecti, excepto *M. Thoma Plateano* civitatis filio & quodam *Giseberto*. Misit autem eo *Arnoldum Bomgartnerum* *Wassenburgicum* & *M. Hermannum Schilderum*, nunc Embriensis Decanum, qui aliqua ex parte erant per id tempus aulici concinatores, sed illis discedentibus post plantationem Interim, successerunt *Theodorus Embriensis* & *Theodorus* quidam *Geldrus*, qui postea per-



transiit ad nostras partes deserto papatu. Is igitur in suburbio juxta nostram postea doctriam Sacramenta administravit. Quidam *Gottfridus Rindern* diu perstitit in papatu. Interim dum ille ita Missificaret & pauci alii, & melior aura afflaret, evocant ex Scholis *Henricum Bomelium* antea ex historia Trajectensium edita clarum anno 1552. qui in Dominicanorum concionabatur monasterio, & ei adjunctus est anno 1553. *M. Hermannus Hollandus*, sacrae Theologiae Baccalarius opera *Johannis Echii*, Doctoris Medici: Et postea cepit quoque docere *M. Thomas Plateanus* cum praedicto *Theodoro*.

Ne autem hoc negligamus, audiamus, quomodo alii boni viri & concionatores turbati ex urbe per diversos locos dispersi sint. Nam *Imandus Ortzenius*, tandem consequitur locum in *Dithmarsia*. *M. Nicolaus Buschoducensis*, Bremæ gratiam impetrat apud *Comitem Christophorum Oldenburgicum*, qui eum promovet ad conditionem in *Blanslebenburg*: *Anthonijs Mechlinensis* consequitur locum apud *Comitissam Theverensem in Phrisia Orientali*: *Everhardus Trajectensis* apud *Comitissam de Rennenburg & Palsterkamp* in diuione *Osnaburgensi* consequitur conditionem, & per irruptionem *Philippi Magni*, *Brunsvicensis Ducis* spoliatur omnibus rebus. *Bolckius in Holsatiam*, profectus pastor & Decanus est factus in oppido *Riel* &c. Sic DEUS suis mirabiliter prospicit.

Redeo ad *Ecclesiam Wefaliensem*. Planè redintegrata est religio anno 1555. repudiato papatu, tandem anno 1557. substituitur in locum *Godefridi Rindern* Papistæ, quem ejecit Senatus, *Nicolaus Rollius* à Duce, qui ea conditione eum admittit, ut plures ceremonias retineret in administratione Sacramentorum quam alii. Cum verò propter Sacramentarios ex Anglia profligos contenderent concionatores, an essent recipiendi, vel non, atque *M. Hermannus Hollandus*, cum *M. Thoma* contenderet, non esse recipiendos Sacramentarios, ne turbaretur Ecclesia, atque interim *Bomelius* eis se clam conjungeret & sibi adjunctum haberet *Rollium*, diu controversia incruduit, donec susceptos illos, praesertim Gallos, qui cupiebant propriam Ecclesiam, & jam publice deprehenso *Cingliano Principe Clivensis* juberet eos ejici. Deinde jussit quoque ceremonias plures in administratione canæ admitti & institui Dux, sed in ea re noluerunt consentire *M. Henricus Bomelius* & *M. Hermannus Hollandus*, qui privatim vixere deinceps, do-

Nnn nnn

nec



nec à Principe & Conſiliariis mitteretur ſuſatum *Hermannus*, & *Boninus* in Comitatum *Morſenſem* vocaretur.

Cum ibi *Rollius* & *Magiſter Thomas* agerent concionatores acciſſe, ut ejeſtus ex Treverenſi urbe *Johannes Parveſt* dictus *Heiſfeldius* *Wepervordanus* adferret à Clariffimo & Doctiffimo Viro *D. Georgio Schell* nobili & quaſtore Hordenſi commendationem ad *M. Lubertus Florinum*, Gymnaſiarcham Weſalienſem, is hoc egit apud Conſulem *Theodorum Grovium*, ut ille *Heiſfeldius* vocaretur & aſumeretur anno 1559, in concionatorem. Deinde cum cogitarent de quarto iterum vocando, mox fit Senatus certior, quomodo per irruptionem regis *Davide* & *Ducis Holſatie in Diſthmarſiam*, & bellum illud Holſaticum ſolutus eſſet omnibus bonis *Imandus Orizenius*, qui inde à primo exitio expulſus *Weſalia*, in *Diſthmarſia* per annos undecim paſtor Delphorum fuerat: Eum igitur ipſi vocant. Moritur peſte *Rollius* anno 1566. & ſubſtituitur aulicus concionator Principis *Gerhardus Veſſim*, qui duxit *Rollii* uxorem, quæ eo promovit *Gerhardum*, ut relictis *Lutheri* libris, legeret *Calvini* & aliorum ſcripta.

### De certaminibus ibidem ortis.

**A**Ttigi controverſiam, quomodo contenderint de ejiciendis *Angliſ* *M. Thomas Plateanus*, & *M. Hermannus Hollandus* contra *M. Henricum Bomelium*, qui etiam ſibi poſtea adjunxit *Rollium*, & quomodo ſuper ea re fit provocatum ad *Philippum Melancthonem*. In ea profeſtione legatus ordinatus *M. Thomas Plateanus*, qui adfert conſilium *Philippi* tale, eos ferri poſſe, modo non turbent Eccleſias. Sed Princeps mox jubet eos ejici anno 1557. quia Galli provocaverant ad *Philippum*. Poſtea eſt quoque orta controverſia inter *M. Thomas* & reliquos collegas præſertim *Nicolaum Rollium* & *Johannem Heiſfeldium* dictum Papam, de exorcifmo circa annum Domini 1562. Iſti duo poſteriores non cenſebant ferendum in baptifmo exorcifmum: Ille (*Plateanus*) verò pro more Eccleſiæ Auguſtanæ Confeſſionis ſocret illum retinendum cenſuit, & protulit autoritates *D. Lutheri*, *D. Pomerani*, *Juſti Menii* & *D. Urbani Rhegii*. Cum etiam de illa controverſia ſcriberetur per ſuos ad *D. Tilemannum Heſhuſium*, tunc Superintendentem Magdeburgi, ſcripfit pro uſu exorcifmi egregiam Epiſtola ad *D. Doctorem Wernerum Berthium*, eamque typis evulgavit. Senatus autem Weſalienſis liberum pronunciauit, ut qui vellent retinere



vel omitterent exorcismum. Tandem prodiit Palatinorum Catechismus, à cuius lectione cum retraheret & deterreret *M. Thomas* suos auditores, ideo demum variis contra illum alii usi sunt technis. Nam omnes incepterunt per *Rollium* seducti Sacramentario errori patrocinari, atque est in eam sententiam per *Rollium* perductus Consul *Theodorus Grovius*, *Heitfeldius* est indoctus & battologus. Cum verò rediret in patriam, & privatim ibi ageret Anno 1563. in Majo cum uxore. *D. Heshusius*, libenter equidem vidisset puram doctrinam *D. Lutheri* in sua patria servatam fuisse, ideo modeste convenit *Rollium* liberioris Epicureismi eum inculans, & admonens ipsum de sincera confessione Eucharistiæ & de exorcismo retinendo, & deinde quod non rectè diceret liberos Christianorum esse per se sanctos, licet non baptizentur. *Rollius* mox cum *Heitfeldio* & *Ortzenio* carens argumentis, cepit prolato Epistolio *Heshusii*, in quo erat accusatus Lucianismi & versipellitatis, ut sic loquar, quia palam non audebant illud proferre, quod privatim sua manu probaverat, accusare apud *Grovium* Consulem *D. Heshusium*. Is iterum sibi adjunctis aliis ex Senatu apud aulicos, præsertim *Cancellarium Barfaum* exaggerat, quomodo *D. Heshusius*, *Goslaria*, *Rostochio*, *Heidelbergæ*, *Brema* & *Magdeburgæ* ejectus nunc quoque turbet patriam, & quomodo nuper ad *Reisenses*, *Affendienses*que edidisset scriptum contra Pontificios nimis severum. Ideo tandem hoc efficitur, ut sub nomine Principis jubeatur expelli. Deinde ne amplius Ecclesiam moneret de non legendo *Catechismo Heidelbergensium*; agunt astute alii vulpes, ut quoque *M. Thomas Plateanus* arceatur à ministerio sub eo prætextu, quod vox ei desit, & quod nolit dissidentes concionatores in sua urbe simul ferre. Hic erat quoque finis cur dimitterent ex schola *M. Lubertum Florinum* Lemgoviensẽm, qui ibi in correctoratu per aliquod annos apud *M. Johannem Lithodium*, primum Rectorem, hodie Doctorem Medicum in aula Principis, & post multos annos post illum in Rectoratu Scholæ cum laude inservierat juventuti, videlicet ne juventutem retraheret à lectione *Calvini* & aliorum: Tamen hunc prætextum prætulerunt, quod jam senio confectus non esset habilis regimini, vel non esset satis plagosus, & jam sese *D. Heshusii* sententiæ adjunxisset. Sed hic *Heitfeldus* exercuit talem gratiam erga benefactorem, quia & illo turbato successorem vocavit & constituit sua promotione *M. Henricum Betulejum*, virum quidem excellenter doctum, sed rei Sacramentariæ & *Calvinismo* deditum.



*Imandus Orzenius*, qui in Dithmarsia responfioni Saxoniarum Ecclesiarum oppositæ *Johanni Calvino* subscribent, jam ut delirus senex consensit in damnationem optimi Doctoris, & rei Sacramentariæ colulit.

Miror certè præcipitantiam Consiliariorum Clivensium quorundam, quod citra legitimam cognitionem tam subito ejicerent *D. Heshusium*, quem scimus Principibus, *Bipontino Wolffango*, *Megopolensibus* & aliis gratum esse: Imò qui volebat retineri veram doctrinam de Sacramento altaris & de exorcismo in sua patria juxta illorum Consiliariorum veterem ordinationem & multas constitutiones & edicta edita. Ibi ex familia *D. Heshusii* partim affines, partim cognati, partim amici erant Senatores & Consules: Itaque illi vehementer & veram doctrinam de Sacramento altaris & simul Doctorem *Tilemannum Heshusium* defendunt: Ideo *Theodorus Grovius* & alii ejus complices hoc agunt partim per cuniculos in aula, & apud alios Senatores hoc efficiunt, ut *Henricus Berthius* Consul nepos Doctoris *Johannis Berthii*, & ipse Doctor *Johannes Berthius* M. *Gerhardus Zittardus* Apothecarius, *Bernhardus Heshusius*, *Otto Bellinckhavius* Jureconsultus, M. *Henricus Brælius* Osnaburgensis antea Secretarius, omnes Senatores, è senatu moverentur, quanquam posterior ultro cesserit.

*Nicolaus Rollius* quoque promovit quendam ex suis cognatis ad ministerium oppidi Buricensis nomine *Cornelium* &c. Sed *Rollius* moritur & *Grovius* peste anno sequenti post ejectum *Heshusium*, qui ita vidit ruinam suorum adversariorum. Susceperunt multos ex Brabantia & Belgicis oris profugos passim per Cliviam, in primis *Wesaliæ* eos qui erant Calvinismo dediti Anno 1567. Ideo & *Antonius Bombergius* centurio, qui præfuerat *Buschoducensibus* quæritur *Wesaliæ*, sed non invenitur: Eodem tempore quærebatur etiam *Gochi Henricus Agileus* doctissimus & ditissimus civis *Buschoducensis* & Jureconsultus, qui ante & simul cum *Bombergio* toti negotio præfuerat *Buschoduci*, sed non est inventus *Bombergius*, verum *Agileus* s. Octobris (quo etiam tempore & Abbas quondam cœnobii distantis ad duo miliaria ab *Antwerpia* ad Sacellum, qui mutata religione uxorem duxerat & profugerat in *Cliviam*) quæritur *Dusbergi*, sed cum ille elaboraretur, provocavit ad jus coram Principe contra adversarios.

Tandem jubentur exire regionem suam per edictum Principis *Clivensis* omnes Sacramentarii.



In oppido *Urfa* docet pius & sinceræ doctrinæ vir *Bernhardus Ollen-*  
*fellius*, cum is ante ipsum voluisset papismum propugnare *Philippus*  
*Olmenius*, ut & in urbe *Clivensi*, sed frustra id tentavit.

De oppidis *Clivia Embrica*, *Calcaria* & aliis diximus in historia renati  
Evangelii *Anrwerpiæ* & ejus ista parte quæ continet Itinerarium Do-  
ctorum nostrorum versus *Anrwerpiam*.

In populo *Clivensi* vel *Clivia* docuit & propagavit papismum diu  
*Bernhardus Sommerhusius*, *Borkensis*, Collegii *Clivensis* Decanus, sed  
tandem dicitur esse prohibitus concionari, ac alius dicitur ibidem con-  
cionari quidam *Canonicus Jacobus Dorstensis*, vir nostræ doctrinæ de-  
ditus.

Pastor *Zantensis* est à me descriptus in religione aulæ *Clivensis* de-  
scripta. Et qualis est ibi pastor, tales sunt & reliqui concionatores  
duo *Canonici Raisfeldius* pastor sic dictus, & quidam *N. Bresius Novio-*  
*magus*.

*Dusbergi* favent omnes Augustinæ Confessioni & Magistratus &  
Doctores Ecclesiæ. *Johannes Retlingius*, *Phrisius* pastor Ecclesiæ *D. Vir-*  
*ginis*. *Petrus Gandavus* pastor Ecclesiæ *Salvatoris*. Et quia ibi quæ-  
dam umbra Academiæ erat, opera *Vlatteni* à Principe instituta, ideo  
reliquæ ibi hærent & adhuc docent privatim *Henricus Geldolpius*, *Jo-*  
*hannes Otto*, *Gerhardus Mercator*, Mathematicus *Keppelmundanus* ex  
terra *Judaica*, viri doctissimi, sed qui videntur *Sacramentariis* cum  
pastoribus patrocinari.

## De ACTIS ECCLESIASTICIS

In DUCATUS BERGENSIS URBIBUS,

Et primò

### De ECCLESIA DUSSELDORPIENSIS OPPIDI.

Cum autem *Johannes Monheimius* de juventute per annos 30. opti-  
me meritis, doctum & pium Catechismum edidisset anno 1560.  
& antea piè juventutem suam instituisset in schola *Dusseldorpiana*  
satis frequenti, accidit ut *Colonienfes* Theologi contrarium scriptum  
Catechismo isti pio opponerent. Sed defendit *Monheimi*, imò Ecclesiæ  
causam *Martinus Kemnitius*, *Henricus Artopans* (quem credo in *Comi-*  
*tatu Mansfeldensi* agere) & ego *HAMELMANNUS*. Interim bono  
*Monhemio* mandabatur jussu, ut ferebant, Principis, ne ille istam piam  
Nnn nnn 3 Ca-



Catechesin suis prælegeret. Cum quoque idem *Monbemiensis* eam disputaret præpositis Thematis in scholis de religionis controversiis, accidit ut à quodam impio & arroganti papista publicè hoc nomine graviter accusaretur & reprehenderetur. Quod ex mutuis utriusque epistolis facilius lector cognoscet.

*Vigilantissimo atque Pietati Præstanti Viro,*  
**Domino ARNOLDO BOMGARDO,**  
 Collegiatae Ecclesiae Dusseldorpiensis Scholastico, compatri suo unice colendo,

**G**ratia & pax à DEO patre per JESUM CHRISTUM filium suum sit semper nobiscum Amen. Non possum satis admirari veneratæ de Domine Compater immanem tuam importunitatem, quod tu Theologus & Ecclesiastes me nunquam male de te meritum in corona discipulorum meorum hesternò die tam furiosè tam exitiosum doctorem, & juventutem falsis & perverfis opinionibus imbuentem, coarguisti. Inter cætera dicebas me male asseruisse, non omnia in similitudinibus convenire. Deinde quod contra omnium veterum Doctorum sententiam negaverim, *Melchisedechum* panem & vinum, quem admodum Christus corpus & sanguinem sub specie panis & vini obtulisse. Asserebas præterea non me, sed te scholæ supremum prædicentem esse, ac proinde id tuum officium postulare, ut caveres ne juvenis perniciosus erroribus inficiatur, &c. Cæterum quæso te mi Domine, an non fraterna charitas hoc exigat, CHRISTO etiam mandante, ut primum moneatur seorsim sine arbitris is, qui peccavit: Deinde si signum aliquod contumaciæ dederit, ut rursus admoneatur adhibitis testibus. Tertio si nihil hac via profectum fuerit, ut tradatur publico Ecclesiae judicio? Tu contra me non antea præmonitum in publico scholasticorum cœtu coram omnibus traduxisti, meaque famam ac existimationem supra modum læsisti. Certè non ego pernix, non litigiosus, non acerbus, ut præfractè aliquid, quod non per omnia cum Christi doctrina consenserit, defendere velim, adeo ut etiam qui me autoritate sacrae scripturae evicerit, quicquam unquam male scripsisse aut docuisse, ultro etiam paratus sim palinodiam publice canere. Deinde quod in similitudinibus ac typo seu figura non omnia



convenient, testatur etiam *Johannes Chrysostomus* in commentariis in Genesin. Sacerdos, inquit, forte erat *Melchisedechus* à semet ipso ordinatus: Sic enim tunc erant Sacerdotes, vel quod qui ætate profectior erat à suis colebatur, vel quod & ipse sacrificare studuit, sicut & *Abel*, *Noe*, *Abraham* quando sacrificia obtulerunt. Alioquin & typus CHRISTI futurus erat, unde & Paulus ipsum extollens, sic dicit: Absque patre, absque matre, absque genealogia, neque initium dierum neque vitæ finem habens, assimilatus autem filio DEI manet sacerdos in perpetuum. Et quomodo dicis, possibile est hominem absque patre & matre & genealogia esse, & non habere vel initium vel vitæ finem? Audisti quod figura fuit, ne ergo admirare neque omnia require in typo. Neque enim typus esset si omnia quæ veritati accedunt, haberent. Quid igitur est quod tibi dico? Igitur fuit ille (inquit) eo quod non fit memoria eorum qui genuerunt dicitur sine patre & sine matre, & quia non recensetur ejus genealogia, dicitur sine genealogia, ita & CHRISTUS, quia non habet vel in cælo matrem, vel in terra patrem absque genealogia dicitur: Num. 21. Joh. 3. Hæc ille. Si æneus serpens fuit typus CHRISTI, & plurima tamen in CHRISTO & æneo serpente dissimilia reperiuntur. Tertio. Tametsi *Lyra* & nonnulli alii dicant *Melchisedechum* obtulisse hic panem & vinum & hoc etiam in similitudinem capiant & asserant, esse typum sacrificii Missæ, in qua ad exemplum *Melchisedechi* species panis & vini revera aut corpus aut sanguis Christi offertur in benedictionem offerentis & aliorum &c. longè tamen aliter indicant, qui diligentius verba Mosis & mentem autoris Epistolæ ad Hebræos expendunt. Hebræum enim verbum non sonat. Obtulit, sed omnium consensu, fecit egredi? Deprompsit seu Protulit. Deinde hæc verba prolata sunt ipsi *Abrahamo*. Hoc enim ostendit historiæ contextus, & eo subsidio valde recreatus est *Abrahamus* cum suis defessus rediens à pugna. Chaldaus legit, Adduxit panem & vinum. Septuaginta *ἔθηκεν*, id est, protulit, sicut nimirum ex promptuario solet panis & vinum proferri. Sic quoque vulgata latina & vetustiores patres legerunt. Hieronymus ad Evagrium, & *Ambrosius* de mysteriis imitandis cap. 8. qui sic dicit: Tunc illi occurrit *Melchisedechus*, protulit ea quæ *Abrahamus* veneratus acceperat. Et *Augustinus* super Tit. Psal. 33. ubi sic loquitur. Et tantus erat *Melchisedechus*, à quo benediceretur *Abrahamus*, protulit panem & vinum & *Abraham* benedixit. Cajetanus ita ait: Proferens panem &



vinum. Nihil refert quod Hebraicè scribitur, Protulit, in præteritum. Nihil scribitur hic de sacrificio seu oblatione, sed de prolatione seu extractione, quam *Josephus* dicit factam ad reficiendum victores. Quod autem in vulgari versione subditur, ut causa oblationis. Erant enim Sacerdotes DEI altissimi: In hebræo non habetur, ut causæ, sed ut separata clausula. *Cyprianus* quoque legit: Erat autem, non *Entimus*, & citat *Augustinum* lib. 20. de doctrina Christiana, & septuaginta interpretes *in de ipsius*: Erat autem sacerdos. In scholastica historia cap. 46. sic legimus: At vero *Melchisedechus* rex Salem obtulit & panem & vinum, quod quasi exponens *Josephus* ait, ministravit eccæcitui Xenia & multam abundantiam rerum optimarum simul exhibuit, & super epulas benedixit DEUM *Abrahami*, qui subdiderat inimicos. Erat enim sacerdos DEI altissimi. Hactenus Scholastica historia. *Apostolus* certè in Epistola ad Hebræos ostendit omnia in Christo Pontificè esse præstantiora, ut *Aaronis* Sacrificium ipsi cedere tandem intelligant Hebræi. Sunt autem hæc capita collationis: Alii DEO quidem vocantur, sed per homines & ex hominibus. Christus homo & ipse, sed una etiam DEI filius ipse DEI patris voce est Pontifex declaratus. Ipsos oportet ut infimos & misericordes pro se & pro aliis offerre donaria & victimas. Ille insigniter afflictus & insigniter misericors non obtulit pro suis peccatis, sed consecratus sua obedientia omnes servavit. Illis mortalibus quærendi sunt successores, iste perpetuus est declaratus Pontifex, & quidem cum jurejurando, neque ut successor *Aaronis*, sed ut alterius sacerdotii Pontifex, nempe secundum ordinem *Melchisedech*: Et Levitico superiorem esse ex singulis circumstantiis *Melchisedechi* typum etiam ipsum Christum fuisse demonstrans. Est autem typi & veritatis hæc collatio. Ille fuit rex & sacerdos, ita etiam Christus. Ille rex fuit justitiæ & pacis vocatus, verè talis est Christus, sic ille præponitur quasi Principio & fine carens, cujus scilicet nec pater, nec mater, nec majores, nec mors explicatur, talis revera est filius DEI. De sacerdotio autem cum tam prolixè & accuratè disputet *Apostolus*, nullam tum panis & vini mentionem facit. Quam crassa verò esset ista oblivio, insigne sacrificium, in quo tota vis sacerdotii inclusa erat, non attingere? Ex benedictione & decimis honorem ejus probat, nempe illum majorem *Abrahamo* & Levitico sacerdotio, quantum illud ad rem ipsius quadrasset non agnos aut vitulos, sed mundi vitam, hoc est corpus Christi & sanguinem in figura obtulisse. Nec



Nec magnus ille *Erasmus*, licet omnia fufius & latius exponat, ullam mentionem panis & vini in fua paraphrafi in eandem Epiftolam facit. Quamvis tamen nonnulli ex vetuftis patribus in eo, quod *Melchifedechns* *Abrahamo* panem & vinum protulit, allegoriam quærunt, quod videtur Chriftus regni fui populum eodem modo myftico pane & vino, corpore videlicet & fanguine fuo ad vitam pascere æternam, verum Sacrificii nullam fecerunt mentionem, & fi quis concedat oblatum panem & vinum à *Melchifedecho*, non tamen inde fequitur Chriftum in cæna obtuliffe panem & vinum, fed diftribuiffe. Nec quisquam fanus eft tam impudens, qui contendat juffos Apoftolos facrificare panem & vinum. Quanquam *Faber* & *Sorius* fummi (fi Diis placet) Theologi, *Theocriti* & *Virgilii* testimonia comprobant, faciendi verbo Chriftum hic ufum pro facrificare. Certè testantur sacræ literæ, quod Chriftus feipfum obtulerit in ara crucis, nec ulli patres myfticum illud fymbolum corporis & fanguinis Chrifti (ita enim appellat *Erasmus* in paraphrafi in cap. 6. *Johannis*) Sacrificium effe afferunt.

Postremo quod afferebas te quoque effe Scholarcham, hac fanè in re libenti animo paratus ftatim tibi cedere, fcholæque gubernationem permitttere. Nam id non fine maximo meo lucro atque emolumento facere potero, cum mihi alibi pateant fplendidiffimæ conditiones, offeraturque ftipendium mihi triplo majus quam hic habeo. Interim tamen qua quæfo ratione tu tibi fcholæ primatum vendicas, nifi folum inani quodam titulo? Cum ipfe non doceas, nec mihi, nec cæteris collegis ullum contuleris ftipendium. Præterea ad fcholæ ædificationem, nemo ex toto veftro Collegio ne vitream quidem feneftram unquam largitus fit. Agnofcimus fanè nos non alios nostros fcholæ Dominos, quam eos qui vos ad hanc functionem vocarunt, & à quibus ftipendia accepimus. Oro autem ut hanc meam in fcribendo *παραπολιαι* mihi ignofcas, ego profectò, ita me DEUS amet, quantum in me eft fummoperè optarem, cum omnibus hominibus pacem habere, & mutuam alere concordiam, & DEUM optimum maximum oro ut fanctiffimam ipfius voluntatem agnofcere, & agnitam perficere tota vita poffimus. Bene Vale. Raptim ex ædibus noftris 8. die Decemb. Anno falutis 1560.

JOHANNES MONHEMIUS.

Jam fequitur ejusdem refponfo ad præcedentem Epiftolam.



*Integerrimo Doctissimoque Viro,*  
**Magistro JOHANNI MONHEMIO,**  
 Scholæ DUSSELDORPIENSIS Gymnasiarchæ, amico ac  
 compatri suo perquam charo.

**S** Alutem & pacem in CHRISTO JESU. Equidem non exillimo  
*Monhemi* compater, ullum certius ac evidentius veræ amicitie  
 argumentum, quam si quis liberè, ubi fuerit opus, amicum ad-  
 moneat, arguat, increpet, non spectans quam gratum aut ingratum  
 sit in præsentia officium, quod præstat, sed quid olim illi possit adferre  
 commodi vel incommodi. Non aliter quam fidus ac peritus medicus  
 qui non gerit morem affectibus ægroti, sed omnia quantumvis mole-  
 sta adhibet, quæ adjuvento sint ad recuperandam sanitatem. Video  
 ex tuis literis acerbiora fuisse animo tuo, quam ut devorare poteris,  
 quæ nudius tertius inter te & me sunt gesta. Quæ tamen si perpendis  
 ad charitatis amissim, & quo animo ea facta sint, haud dubiè pellentur  
 omnis acerbitas. Meliora, inquit *Salomon*, sunt vulnera amicis quam  
 oscula amici. Quod vero clam absque arbitriste non mouerim sed  
 palam coram aliquot discipulis, scito id non factum temere, sed certa  
 causa ex *Pauli* consilio & ejusdem exemplo. Ille enim scribens *Timo-*  
*theo* opinor, peccantem, inquit, coram omnibus argue. Et idem *Petrus*  
 in faciem coram omnibus restitit, quod non rato incederet pede. Et  
 tamen inter illos ne tantulum quidem lædebatur amicitia & charitas.  
 Nolo respondere calamo, quod odiosius videatur ad ea quæ repetis de  
 similitudinibus de *Melchisede*cho, & quod ipse scholæ primatum mihi  
 arrogaverim. Nam videris ea secus intellexisse, quam ipse adduxerim.  
 De iis vero coram si videtur, aut inter nos aut uno atque altero amico  
 adhibito transigatur. Non recuso hanc conditionem si ipse in hac  
 amici officium prætergressus sim, eodem planè modo me tractes, quo  
 ipse te. Spero autem me tibi ita satisfacturum, ut indignatione pelita  
 amoris redintegrationi sis locum facturus. Hæc ad te breviter & cali-  
 mo benevolo ex ædibus nostris. Anno redemptionis M. D. LX.  
 Tuus ARNOLDUS BOMGARDUS

Istamen nunquam venit in Colloquium cum *Monhemio*.  
 Mortuo *Monhemio* in Domino JESU placide Anno 1564. videbatur  
 sane negotium Evangelii in ista Schola & Ecclesia quoque mortuum



esse. Nam inde mox *Casparus Iffelbergius*, Agrippinensis, vir pius & bonus ejiciebatur cum ibi doceret Evangelium Christi. Sed Assendensibus mittitur.

Cum autem Princeps concederet libertatem Evangelicæ doctrinæ Anno 1567. accidit ut veniret *Leo Marcoduranns*, Dusseldorpius, is pastore ægrotante Anno 1567. in Dominica Reminiscere cepit abolere Pontificia sacra, Psalmos Germanicos canere, communicare omnes sub utraque specie. Quidam etiam dicunt eum Sacramentariis patrocinari.

Ejectus est aliquando propter contemptum papismi præpositus in *Deck* / item quidam *Wigandus* nomine pastor in *Gesing* & *Stephanus Spebens*, quem suscepit illustris *Domina Anna ex Ducibus Clivia; Comitissa Waldechiana*.

Ex Ecclesia oppidi *Zentp* (quæ est patria sancti *Adolphi Clarenbachii* martyris, qui quoque ibi prima verbi DEI semina jecit) ejectus est *Johannes Slunckravins*, imo propter contemptum papismi vinculis traditur, qui postea *Brema* suscepit ministerium, Sacramentario errori patrocinans.

Hodie in oppido *Zentp* docent Evangelium *Martinus Henckelius*, pastor & ejus Collega *Sternebergius*.

*Antonius*, pastor in *Geistingen* / bis fuit ex suo pastoratu ejectus propterea quod Pontificia sacra non per omnia probaret. Primo ejiciebatur propterea quod in nuptiis suis in angaria vel carnis privio quatuor temporum die Mercurii carnes recentes proponeret convivis. Secundo quod non benediceret aquæ baptismatis tempore Paschali & Pentecostes.

Anno 1565. in præfectura *Blancenburg* ex pago *Hunff* / Sacellanus *Jacobus* cum pastore *Antonio* dimittuntur propter repudiatum papismum in nonnullis rebus.

Eodem tempore actum est cum monialibus *Nobilibus in Zinsendorff* / quæ mutaverant habitum & religionem. Multis igitur minis & acerrimis scriptis terrentur ex aula ut susciperent veram religionem & priorem habitum, & additur ipsarum non esse reformare, sed Principis. Virgines non moventur minis, sed supplices petunt partim literis, partim flexis genibus, ut ipsis salva permitteretur religio & habitus. Se enim semel susceptam religionem & habitum non posse abjicere. Ita fit ut per quosdam Consiliarios ornamenta & sigillatas literas cura-



ret eis eripi Princeps. Sed neque ita moventur, sed concessa libera religione decreverunt agere in Camera Imperiali, ideo remittitur negotium. Postea obtulit se Princeps ipsis permissurum salvam religionem, & missurum concionatorem syncerum, tantum ut illum quentur habebant, ut suspectum de re Sacramentaria dimitterent, deinde ut veterem vestitum vel alium decentem susciperent. Iste cum indicusarent, sunt evocatae in arcem *Blancenburg* & ibi detentae, & *Cornobium* nomine Principis occupatum.

In oppido *Erverfeldo* docuit *Petrus* *Łoo* vir doctus, per duos annos Evangelium syncere, & Sacramenta pure de Christi mandato administravit, ideo is hoc nomine apud papisticos Consiliarios, praefertim *Johannem Vlattenum* Cancellarium a *Petro Nuth* ibidem pastore graviter defertur. Ideo statim mandatum mittitur, quo jubetur Ministerio turbari & expelli in exilium. Is vero interea quosdam forte imperturbantes absolvit & communicavit domi sub utraque specie anno 1577. jam turbatus templo. Ideo cum secundo quasi Anabaptista & lecturarius, qui in angulis colligat communionem & plebem, ac clam sacra exerceat, iterum acculatur. Ideo per indicia admonitur, quod ei vincula minentur, discedit ex patria & suscipitur a piissima & illustri *Domina Anna*, nata *Ducissa Clivia*, *Comitissa in Waldet* / vidua in aulicum ministrum, sed cum forte rediret in patriam mox proditus capitur, & catenis vincitur, sed divinitus quasi per angelum liberatur & eximitur catena, ac ita aufugit & redit ad suam Dominam, atque ibi edidit ad suos *Erverfeldenses* eruditissimum scriptum de veritate & asserptione utriusque speciei in Eucharistia administrandae & ejus usu, illud Germanicum. Cum autem malam iniret gratiam apud Dominam eandem, tamen ab ejus filiis *Comitibus Waldechianis Philippo Medio & Francisco* optimis heroibus suscipitur, qui ejus dona & gratiam videntes, in suum hunc *Petrum* *Łoo* suscipiunt patrocinium. Tandem in vicinia patriae suae sub Dominio vel praefectura *Comitis Waldechiani Francischi Bienburga*, sedes figit & diu ibi moratur. Sed anno 1561. inter adversariorum imprimis *Wilhelmi Hernbachii*, novi pastoris *Erverfeldensis* iterum incendebatur in *Petrum* *Łoo* / ideo ab eo accusatur demerito Principis & Consiliariorum 19. Octobris capitur, & ad oppidum *Sollingam* ducitur, ut ibi carceri includeretur, sed divina gratia accit ut ibidem Satrapa *Wilhelmus Bardenfors* / Dominus in *Hardenberg* / *Maschalcus Bergensis*, audiret *Petrum* *Łoo* esse hominem eloquentem & doctum.



doctum, qui mox aperit *Petro* quomodo sit accusatus, quod olim vincula Principis deonestaverit, effraetisque catenis aufugerit ex iudicio Ducis, quod clam in domibus tanquam Anabaptista docuerit & Sacramenta ministraverit privatim, quod sit Sacramentarius, quod nunc citra gratiam Principis redierit in patriam, &c. & alia multa sunt ei infixæ. Hic ex tempore maxima dexteritate se defendit coram Satrapa & Marschalco, adeo ut ille miraretur hominis suavi loquentiam, & oraret, ut digna etur illam suam responsionem scripto comprehendere. Verum ille exemplo *Petri & Pauli* se excusavit propter suam fugam & vincula excussa, & quod semel docuisset tantum atque Sacramenta ministrasset adductus importunitate & lachrymis piorum, & extemplo exclusus in ædibus quibusdam semel inquam hoc fecisset, & re ipsa demonstravit quod ex animo detestetur Anabaptisticos furores, quos ipse aliquando & graviter refutasset, & quidem verè se credere verbis CHRISTI in cœna absque disputatione, ideoque omnes detestari se, qui invertant verba vel non credant corpus CHRISTI & ejus sanguinem vere sumi in cœna Domini: Itaque orat ut non credat Princeps mendaciis adversariorum, sed se excusatum habeat, atque clementer dimittat. Suscepit ex diligenti commendatione Marschalli *Wilhelmi à Bardensov* / Domini in *Hardenberg* supplicationem vincti *Petri*, & eum absolvit Princeps, ita in Novembri die Jovis ante Martini Festum eo anno est liberatus: Mox tamen ei interdicitur, ne multum versetur in patria. Sed ejus elegans & pia responsio effecit, ut postea anno 1565. adhiberetur vinctis Anabaptistis examinandis, & postquam cum illis prudenter, amicè, modèstè & piè, atque interim acutè contulisset, multosque lucrificasset vel ab errore abduxisset, est per principem primo exiliis absolutus & patriæ libertati donatus, postea finito examine audivit eum concionantem in *Bensborg* / *Dux Guilielmus* 1 Julii, & obtulit ei deinceps dignitates & prælaturas aliquot, sed cum eas non susciperet, non sine honesto munere dimittitur, atque mox eodem anno in *Bensborg* consequitur in Octobri à Principe indultum sigillatum ad Satrapam, Judicem & Magistratum atque ad pastorem *Wilhelmum Heimbachium* & Sacellanum *Johannem Wolmannum*, in oppido *Erversfeldo* scriptum, quo mandatur, ut sine ulla contradictione *Petro* *Edo* concedant, quando ille voluerit & quoties ei libeat in sua patria oppido *Erversfeldo* docere publicè pro concione. Ita is docet Evangelium magna cum laude in patria, ut est valde eloquens,



gratis, namque hodie in patria bis singulis septimanis concionatur, & vivit ex suo, quia cum ex quodam opificio linei fili mundandi & ad solum exponendi uxor ejus pro more patriæ quæstum faciat, is contentus est proprio, ne cui sit oneri. Videtur proh dolor! homo alioque doctus, ingeniosus & magnus inclinare ad opinionem Sacramentarium clanculum. Docent purè ibidem prædictus pastor & Sacellanus, & intimam cum *Petro* amicitiam modo colunt.

De *Clivensis* Ducatus Ecclesiis diximus alibi in itinero Theologorum ad Belgas proficiscentium. Docuit *Dusbergi* Evangelium per 30 annos in minori Ecclesia *M. Johannes Retlingerus*, & in alio templo quidam *Johannes* ditionis Monasteriensis, cui erat Collega quipiam *dehardus*, qui nunc est in *Comitatu Morsensi*. Ibi constituerat Collegium Princeps *Clivensis* *Wilhelmus*, & Professores aliquod ordinaverat ut diximus.

## De ECCLESIA in IMPERIALI URBE,

Quæ est

IN TERMINIS COMITATUS MARCKÆ SITÆ  
TREMONTIA.

CUM in Ecclesia urbis *Imperialis Tremontiensis* doceret purè & fideliter Evangelium atque inciperet Sacramentum Eucharistiæ. Iam utraque specie porrigere omnibus qui peterent anno 1576. & 1577. *Johannes Hirsfeldius*, *Wippervordensis*, id quidem tulit Senatus, sed cum is inciperet anno posteriori, hoc est anno 1577. Pontificis abusus taxare, eosque pedetentim abolere, nec quoque sacra facere vel Missas Pontificio more celebrare pergeret, en cogitat hominem eloquentem ejicere Senatus, & quanquam cives concurrerent, ut hujusmodi conatum Senatus impedirent, aut deprecarentur, tamen prævaluit Senatus autoritas. Is vero dimitti noluit, nisi haberet sigillatum suæ dimissionis à Senatu, quod ei communicant in hanc sententiam scriptum.

Wir Burgermeister und Rath der Stadt Dortmund thun kund und männiglich / und bezeugen mit diesem unserm offenem Brieffe / das der edelbare Herr Johann Heitfeld hier selbst bey uns ehliche Zeit für einen Predicanten und Kirchen-Diener sich brauchen lassen und gedient / und sich seinem Ampt fleißig / treulich und frömmlich fürgestanden und gewant



daß wir des biß anhero ein gut Begnügen gegen denselbigen getragen. Dies  
weil aber er darum nun/ daß er hinführo Missa, wie biß anhero und noch hier-  
selbst im Kirchen-Gebrauch und Übung gewesen/ und sein Dienst und der Pa-  
stor von ihm gefordert/ zu halten sich beschwert und geweigert/ von uns seines  
Dienstes günstig erlaubt; haben wir ihm/ genannten Herrn Johann/ die  
Kundschafts-Schrifft auf sein dienstlich bitten/ mitzuteilen nicht weigern  
wollen; Uhrsundt der obgemeldten unser Stadt hierunter gedruckten Secret-  
Insiegels in dem Jahr nach Christi unsers **HEINRICH** und einigen Seligs-  
machers Geburt/ Tausend Fünffhundert Sieben und Fünffßig/ Sonna-  
abend den 20. Tag des Monats Martii.

In hoc testimonio dant *Heisfeldio* testimonium fidelitatis, sed hoc  
in illo conqueruntur, quod Missas celebrare noluerit. Ita declaratur  
Pontificius & papisticus in proceribus *Tremoniensibus* animus. *Heisfel-  
dius* vero viri Nobilis & istis in locis vere nutritii piorum *D. Georgii  
Schellii*, Quæstoris *Hordensis* in vicinia *Tremoniacæ* urbis commendato-  
rias literas impetrat ad *M. Lubbertum Florinum*, tunc Rectorem Scholæ  
*Wesaliensis* celebrem, cujus deinde opera patet ei aditus ad functio-  
nem Ecclesiasticam in urbe *Wesaliensi*. An unquam *Heisfeldius* purus  
fuerit in religione ignoro. Qualis hodie existat, patet ex historia Ec-  
clesiæ *Wesaliensis* descripta quoque à nobis.

Interim cives non cessarunt sæpius apud Senatum supplicationibus  
instare donec tandem impetrarent, à Senatu sibi usum & concessionem  
calicis in Eucharistiæ Sacramento concedi & porrigi: Ea autem lege  
est à Senatu ista permissio facta, ut similiter illis qui vellent unam ad-  
huc speciem eaque contenti essent more papistico, similiter porrigere-  
tur eadem. Hinc factum est ut in prima communione maximo numero  
ad percipiendum Eucharistiam sub utraque specie confluerent cives,  
& tunc erat eis Dux & Præcessor *Doctor Johannes Scevaestes*, Jureconsul-  
tus, Rector Scholæ & Senator vir doctissimus, quem honoris causa  
nominamus, qui hodie est iudex, & sub quo per annos 25. celebris  
semper schola fuit.

Cum verò ego **HAMELMANNUS** hæc cognoscerem, parvo quo-  
dam Germanico scripto edito ad Senatum & cives *Tremonianos* admo-  
nui ipsos piè, ut juxta Catholicum perpetuum & Unanimem Ecclesiæ  
veræ & antiquissimorum in Ecclesia patrum ac Doctorum consensum  
retinerent utramque speciem & usum calicis, abolita una specie, vel  
mutilata forma communicandi papistis usitata, quæ ante pauca secula  
fit

*Kellwalden  
2. 19. März  
1562*



sit in Ecclesiam introducta. Hoc scriptum mox refutare voluit quidam  
 Colonienſis Theologus *Jacobus Horſtius*, Licentiatus & Canonicus ad  
*S. Gereonem*, juſſu *Godefridi Gropperi*, junioris, Doctoris Juris, Archidia-  
 cono *Tremonienſis*, in gratiam Pontificiorum *Tremonienſium*. Sed ego  
 iſtius Sophiſtico & acuto ſcripto duplicem Apologiam vel reſponſum  
 oppoſui, unum quo confirmo ex ſolidis ſcripturæ & S. Patrum diſti-  
 meam, imo CHRISTI aſſertionem. Alterum, quo oſtendo ejuſdem  
 citandis patribus falſitatem ac vanitatem. Edidi quoque Epistolam  
 ad Senatum *Colonienſem* & oravi Senatum, ut dignaretur diſputatio-  
 nem inſtituere inter me meoſque & *Horſtium* atque ſuos de utraque  
 ſpecie in Euchariftia plebi porrigenda, & de aliis controverſis arti-  
 culis, in qua Epistoſa ego *Colonienſem* Magiſtratum graviter moravi ſui  
 officii, obteſtatusque ſum de impetranda diſputatione, &c. Edidi  
 quoque poſtea de pugna *Horſtii* & *Colonienſium* Theologorum in  
 controverſia de una ſpecie Euchariftiæ laicis porrigenda, &c. Ubi  
 cum prolixè pugnas & diſſidia eorum recitaſſem, tandem his verbis  
 concludo & finio librum: Et offero me contra deputatos, *Horſtium* &  
 alios *Colonienſes* Theologos cum meis ſociis, quorum alibi mentio-  
 nem feci, ad liberam diſputationem, in qua oſtendere queam non ſo-  
 lum ipſorum impietatem falſitatem & perversitatem, ſed etiam totius  
 iſtius conciliabuli Tridentini, quod vilius habeo illo Synedio *Zora* &  
*Caiphe* & reliquorum Phariſæorum ac ſacerdotum contra Chriſtum  
 collecto. Prodeant iſti, & nobis hoc erit facillimum. Petii ſuperiori  
 anno in publicis ſcriptis ab inſtyto *Tremonienſi* Senatu, à præſtantiffimis  
*Juliacis* Senatoribus aulicis, & nuper ab ampliffimis proceribus *Colo-  
 nienſis* urbis liberam diſputationem & ſalvum conductum, & omne il-  
 lud quicquid mihi neceſſarium eſſet ad talem diſputationem conti-  
 nuandam cum ſociis contra adverſarios. Vocavi *Lemgoviam* *Horſtium*,  
 quoniam & hic ſunt æqui iudices, aut ſi ita placeret, ut duceret hoc  
 ſecum ſuos iudices & Notarios, quia ille ſumptus itineris poſſet me  
 melius facere. Ego certè perſto jam adhuc in illa ſententia acquieſcen-  
 per in omnibus meis ſcriptis contra ipſos editis provocavi ad liberam  
 diſputationem & Colloquium, quod etiam hodie dico. Inſent Depu-  
 tati & Jeſuitæ apud Senatum ſuum, vel apud Illuſtriſſimum Principem  
*Juliacum*, quem ſuæ impietatis patronum facere voluerunt, ut  
 diſputatio alibi inſtituatur, ad quam ego & mei Collegæ & ſocii  
 illos, qui mecum refutandam ſuſceperunt cenſuram Magiſtratus



Colonienſium Deputatorum, quam contra optimum *Monhemium* ſcripſerunt, vel qui ipſorum conatus improbarunt in *Westphalia* ex Doctore Eccleſiarum) vocentur idoneè ſub ſalvo liberoque conductu. Inſiſtet *Horſius* apud *Tremonienſium* Senatum, cujus capita audio adhuc cum *Horſio* facere, aut agat hoc per ſuum illum *Godefridum Gropperum*, qui ſe Archidiaconum *Tremonianum* nominat, & gratum ſe *Patriciis* *Tremonienſibus* agnoſcit, ut diſputatio inſtituatur ibidem libera, aperta & vera, more veteris Eccleſiæ. Sic enim ſcribit contra me *Horſius*: Haud mihi diſplicet diſputatio, ad quam ille provocat, &c. Nec mihi diſplicet diſputatio ad quam *Horſius* provocat, modo illa ſit libera, aperta, & juxta normam veteris Eccleſiæ, adhibitis æquis, idoneis & prudentibus judicibus & notariis fide dignis, peragatur. Denique ſi tamen mihi adſint (quod præcavere oportet) mei ſocii & alii boni viri, quos mecum vocari cupio ſub ſalvo liberoque conductu, & deinde ſumptus nobis benignè præſtentur, quos pro noſtra paupertate ferre nequimus, &c. Et nihil equidem magis magisque in votis habeo quam eum talibus in præſentia Doctorem conferre, quod etiam ſine dubio cuperent ipſe *Monhemius*, *D. Kemnitius*, *Artopaus*, & plerique alii noſtræ ſententiæ viri docti. Qui male agit odit lucem, &c. Faciant igitur illi, niſi lucem vitent, ut nos alicubi Magiſtratus vocet ad diſputationem liberam. Si *Horſius*, ſi *Jefuitæ*, ſi *Gropperus* noſcat ſua opera per DEUM facta, prodeant ut cognoscantur. Quoniam illi hujus Tragediæ ſunt exordium, &c. Prodeat nunc cum ipſis *Jefuitis* *Georgius Caſſander* antiquitatis admodum ſtudioſus & peritus, qui Coloniae vivit, ut quia de Traditionibus ille tacitis magnifice & glorioſe ſentire videtur (quo nomine nunc etiam ille incipit gratus eſſe Pontificiis quibusdam) quas tamen nos non vanas & nullius momenti eſſe judicamus, poſſimus & ipſis antiquis patribus de talibus etiam Traditionibus conferre & diſſerere cum ipſo. Sumus ad omnia parati, ut diximus. Suſcipite vos Colonienſes Theologi & *Jefuitæ* unam ex iſtis conditionibus, ſi niti vultis & cupitis bona conſcientia, ſi audetis cum *Paulo* dicere: Certus ſum cui credidi: ſi eſt aliqua doctrinæ veſtræ certitudo, efficit, ut juxta *Petrum* in diſputatione quadam reddatis rationem veſtræ fidei, &c. Hoc autem lector, niſi fecerint, quid hinc aliud cognoscant, niſi illos fugere lucem, &c. Similiter etiam reſcripſi Senatui, Clero & Plebi *Tremonienſi* tractatum, quo demonſtro falſitatem *Jefuitarum* Colonienſium in citandis patribus pro tranſubſtantiatione



panis in Sacramento altaris, & ibi in præfatione iterum ut antea in Scripto Germanico ab eis peto disputationem, & commonetatio eos sui officii, atque ad veram religionem amplectendam repudiata Pontificiorum blasphemia.

Et si vehementer reluctarentur Consules & proceres *Nicolaus Byswortius* imprimis, & deinde *Johannes Hanus* & quoque *Lambertus Byswortius*, dum isti in vivis essent, atque hodie *Albertus Cleppinger*, LL. Licentiatum & *Casparus Prumans*, tamen eò rem perduxere cives ut eis quoque concedatur usus cantionum aliquot Germanicarum. — Arent nonnulli cives Anno 1566. impetrasse parochiam unam, in qua ereticia nostræ religionis planè tractentur. Paulo ante illud tempus quidam civis bonus & præcipuus cum forte dixisset: Si vos non vultis ò Domini, quia satis est cunctatum, tunc oportet nos cives, quos decet magis obedire DEO quam hominibus, incipere sacra illa quæ sunt verbo DEI & Augustanæ Confessioni consona, &c. ast dum vinculis traditus, ibique diu detentus, tandemque urbe privatus perpetuo, cives tamen est *Johannes Borgius*. Fuit ibidem dum esset in vivis *Jacobus Scopperus*, qui multas Comœdias & Tragœdias sacras scripsit (cujus etiam postilla tatis insidiosè & artificiosè scripta exiit in lucem post ejus mortem à D. *Johanne Scevasta* publicata) papismi retinendi magnus autor, quia is primum scripsit pium Catechismum & tolerabilem, quo cognito citatur à *Johanne Groppero*, Coloniam, ut hoc nomine objurgatur. Igitur reversus domum retractat priorem Catechismum, & mox impium & papisticum Catechismum edit, atque ab eo tempore plane repatum & unam speciem retinuit & mordicus defendit ad finem vitæ. Cum vero quotidie Missificaret & continenter viveret & se suamque corpus nimium cœlibatu gravaret, moritur, putrefactus ut videbatur circa pudenda, quem morbum ex continentia nimia vel cœlibatu, qui ei non erat forte datus, contraxisse dicebatur. Post illum & cum illo vehementis erat persecutor Evangelii quidam clamorosus & obellus homo *Gerhardus*, concionator in æde *Reinholdi*.

Primò *Dithmarus Wickradus*, pastor ad divam Virginem dicitur strenuè Evangelii negotium ibi promovisse. Cum autem ibi esse celebris schola, accidit ut sæpe *Scopperus* themata Theologica proponeret: Ita Missam Anno 1548. defendit & sæpe alias alia Pontificiorum dogmata. Contuli Anno 1552. & postea semel, quando planè conversus essem, videlicet Anno 1553. cum eodem *Scoppo*, præsertim



conjugio Sacerdotum, & communionem sub utraque specie laicis porrigenda, & deprehendi nihil solidæ eruditionis in homine fuisse, nisi quod vulgaria & sæpius antea proposita à Pontificiis proferret. Ego cum hæc expedite ex scriptura & patribus refutarem, seduxit se à me. Tandem ex instantia civium hoc est impetratum, ut in æde *Mariana*, *Dihmarus Wickradus*, in æde *Reinholdi Johannes Baropius*, in æde *D. Petri Amandus Leonhardus*, summo consensu Evangelium doceant purè & sincere, atque pie Sacramenta nostra lingua administrent, quod etiam pastor ad *Nicolaum*, *N. Heiliurgus* artium Magister facit; sed is interim papistica quædam immiscet. Sed de illo qui docilis bonam spem habent, ut illa tandem abiciat. Canunt in omnibus templis Psalmos & Canticones Germanicas, & in Schola Florenti Catechismus Chytræi traditur discipulis.

## ECCLESIA HERVORDIENSIS,

Descripta ab

**HERMANNO HAMELMANNO.**

Cum multi cives urbis *Hervordiensis Westphalorum*, circa annum Domini 24. post Millesimum quingentesimum, viderent se libera civitate donatos, & jam à multis audissent de doctrina *Lutheri*, imo ipsi per *Saxoniâ* vagantes dedissent usum & mores reformatarum Ecclesiarum, atque ita pedetentim *Lutheri* & *Philippi* aliorumque scripta emerent, legerentque, & in urbem *Hervordensem* inferrent, ut aliis legenda exhiberent: Denique postquam ipsi Augustani monachi jam antea multum audissent de sui ordinis fratre *Luthero*, capit ita pedetentim mutatio quædam religionis in urbe illa oriri. Nam licet *Johanne Dreyerus*, *Doctore Augustiniano*, primum oppugnaret doctrinam *Lutheri* in gratiam, ut putabatur, patris sui *Hermanni Dreyeri Doctore* & Provincialis per *Thuringiam* & *Saxoniâ* ter istius ordinis (qui cum *Johanne Heckero* diu per *Thuringiam*, *Saxoniâ* & *Westphaliâ* fuerat istius ordinis caput & provincialis, qui duo etiam coætanei erant) tamen incitante *Luthero* & Domino *Johanne Heckero*, *Doctore Augustano Osnaburgensi* per literas, post mortem patris capit Anno Domini 1524. Evangelium liberè & facunde tam in templo quam cœnobio prædicare, cui se mox conjunxit collegam *Doctorem Godeschalcum Kroppius*, prior

Ppp ppp 2

ibi.



ibidem in eodem ordine, qui etsi esset *Johanne Dreyero* inferior eruditione & eloquentia, tamen propter autoritatem & conjunctionem illa utriusque Doctoris confessio non parum *Hervordienſibus* precibus. Accensi igitur cives cogitarunt de Reformatione. Fuit tunc ex collegio domus fratrum *Jacobus Montanus*, Spirensis illustriſis lingue Latine reformator per *Westphalam*, pater sororum. Hinc ante aliquod annus *Monasterio Hervordiam* venerat, qui accensus coeleſti doctrina, & discipulis scribens ad *Philippum Melancthonem*, in cujus patriae vicina natus erat (Nam *Bretia* non procul disjuncta vel remota est ab urbe *Spira*) cepit cum *Bartholomeo Amelio Cœglio* patre in domo fratrum, item cum aliis ibidem viris doctis *Gerhardo Wikampio Xansio*, *Gerhardo Deſero*, *Rogellio* & aliis disputare & conferre, ut simul illos in suam perduceret pertraheretque sententiam.

Illi igitur omnes incipiebant libere & palam de Evangelio disserere & annunciare multis, donec tandem Neopolitani parochiani *Gorgio Hoyoero*, papistico concionatori suo auferrent claves templi & ipsi interdicerent ministerium, ejusque in locum constituerent *Johannem Blumbergium*, qui deserto monachatu cepit Evangelium docere. Atque tunc quoque in omnibus Monasteriis abjecerunt Missas, impia sacra, & id genus alia. Tandem suasu *M. Rodolphi Molleri*, depositi cocullam *D. Dreyerus* (valde suavis in docendo) qui *Rintlenſis* Consulis omnia predeſtentim promoveri cupienti absque tumultu, nimirum indulsit. Et cum *Dreyerus* usque ad annum trigesimum esset timidior, est demum *Witebergam* profectus conferens cum *Luthero*, *Pomerano* & aliis, rediitque armatus & confirmatus. Interim alii plerique exierunt vestem Monachalem, inter quos fuerunt *Johannes Christianus* & *Albertus Lonicerus*, uterque *Gardianus* Cœnobii Franciscani vel Minorum, quos ut capita juniores sequebantur. Hoc cum viderent veteris oppidi incolae caperunt quoque mutationem religionis urgere, quanquam ipsis resisteret Domina de *Hervordia* Monialis, quae Rectorem *Scholae M. Rodolphum* propterea citaverat *Paderbornam* atque accusaverat, quod aliquas conciones Germanicas in supremo templo in dem *Witebergam* inceperat, &c. Tandem illa suasu *Hermanni Stalbecki* trium cantilenarum Germanicarum: *Es woll uns Gott genädig seyn*, *Erwähl dich meiner*, & *Aus tieffer Noth*, usum & melodiam ipsis in isto concedit templo & permittit suggestum Anno 31. Doctore *Johanni Dreyero* cui paulo post Anno 32. adjungitur ex domo fratrum collega *Antonius*



*Meyerus*, cui, quia in uno loco diu hæere non potuit, succedit *Johannes Christianus*: Iste vero cum iret ad *Uffenienses*, successit ei *Albertus Lonicerus*. Postea cum non satis stipendii haberet *Doctor Dreyerus*, abiit ad *Mindenses* circa annum 40. ubi etiam mortuus est, & ei successit *Henricus Vogelmannus*, (quia & ille atque simul *Conradus Meyerus* & plerique alii ex *Augustiniano* sodalitia jam dudum exuerant habitum) In novo oppido autem per quatuor annos docuit *Blombergius*, & mortuus est. Deinde huic successit *Jodocus Deiterdingius*, qui adhuc in Domino superest. Cum autem *Vogelmannus* vocaretur aliò in *Saxoniam* per *Corvinum*, successit ei *Johannes Hunschius*, qui fuerat prior *Dominicanus Lippia*, quo mortuo fuit ibi aliquandiu solus *Lonicerus* in ministerio, tamen postea opera *M. Rodolphi Mollerii* factus est illi Collega *Remingius Albanus Hessus*. Cum autem interea ex *Livonia* veniret *Jodocus Coccinus, Hervordienfis*, & propterea per ordinis præfectos ibidem Nobiles, esset ex *Rigenfis* Ecclesiæ ministerio ejectus non sine vitæ discrimine, quod dixisset & docuisset, ordinem illum *Theutonicum* non esse à patre cœlesti, itaque propediem eradicandum (in qua re fuit verus propheta, ut eventus docuit, quoniam luxuriantes misere punire solet cum *Sodoma* & *Gomorrah* Dominus) hæsit ibi in patria, & cum ibidem aliquoties docuisset pro concione, fiebat acceptus, ut grata esse solet novitas, civibus. Itaque hoc unum cum suis egit, ut *Remingius Albanus*, vir tamen pius & doctus, qui à paucis propter idioma superioris linguæ intelligebatur cedere cogeretur pauper & miser. Sed *Coccio* idem accidit. Cum enim ex *Saxonia* reversus esset *Henricus Vogelmannus* *Corvino* propter eruditionem & lectionem charus, septimo *Saxone*, qui illum in *Ducatu Brunsvicensi*, in oppido *Hamelensi*, & deinde in *Alfeldensi*, per *Corvinum* Ecclesiæ præfecerat, tempore Interim est *Coccinus* ministerio turbatus, & *Vogelmannus* resumptus, quia non erat iste more papistico rarus & unctus. Deinde alia erat istius ejectionis ratio videlicet hæc, quod liberior fuisset in reprehendendo *Domina* & aliis ibidem adhuc clericis tunc agentibus. Is *Coccinus* ex mœnore paulo post animam egit. Superest adhuc *Vogelmannus* jam senex, & *Lonicerus* est mortuus, cui successit *Franciscus Westerkatenus*, quem cum non sequeretur sua uxor ex ditione *Magdeburgica*, & aliquandiu solus vixisset, deperit tandem aliam puellam, quam cum vellet ducere, id ei est prohibitum. Is interim hoc matrimonium voluit probare ex



legitimis causis pro concione, atque ita est dimissus, ac ei succedit alius quispiam *Conradus Vergerius*, Daventriensis.

### De persecutione Evangelii ibidem facta.

**P**Auci erant in ipsa urbe hostes manifesti Evangelii, etsi *Domina Anna Comitissa de Limborg* aliquandiu impedire conaretur cursum Evangelii, tamen illa tandem cessit ipsorum votis. Ex Canonicis Collegii favebat *Doctori Dreyero* imprimis *Henricus Stakelbeckius*, & *M. Johannes Grestius*, qui postea factus est Decanus. Sed erat uterque timidus. *Hermannus* autem *Engelkingius*, pastor in veteri oppido in initio omnium vehementissimè oppugnabat doctrinam Evangelii, sed postea tamen approbavit. Capita urbis, religioni favebant semper, quamquam id timide quoque facerent, inter quos *Johannes Rinlenius* fuit, vir tamen citra controversiam bonus. Consul verò *Hanebom* se quoque opposuit primo civibus gratificaturus *Dominae* & aliis Clericis. Sed cum liberiores essent cives in suo proposito, quorum Dux fuit cum plerisque aliis *Henricus Potgeter*, nemo zelum & conatum eorum impedire potuit.

Cum autem fratres profiterentur quoque, ut diximus, Evangelium *Hervordia*, accidit interim ut duo ex illis, nempe *Henricus Schutte* Procurator, & *Gerhardus Xantis*, negotii causa alio proficiscerentur, atque *Paderbornam* venientes hospitarentur in domo Sororum Anno 1525. en præter opinionem ibidem capiuntur, jussu *Principis Erni de Grubenhagen* & captivi in arcem *Dringenberg* ducuntur, tanquam *Lutherani* & suspecti hæreseos. Ibi cum diu in vinculis tenerentur, tandem intercessione *Dominae de Hervordia*, *Anna Comitissa de Limborg* (quæ mortua est anno 1565.) & *Comitis de Lippia, Simonis*, ea lege dimittuntur eos, ut ei trecentes aureos *Rhenenses* numerarent fratres, atque promitterent se deposituros *Lutheranismum* data cautione, quod si illam novam *Lutheri* doctrinam reciperent in posterum, daturus Episcopo eidem mille aureos. Cum autem illi postea pergerent strenuè in reatu Evangelii doctrinam retinenda & propaganda prætendentes violentum juramentum vel extortam obligationem, non esse, præsertim in rebus divinis servandam: Ecce incepit rursus ille pomposus Episcopus minaciter ad fratres scribere, quod fidem fregissent, & ideo mille illos aureos extorquere. Dum hæc ita fiunt anno trigésimo, & illi se excusarent, & simul modeste doctrinam suæ confessionis defenderent



tum quoque exponerent in literis, quomodo coacti à plebe istam primò doctrinam suscepissent, nuncque aliter se non posse agere, en mox anno sequenti, dum illi in metu & periculo versarentur, moritur Episcopus ille. Cum autem *D. Dreyerus* conscripisset *ordinationem Ecclesie Hervordienfi* anno 1532. & ipsa à civibus in curia & simul in templo majori & prælecta plebi cuncta & gratiarum actione comprobata anno 1532. Dominica Quasimodogeniti, &c. quam deinde *Doctor Bungenhagiu*, *Witebergæ* anno 1533. edidit, & honorificè præfatus, valdè commendat in præfatione *D. Johannem Dreyerum*, & orat senatum & alios ut honorifico stipendio sustentent concionatores: Et dicit se excusasse & adhuc se excusare propter istam sententiam, quod tenuem mercedem adjudicavit in ordinatione *Brunsvicensi* ministris. Imò apertè dicit aliquoties Senatum *Brunsvicensem* confessum esse, in sua ordinatione nimis tenuè assignari cuilibet concinatori stipendium, sed se aucturum liberaliter. Summa ordinationis hæc est:

Primo docent rationibus quare ordinationem hanc conscripserint, videlicet propterea, ut unanimitas doctrinæ & ceremoniarum ubique observari possit, deinde ut omnia decore & cum ordine fierent in Ecclesia. Secundo prolixè tractant de dignitate & officio ministerii & de idoneis personis eligendis ad hanc functionem. 3. De confessione articulari. 4. De Sacramentis & Christianis ceremoniis. 5. De baptisinate & quomodo illud administrandum, videlicet juxta formam ordinationis *Brunsvicensis* expressam. 6. De Sacramento altaris & de abusu Missæ Pontificiæ, & contra de verò usu Eucharistiæ, & quomodo illa administranda sit, imprimis vero nostro idiomate & honestis ceremoniis. 7. De matutinis precibus, & quomodo & qualiter illæ celebrari debeant. 8. Quomodo vespertinæ preces celebrandæ. 9. De electione & depositione concinatorum & eorum stipendio loquuntur. 10. De Christiano Banno vel excommunicatione. 11. De pia omnium Christianorum conversatione. 12. De Festis per annum observandis. 13. De Scholis & Consistoriis, ac quod scholæ collaboratores sint alendi, & quæ debeant isti studiosis pueris proponere. 14. Quomodo in gratiam puellarum, & Germanica tantum cupientium discere, sint aliæ Scholæ instituendæ. 15. Agitur de Custodibus & Organicis. 16. De cura pro pauperibus habenda, & de Diaconis constituendis, & de electu habendo mendicorum. 17. De conjugio & à quibus personis illud sit à DEO permissum. Hæc tractantur in illa ordinatione *Witebergæ* edita.

Hanc



Hanc ordinationem cum publicassent & edidissent, Senatus, Deputati & concionatores in urbe *Hervordiensis*, factum hoc egerunt tulit *Johannes, Dux Clivensis* evocatus à Domina propterea, quod citra ejus consensum ordinationem emisissent, cum jurisdictio tantum ad se pertineret. Ideo Domina orat Principem agentem tunc in vicinia *Comitatu Ravensburgica*, ut dignetur ei ipsius Celsitudo manus auxilium porrigere. Clivensis Dux, promptus anno 34. evocat mox *Hervordiam* concionatores *Hervordiensis*, ut redderet rationem & causam suæ editæ confessionis & ordinationis. Sed interim isti præ metu non comparebant (quanquam *Rintlenius* Consul promittere se videri fore quod nihil periculi accidere deberet *D. Dreycro* & aliis concionatoribus, oraretque eos, ut comparerent coram Principe, quibus saluum conductum & securitatem promiserat. Sed noluit *D. Dreycro*, jam exemplo ejectionis & violentiæ factæ per eundem non ita pridem in urbe *Lippia*, territus) ita demum Princeps ipse abdicavit ordinationem istam, nec voluit in ceremoniis mutationem fieri, nullaque & oblata ipsis sua ordinatione mandavit, ut juxta ejusdem doctrinam & ceremonias ibidem expressas instituerent ministerii officium. Ita quidem tantisper mutarunt quædam in ritibus Ecclesiæ, donec ille Dux in *Comitatu Ravensburgico* præsens esset. Facta quidem mutatio, manentibus tamen iisdem ministris, sed absente & discedente illo Principe statim est deposita nova suscepta forma, ac iterum abolita illa mutatio propter Principem nuper adsumpta. In ea autem re plurimum peccarunt concionatores *Hervordiensis*, primo quod *Hervordie* non comparerent, deinde quod propter metum aliquid mutarent & variis essent. De isto ipsorum effugio & metu etiam *D. Urbanus Rhegius* est conquestus, quod graviter in istis rebus peccassent, de qua re in Epistola ad *Johannem Montanum* & *Gerhardum Corinum* data conqueritur *Urbanus* anno 1534. quæ Epistola etiam hodie apud me est. Quantus tamen vir *D. Dreycro* fuerit, non solum sæpe mihi *M. Robertus Molternus* retulit, sed etiam ex literis Reverendi & Præstantis Doctoris Theologi *Johannis Langi*, Erphurdensis Ecclesiasticæ (quem *Lutherus* tam magni fecit, ut in tomis Epistolarum *Lutheri* centum fere Epistolæ ad ipsum *Johannem Langum* scriptæ extent) apparebit, quam *D. Dreycro*, & quanti *D. Gerhardus Heckerum* & *D. Wessermannus* fecerit. Opinor has literas scriptas esse anno 1529. Sunt autem hæc



Præstanti viro D. Johanni Treigero apud Hervordiam divini verbi Ministro ac Doctore Syncero, ut fratri charissimo suo. Gratia & pax tibi per CHRISTUM. Jam olim admodum sollicitus fui, charissimè Treigere, ubinam tu gentium viveres, quid Westphalia hoc clara lucis tempore faceret. Commodum autem jam me Stachelbeggius salutavit tuo nomine, quo nihil gratius tunc me contingere potuisset, qui non de te modo, verum etiam de Doctore Westermanno unico & jucundo sodali meo, quum Wireberga simul essemus, de Doctore Heckero, qui me olim ut filium complectebatur, de tota vestra illa Saxonia, quam vocant antiquam, multaque grataque denarravit. Verum summo gaudio tum me affecit, quum te referret pureque syncereque Christi Evangelium, καὶ πίστις etiam, prædicare, ac rem eo promovisse, ut adversarii crucis Christi resistere revera non possint. Videmus verum esse, quod Paulus scribit: Si DEUS pro nobis, quis contra nos? Et ille rex ait: Non timebo millia populi circumdantis me. Papistas vestros in multis victos esse, eosdemque in nonnullis vobis cedere audio, in quibus multo sunt nostris prudentiores, simul & tolerabiliore. Sunt enim nostri Sophistæ prorsus excæcati, aures suas obturantes, ut vocem audiant incantantis sapienter, ut tamen mali, nos devorare volunt, nihil adhuc efficere contra Evangelium quiverunt. Dici vero non potest, quibus officiis, quibus malis artibus CHRISTUM interficere sæpius tentaverint. Atqui nostrum, qui Evangelion hic docemus adhuc sunt novem. Nihil jam adversarii habent, quod nobis objiciant, nisi Cæsarem, qui brevi venturus sit, nostramque doctrinam, pariter & nos funditus everfurus. At cor regis in manu DEI. Nec de capillis nostris unus est in terram casurus sine DEI voluntate. De aliis rebus nostris & malis, hic Stachelbeggius te certiore facere potest. Equidem jam βίγαμος sum, cui Dominus ex hac uxore familiam filiolo & filiola benignè auxit. Vale in CHRISTO, qui te in suo ministerio confortet, & ora pro me, qui non in rosis vivo. Ocyf: Erphurdæ, 18. Junii.

JOHANNES LANGUS,

Erphurd.

### De certaminibus Ecclesiæ HERVORDIENSIS.

Circa annum trigessimum post millesimum quingentesimum à nato CHRISTO cum jam fere annos ex Monasteriis discessissent divisis inter se bonis Monasteriorum, quorum aliqui *Minda*, aliqui *Hervordia*

Q99 999

in



in ministerio, aliqui etiam privatim tum *Hervordia*, tum *Langensie* xere, en ceperunt *Hervordienſes* transferre Augustinianum cœnobium ad usum scholæ, & tunc pedetentim cogitare de juvanda domo matrum (erant enim circa annum Domini 1528. usque ad finem anni 1534. ordinati novem præcipui ex civibus, qui reformarent Monasteria & illorum bona disponerent ad legitimum usum) Itaque fratres literas dederunt moderatore ipsorum Patre *Gerhar do Wiskampio*, Xantio, & serorum Patre *Jacobo Montano*, Spirensi ad *Lutherum* & *Philippum*, & ipsorum opem, consilium atque intercessionem petebant. Illi igitur *Witebergæ* graviter & serio ad Senatum & ad novem illos delectos, tum quoque ad *Comitissam Dominam Hervordianam* scripsere, & literarum hæc erant sententia: Ipsos fratres non esse turbandos, cum piè & fraterne in animis viverent ædibus, seque ex labore manuum suarum sustentarent. Adjecerant enim fratres literis brevem summam suæ domesticæ institutionis atque simul doctrinæ ac vitæ. Scripsit igitur *Luther* hæc verba ad istum librum ei per fratres oblatum propria manu: *Jch Martin Luther / bekenne mit dieser meiner Hand / daß ich nichts Unchristliches in diesem Büchlein finde / wolte / daß die Klöster alle so ernstlich Gottes Wort wolten lehren und halten / &c.* Hæc propria manu *Lutheri* annotata videtur. Illi interim novem Deputati, apud fratres de mutanda veste, & publica in publicis Ecclesiis communione percipienda, latius institutos, sed respondit *Lutherus* manu *Philippi*: Satis esse si piè viverent, quæcumque uterentur veste, & non cogendos esse illos ad communionem Ecclesiæ, postquam illi locum conventionis & simul Doctores & prædicatores habeant in ædibus, ubi commode possent Sacramenta percipere & doctrinam Evangelij ex concione in suo illo cœnobio. Postea anno 1534. rursum per legatos *M. Rodolphum Mollerum*, Rectorem Scholæ & *Herricum Potgeter* missos *Witebergam* hoc apud *D. Lutherum* & *Philippum* agebant cives, ut ad usum scholæ, in totum, aut saltem pars domus fratrum transferretur, sumpta occasione ex primis illorum Epistolis, quas Superioribus istis annis ad *Hervordienſes* dederant *Lutherus* & *Philippus*, in quibus fortè scripserant, Monasteria in usum scholarum vertenda, &c. Hic nunc ita respondent & per literas & per legatos, præter ista scripta esse intelligenda de cœnobiis amplius reditus ex dono Principum, Comitum, Nobilium & potentum hujus sæculi, possidentibus, non de illis, in quibus juxta morem istorum fratrum, forerantque, quæ in communibus istis ædibus piè & sanctè sub uno vestitu



vunt, contentæ communi victu, & ſe ſuſtentantes ex laboribus manuum ſuarum, &c. rectè vivitur.

Poſtea tandem recruduit iſta controverſia anno 1537. tum de iſtis præfertim communibus civitatis oneribus ferendis: Sed tum fratres prolati coram Domina literis *Lutheri & Philippi*, atque antiquis privilegiis, ſunt ruruſum paci reſtituti. Imo redintegrata eſt de novo controverſia de re eâdem inter paſtorem novi oppidi *Jodocum Deiterdingium* circa annum 1539. quæ in annum uſque 1542. duravit, quo tempore tandem illos excommunicavit ob hanc cauſam quod in publica Eccleſia ab ipſo non ſumerent Sacramentum Eucharistiæ. Sed tandem res eſt compoſita per mediatores *Albertum Lonicerum*, paſtorem veteris oppidi & *Arnoldum Wulffhardum*, Conſulem novi oppidi & *Richardum Monehen* qui perlectis literis *Lutheri & Philippi*, facile paci conſulere potuerunt, quo tempore *Theodoricus Bredevortius* (qui fuit in diſputatione Monaſterienſi) jam mortuo *Johanne Xantio*, & ejus ſucceſſore, qui Xantio in paternatu (ut ſic loquar) ſucceſſerat *Gerhardo Deckero*, patrem agebat in domo fratrum. Circa illa tempora cepit etiam novum quid tentare *Johannes Hunschius*, communicans apud infirmum plures, & convocans Eccleſiam in ædibus, ubi erat infirmus: Verum cum hic admoneretur ab aliis, quicquid contingeret infirmo, fieri more veteris Eccleſiæ ex neceſſitate propter infirmum, & jam in promptu, non poſſe alios eſſe præparatos ad ſumptionem apud agrotum ſubito, imò hoc indecorum eſſe extra Eccleſiam & deputatum locum facere. Itaque poſtea omiſit.

Fuit quoque aliquando inter veteris & novi oppidorum concionatores controverſia de *Psalmo paſchali: Chriſt iſt erſtanden / x.* Alii volebant in fine canendum: *Got wolt unſer Troſt ſeyn.* Alii: *Chriſt wil unſer Troſt ſeyn / x.* Sed illa tamen erat controverſiuncula. Male etiam convenit inter *Vogelmannum & Lonicerum* neſcio quibus de cauſis, tantum quod audiam propter tenuem eruditionem non ſatiſfeciffe in concionibus *Lonicerum Vogelmanno*, qui emunctioris naris vir eſſet & ardui judicii.

Anno autem 1563. Cum quidam circumferaneus impoſtor & exorcista veniſſet (de quo in *Oſnaburgenſis Eccleſiæ* hiſtoria latius diximus) *Hervordiam*, & miſere decepiſſet plebem, quæ ut immobile vulgus ſolet, contemptis & miſere traductis concionatoribus ſui cæperat adharere phanatico exorcifanti & ejicienti demones verbis Evangelii eortoris



toris præter scripturam & DEI verbum, peccans ita in secundum præceptum, en cum ei reclamaret *Vogelmannus*, cepit novus concinator *Franciscus Westerkarens* suffragari cæco impostori, & suam operam in exorcizando per noctes & dies conjugere, quamquam fructus idque forsan in gratiam plebis admodum imprudenter faceret. Itaque honeste hoc nomine à *Jodoco* nostro *Hockero* taxatur in pio scripto *Wannæ Teuffel* quod contra istum circumferanium cæcum editum in nostra Ecclesia *Hockerus*. Anno 1565. mortua *Anna Limburgia*, *Domina Hervordiana*, substituitur *Margaretha*, nata *Comitissa de Lippes*, quæ antea in coadjutricem electa fuerat ab *Anna*, in cuius electione & confirmatione, etsi illa semper fuerit generosa & vere pia virgo & *Domina*, tamen ajunt papisticas quasdam ceremonias & papistas adhibitos, inter quos dicitur fuisse magnus ille curtifanus & Ecclesiasticorum beneficiorum devorator *Antonius Minschius*, *Mindasus*, qui etiam postea donatus fertur ab eadem *Domina* pastorem majorem templi, quo fuit homo impius plane indignus, qui nomen habet à *Minsche* / sed non est dignus ut nominetur homo, potius nominaretur bestia, sed recte dicitur *Minsche* / quia carnalis homo vere est.

#### De Schola Evangelica apud HERVORDIENSES.

Celebris inde semper à patrum seculo *Hervordi* fuit Schola. Verum Evangelicam ibi primo scholam formavit, rexit & instituit *M. Rodolphus Mollerus*, *Mindensis*, cui eunti *Mindam* propter metum *Dominae*, successit *Conradus Understallius*, *Hervordientis*, qui monasterium in *Mollenbeck* deseruerat, sed cum ipsi res non feliciter succederent, revocatur *Mollerus* Anno 1532. Sed ipso in Saxoniam eunte, vocatur in ipsius locum *Homerus Butcheranus*, *Hafelunnenfis*, qui duo annos multos sub *Timanno* Monasterii lector fuerat quartæ classis, ac deinde Conrector, postea etiam *Brunsvigæ* scholas rexit. Illo vero Consensente vocatur *Osnaburgæ* ex schola Evangelica, quam turbaverunt ibi Papistæ tempore Interim, *Christianus Sleibingius*, qui etiam antea *Hannoberæ* & nuper *Osnaburgæ* magna cum laude scholas rexit. Hic habuit Conrectorem *Henricum Olphenium*, qui deinde ei, cum revocaretur ad scholam Majoris Ecclesiæ *Osnaburgensem* *Sleibingius* succedit. Et cum ille *Siba* *Olphenius*, qui multis scholis diversis in locis per plurimos annos inde à juventa usque ad extremam canitiem insisterat, consensesceretque in ea opera, deponeretur, & assumitur



suus olim discipulus *Albertus Lenicerus*, junior, veniens *Witeberga* Magister, qui cum per quinquennium præfuiſſet ſcholæ, regreditur *Witebergam* & in hujus locum revocatur *Johannes Glandorpius*, Monasterienſis, de quo in Monasterienſi hiſtoria diximus, ubi etiam in ſua patria, & deinde per Saxoniam, *Hamelungam*, *Brunſvigam*, *Hannoheram*, & *Goſlariam* celebriter ſcholas rexerat, ut erat homo doctiſſimus & multæ lectionis. Sed cum & ille in regimine deficeret propter Senium, deponitur ruruſum iſte, & revocatur *Lenicerus*, qui etſi à multis commendatus ſit propter eruditionem & ſuavem venam in carmine ſcribendo, tamen ab aliis hoc nomine reprehenditur, quod permiferit duos iſtos ſenes tam bene meritos de juventute & ſcholis ita de ponte dejici, & ſe in iſtorum locum ſubſtitui fecerit. Mox poſt privationem moritur *Glandorpius Hervordia*, cujus vitam & doctrinam deſcripſit oratione & carmine docto *Albertus Lenicerus* junior, qui fuit, ut dixi, in ſcholæ regimine ſucceſſor *Glandorpii*, profitens artes humaniores magna cum laude. Huic ſucceſſit *Franciſcus Luckius*, Paderbornenſis, vir doctus. Nam *Lenicerus* ad *Luneburgenſes* proficiſcitur Anno 1567.

## De RENATO EVANGELIO In URBE LIPPIENSI

BREVIS ENARRATIO,

Auctore

HERMANNO HAMELMANNO.

**A**blegarunt Auguſtiniani Monachi Anno 1521. ex urbibus *Lippia* Monasterio ſuo *Witebergam* duos ſtudioſos monachos nempe *Johannem Weſtermannum*, Monasterienſem, & *Hermannum Koitenum*, Beckemenſem, ut ibi Theologiæ operam darent, inde reverſus eſt promotus Doctör *Weſtermannus* anno 1524. & alter *Baccalanens* Theologiæ factus eſt: Et iſte prior, hic præſidens vel lector in cœnobio ordinatus eſt. Illi jam inſtructi, illuminati & eruditi à Doctore *Luthero* & aliis cæperunt Evangelium pacis annunciare in urbe *Lippia*, ibi ex tota urbe & ex vicinis oppidis & urbibus confluebant ad utriuſque conciones magno numero homines. Cum vero hoc conſideraret *Weſtermannus* conſcripſit Catechiſmum, præcipua capita doctrinæ Chriſtianæ complectentem, idioma *Westphalico*, & ejus exemplaria inter mul-

Qqq qqq 3

tos



tos distribuit, quem avidè & emerunt & legerunt tam oppidani quam exteri vicini. Subdita autem fuit ex veteri papistico more sub dicitur vel chrismate Coloniensi *urbs Lippia*, ideo, postquam is Catechismus qui spirabat Lutheranismum, perveniret ad aulam Clivensis & Juliaccensis *Ducis Johannis* (qui cum *Comite de Lippia* æquo jure Imperium istius civitatis obtinet, quod non ita dudum adepti erant eius *Ducis* majores à *Comite Lippiensi*, paulo antequam ipsis *urbs Sularensis* cederet & se eis daret) & ad Colonienses Theologos & papistas ideo mor impetrant veniam in aula Clivensi Colonienses Clerici & Theologos, ut liceret eis *Lippiam* ablegare suum hæreticæ pravitatis inquitorem, Monachus igitur quidam cum literis & plena potestate *Episcopi Clivensis* & *Principis Clivensis*, atque Cleri & universitatis Coloniensis, annuente etiam *Comite de Lippia, Simone*, venit *Lippiam* dicitur *Dux Johannes Host de Romberg / Kirspensis*, hæreticæ pravitatis inquitore. Id propterea ad eam urbem advolavit, ut hæreticam inde pravitatem extirparet. Is igitur primo concionatus est 16. Martii Anno 1526. & finita concione hos sequentes articulos pronuntiavit hæreticos, quos primò latinè, deinde Germanicè proposuit plebi.

1. Abstinentum est à lectione librorum Lutheri sub pena excommunicationis & Ecclesiæ jurisdictione, &c.
2. Quicumque dixerit, quod nova Lutheranorum secta seu fides earum sit recta, errat.
3. Quicumque dixerit, quod tenens istorum sectam, non morietur mera morte, errat.
4. Quicumque dixerit, quod Witebergenfes Lutherani & eorum vicini sint conversi ab antiquo errore ad veram fidem, errat.
5. Magna fatuitas est, dicere, fore necessarium quod fides & veritas sit intratura in hanc civitatem *Lippiam*, si hoc intelligatur de doctrina Lutheranorum.
6. Quicumque non credit authoritati Ecclesiæ Romanæ & summi pontificis, errat.
7. Quicumque conciliis generalibus in causâ fidei detrahit auctoritatem, errat.
8. Quicumque tenet, papam Romanum non esse super alios Episcopos, errat.
9. Quicumque non vult admittere alios Doctores, quam scripturam Bibliæ, errat.



10. Qui dixerit, solam fidem sufficere sine bonis operibus, errat.
11. Quicumque dixerit, quod homo non habeat liberum arbitrium, errat.
12. Quicumque dixerit peccata non necessario confitenda Sacerdoti esse, errat.
13. Quicumque dixerit non esse opus satisfactione pro peccatis, errat.
14. Quicumque dixerit humanas leges & constitutiones non obligare seu nihil esse, errat.
15. Quicumque dixerit non jejunandum esse, errat.
16. Quicumque dixerit sanctos non esse colendos, errat.
17. Quicumque dixerit imagines non esse venerandas, errat.
18. Quicumque dixerit, purgatorium non esse, errat.
19. Quicumque dixerit excommunicationem nihil esse, errat.
20. Quicumque dixerit indulgentias nihil valere, errat.
21. Quicumque dixerit quod vellet opinionem vel mores suos contra Inquisitorem defendere; errat, quia contra pravos hæreticos non est disputandum.

*Doctor Westermannus & Hermannus Koitenus, & Hermannus Haleswalt/* obtulerunt se ad disputationem, sed hanc detrectavit ille depravator veritatis & monachus: Tunc quoque ex monasterio Dominicano his conjunxerunt sese *Johannes Hunschius* & alii, & pater in domo fororum *Telmannus Menzelius*. Interim *Hoflius Rombergius* evocat illos Coloniam, ut coram Theologis ex universitate disputatio fieret. Illi responderunt, quia nostram doctrinam hic coram plebe damnas, cupimus etiam eam hic coram plebe tueri. Sed is munitus autoritate Principis Clivensis non curat illos, sed regreditur ad suos, & gloriatur quomodo illos evocaverit Coloniam ad disputationem, sed quod illi comparere non fuerint ausi, de qua re etiam Pontificii gloriati fuerant in aula Clivensi. Verum cives hinc contra facti sunt animosiores cum viderent Coloniensem monachum & Doctorem detrectare disputationem in *urbe Lippia*, atque effugia quæsisse in eo, quod alio ipsos evocaret, magis magisque inflammabant novas Evangelistas. Ideo circa annum 1528. & sequentem augebatur numerus Evangelicorum Doctorum. Nam prioribus additi sunt *Wilhelmus Cappellius Burenfis*, & *Jacobus Leidigenus, Lippiensis*. Circa annum trigésimum cum jam plerique Monasterium deseruissent, cucullam abjecissent, uxoresque duxissent, alii ad alios se conferebant locos. Manserunt autem *Doctor Westermannus*.



*stermannus, Hermannus Koitenus, Wilhelmus Cappellius, & Jacobus Laidigenus.* Evocatur autem *M. Gerhardus Omikenius, Camensis,* qui de *Buricæ* in oppidulo circa *Rhenum Ducatus Clivia,* quoque cum *Erwin Nordano,* & post *Johannem Clopifsum,* gubernator doctrinæ veræ esse ceperat, quo nomine anno 1529. inde eje&us erat: Hic inquam qui per Saxoniam jam migraverat & formam Germanicæ Missæ, quæ in diversis locis suscepta erat observarent, reversus nunc domum in *Westphaliam* vocatur à civibus anno 1530. de consilio *Westermanni* (quibus propterea fecit, ne ille solus videretur rem agere) ut ipsorum Ecclesiæ formam in Ceremoniis & celebranda missa moderaretur atque integram ordinationem toti Ecclesiæ præscriberet. Quod cum faceret, non audebat tamen illam propter suos Dominos *Ducem Clivensem & Comitem Lippia* in lucem dare. Sed incepit primo *Wilhelmus Cappellius,* Anno 1531. primam Missam Germanicam ex præscripto *Omikenii* celebrare Dominica sequenti post Festum assumptionis Mariæ. Hic aliquoties graviter scripsit *Clivensis,* ut illos Apostatas monachos abdicarent: scripsit quoque minaciter, se indignè ferre, quod jam ipsum hominem seditiosum, quem nuper ejecerat *Burica,* ipsi in suam, hoc est, sui Principis ignominiam, susceperint, videlicet *Omikenium.* Illi interim responderunt se verbum DEI amplexos & ipsos monachos Augustinianos ita edoctos à suis provincialibus & majoribus, nunc primum ex proprio motu concionatos in Monasterio, & cum vidissent eos Doctores, qui fuerant his præceptores, foveri à *Principe Electore Saxonie Johanne,* se quoque petere supplices, ut velit ejus Celsitudo hanc quoque ipsis permittere libertatem, ut hos qui veram doceant retinere possint. Quod ad *Oemekenium* attinet, mox esse discessurum eundem. Ille respondet non esse illorum concionatores eligere & vocare, vel constituere per parochias, sed Magistratus esse, hoc est ad se & ad *Comitem de Lippia* pertinere, itaque præcipit ejici novos illos Apostatas, qui eam doctrinam propagent quæ sit à Papa & Imperio per Censuram damnata. Si vero cupiant ordinationem ut paululum expedire se editurum ordinationem, quæ citra controversiam tolerabilis esse debeat. Responderunt cives, se illam doctrinam ab Augustiniano illis primo propositam, cognoscere esse veram CHRISTI & Apostolorum doctrinam & consentaneam scripturis sanctis, ideo de more veteris Ecclesiæ se vocasse illos viros, quos ita ad manum habebant antequam alio vocarentur, ad curam parochiarum, & orare nunt  
sup.



supplices, ut hoc eorum institutum conscientiae causa susceptum, velit clementer interpretari Dux: Nam addunt conscientiae causam nullam posse moram vel dilationem ferre, ideo oportere sese permanere in suscepta doctrina. Hinc magis excandescens *Clivensis Princeps* hæc perscripsit ad *Comitem Lippia*, & ex communi deliberatione illi duo Heroes scribunt serio *Lippiensibus*, ut deposito suo instituto, & amotis Apostatis sese subjiciant suis Dominis & suscipiant veterem religionem, atque amotos Pontificios ab ipsis eorum Dominis de veteri more legitime ibidem ordinatis suscipiant, sin minus se id indignè laturos.

Hic rursus ut antea respondent idem cives. Interim oppidani cum vident quosdam Consules & Senatores Evangelio adversari (eosque magis applausum quærere Principis & Comitum) ideo ipsos deponunt, & quos putant causæ religionis magis favere, in illorum locum adsciscunt: Deinde eligunt triginta cives, qui causam Evangelii promoverent. Imo cum adhuc Senatui non fiderent, eligunt adhuc sexaginta, qui una cum Senatu rerum potiuntur, in quorum electione tumultus excitatur, ubi Senatui quasi suum jus adimitur, turrets, aggeres, mœnia, portæ & aliæ munitiones ab eis invaduntur, claves portarum rapiuntur. Hæc tumultuosa actio magis iram & indignationem duobus Heroibus inflammavit, ideo non laturos se istam petulantiam ex communi deliberatione concludunt. Dux vero tam Severus in proposito erat propter vicinos *Susatenses*, *Comes* vero propter *Lemgovien-ses*. Ideo gravissime iterum scribunt duo Heroes ad *Lippienses* cives, his verbis; Se nunc cognoscere non solum ipsis subditis satisfuisse in urbe turbasse ex parochiis Pontificios, & Apostatas in illorum locum citra Magistratus sui & Heroum ac Dominorum suorum consensum assumplisse, sed jam quoque eos veterem morem civitatis invertere conatos esse, atque nunc illos exclusisse & ejecisse Consules & Senatores, qui fuerunt de Principum urbis jussu & suffragio assumpti, imo oppidanos contra Magistratum & Principes suos primo triginta, deinde sexaginta viros quasi autores seditionis elegisse, & voluisse ordinationem DEI legitimam, hoc est, formam Magistratus invertere, ita quod etiam sine dubio facerent in ipsis suis Principibus deponendis, si compotes ipsorum fieri possent. Hæc igitur cedere primum ad ignominiam & ad detrimentum urbis. His omnibus adhuc accedere, quod aliquoties tumultum excitassent & violenter egissent, qua ratione declaraverint, quid sub prætextu Evangelii quæsierint. Ideo jubent ut omni-



bus novitatibus amotis, veniant ac petant gratiam & reconciliationem &c. Sed jam eò erant cives progressi, ut aliquoties responderent Principibus suis, se non posse cognoscere, in qua re iniquè egissent contra ipsorum Celsitud. cum hoc unum conentur ut dent Cæsari & suo Magistratui, quæ sint Cæsaris, DEO autem quæ sint DEI: Fuisse quoque semper apud *Lippienses* cives morem receptum, ut ipsi elegerent Senatores & alios. Dominos autem & Principes mittere quosdam suos legatos tempore electionis, ut hi in ipsorum approbatione assisterent tanquam testes, quomodo juramento sese tales noviter electi obstringerent Dominis & Reipublicæ *Lippiensi*: Ideo sperare se, quod nihil iniquè egerint contra suos Heroes, etsi quosdam alios elegerint ad majorem Reipublicæ utilitatem. Optare autem & petere se supplices à suis Dominis Principibus, ut Illi dignentur eum ipsi sultere, qui hæc ipsis Dominis persuaserit, se fore paratos ad legitimam obsequionem. Hic iterum minaciter responderunt Heroes, & miserant jam aliquoties utramque suam ordinationem Princeps Clivensis jam tunc editam Anno 1532. & deinde anno sequenti secundam ordinationem divulgatam, & præceperat is solus sæpe, ut illam susciperent mutata religionis suæ forma & abjectis Apostatis. Verum illi cives submissè respondebant, fuisse Coloniacum Doctorem ante aliquot annos, qui noluerat se committere cum ipsorum concionatoribus in Colloquiis, ideo se non potuisse eos, qui se semper ad amicam collationem & æquam cognitionem obtulerunt tunc ejicere: Et adhuc illos minuitos ita animatos esse, ut si convincantur erroris, velint desistere ceptis. Si quoque apertè comprobetur illorum receptas ceremonias esse impias & contrarias verbo DEI, ipsos quidem velle eas abolere & aliam ordinationem suscipere: Nunc verò id facere conscientie causa, cum tantum illam formam ceremoniarum in administratione Sacramentorum, & doctrina Evangelii propaganda retineant quæ sit Doctoribus & ministris usitata in regionibus *Illustriss. Saxonie Electoris Johannis & Philippici, Landgravia Hassie*. Hac accepta *Lippiensium* responsio, magis inflàmmat & excitat contra *Lippienses* cives Dux Clivensis, Comes *Lippia*, qui adeo tamen infensus non erat civibus & urbi, quæ à suis majoribus extructa & ædificata est ad amnem *Lippiam*, & metuetur etiam is *Landgravium Hassie Philippum*, qui dicebatur eis patrocinari, cujus beneficiarius erat Comes. Deinde valde pro *Lippiensibus* oratorat *Comitissa uxor Simonis*, Evangelio addicta & nata ex Comitibus de



Manselbt. Verum à Clivenſi Duce perſuaſus conſenſit in condi-  
 nes *Lippienſibus* graves, qui ſic nunc demum reſpondent civibus: Quo-  
 niam neque culpam agnoſcant, neque deſiſtant cœptis, neque de tu-  
 multu excitato verba faciant, vel etiam veniam precentur, imò cum  
 ordinationem Principis à tot doctis Europæ viris (intelligebatur *Era-  
 ſmus Roteroſodamus*) comprobatum non ſuſcipiant, ſe (Principes) eis  
 in poſterum omnem indignationem indicere. Illi adhuc precantur  
 ſupplices, ut illis concederetur clementiſſima audientia, & ſe excu-  
 ſant de factò tumultu, verum non amplius reſpondetur eis. Sed anno  
 Domini 1533. (quam ſint qui putent id anno Domini 1535. factum eſſe,  
 ſed ego multas habeo rationes & probationes, quæ declarant & oſten-  
 dunt hæc anno 1533. facta & geſta eſſe) viæ, ne commeatus transferre-  
 tur in urbem, ocluduntur, & omnibus vicinis pagis & oppidis, eo-  
 rumque incolis graviter mandatur ne quicquam importent obſonii aut  
 aliarum rerum neceſſariarum in *urbem Lippiam*. Oppidani aliquam-  
 diu interceptionem viarum & cinctiōem oppidi ferunt magno mœ-  
 rore & egeſtate, & interim varia conſilia agitant, & quidem aliorum  
 Dominorum opem implorant, ſed ſerius. Ita tandem variæ actiones  
 & ſupplicationes inſtituuntur, verum nullam gratiam amplius impe-  
 trare potuerunt, tandem egeſtate & penuria rerum coacti ſunt pro-  
 mittere Principibus ſuis ad ipſorum nutum, ut quando & quomodo  
 vellent ipſorum Ceſſitud, aperiri deberent eis portæ civitatis, & ita ſe-  
 ſe planè dederunt & arbitrio Dominorum tradiderunt, ut quicquid  
 vellent iſti cum ſuis agerent, auff Gnade und Ungnade. Ita in die aſcen-  
 ſionis Mariæ ingrediuntur oppidum *Clivenſis Dux Johannes, & Comes de  
 Lippia Simon, Comitatus Rethbergico Heroe & Comite*, qui *Lippiaco* nepos  
 ex ſore erat, & aliis Dominis ac Comitibus, habentes ſecum mul-  
 tos nobiles & copioſiſſimam equitum turmam. Poſtridie conveniunt  
 in curiam, ibi quærentur concionatores & autores tumultus & petu-  
 lantiores cives, qui jam per indicium proditi erant, ac capiuntur tur-  
 ribusque includuntur, alii domi ſuæ incarcerantur. Cum conciona-  
 toribus & quibusdam aliis ſeverius ſtatuerat agere *Clivenſis* ex inſtin-  
 ctu Conſiliariorum, quia ipſe alioquin lenis erat natura, ſed *Lippiacus*  
 hoc nolebat. Dixit enim: Illuſtriſſ. Princeps oportet nos recordari,  
 quæ & quanta meus parens *Bernhardus* veſtro avo præſtiterit, cum  
 tantum damnum noſter Comitatus, oppida & pagi, Dominium totum  
*Lippiacum*, à *Bohemis* acciperet: Oportet quoque V. Ceſſ, recordari,  
 Rrr rrr 2 quam



quam animosè per aliquot annos tam grave bellum, incurtionem ob-  
 fidionem, vexationem & varia damna in gratiam vestri avi à Colonien-  
 sibus sustinuerint hi *Lippienses* cives: Quomodo etiam obfessi sint à  
 tanto numero Bohemorum per aliquot septimanas: Ac quomodo illor-  
 um impetum sustinuerint, & tamen non sine suo extremo damno &  
 malo se ita fidos præstiterint *Lippienses* cives, vestro avo tunc sustinente  
 bellum à Colonienfi Præsule propter urbem Susatum, quæ sese vobis  
 dederat. Decet igitur erga illorum nepotes, vos adhuc esse clemen-  
 tes, &c. Propterea aliquam gratiam exhibere. Cum similiter etiam  
 manum statuerent concionatoribus injiciendam, id si debet fieri,  
 inquit *Resbergicus*, mox cum protestatione exibo urbem. Nam ego ni-  
 mo non sum vobiscum ingressus eam, ut aut vis concionatoribus fie-  
 ret, aut aliqui etiam de vita periclitarentur, sed ut moderatio fieret.  
 Idem dixerant & alii quidam Heroes, &c. Jam igitur mitior factus  
 Clivenfis, cepit tandem quærere, de modo procedendi in hac causa.  
 Alii ab ipso prius primam sententiam expectabant. Cum aliis aliter pro-  
 ponerent, tandem ita conclusum est, ut ejicerentur concionatores,  
 & quidam factionum & novitatis autores. Sic & concionatores qua-  
 tuor ejiciuntur, ut *D. Westermannus*, qui postea factus est concionator  
 Monasterii, sed cum etiam ibi Anabaptismate everteretur, ex  
 commendatione *Antonii Corvini*, per *Landgravium Hassæ Philippum*  
*Seniorem* constituitur pastor in oppido *Geismar* / vir profecto Hebrææ  
 linguæ doctus & eximius Theologus, de quo sic cecinit *Johannes Palsius*  
 Poeta Westphalus in suis Epigrammatis †

Si quisquam est verus veræ pietatis amator,  
 Sinceroque fidem pectore si quis habet.  
 Si cuiquam est solido vivax sapientia corde,  
 Non unquam trepidis concutienda malis.  
*Westermannus* is est Doctor quem carmine præstans  
 Pieris Aonio non fatis una canit.  
 Non tulit hunc nuper sanctissima verba ferentem,  
*Lippia*, Philosophum non tulit illa pium.  
 Cæca quidem tanto non fuerat digna Magistro,  
 Abstulit ingrata munera magna DEUS.  
 Nimirum ille pius simul & doctissimus ille,  
 Non illo in populo vivere dignus erat.



Ergo quod invidia cessit procerumque furori,

Fortunæ auspiciū candidioris erat.

Hassica nunc tali *Geismaria* digna paracho,

Quæ petiit Domino dona ferente tulit.

Pastoremque suum digno veneratur honore.

Cujus ab eloquio cœlica verba canit.

Quid is præstiterit in hoc Comitatu *Lippia* & in urbe hac *Lemgovia*, explicatur in ejus loci historia Ecclesiastica. Vir gravis & doctus, atque in Hebræa lingua excellenter versatus, mortuus est *Geismaria* bene senex & optimus Doctor Ecclesiæ, &c.

*Hermannum Coitenum* diu exulantem, tandem mortuo *Simone Lippico*, vocant *Diihmoldiam* Deputati ibidem, ubi etiam mortuus est, cujus viduam reduxit *Johannes Hoffmeisterus*, *Detmoldiensis* concionator Evangelii per diversos locos.

*Jacobum Ledigenum*, suscepit Comes *Tecklenburgicus Conradus*. Quod abierit *Johannes Cappellius* ignoro. *Telmannus Menzelius* postea Sulati conditionem consequitur: Quidam etiam nobilis eduxerat *Hermannum Halewatum*, &c.

Ejectis jam concionatoribus fit deliberatio de civibus captis & domi suæ traditis, & quidam ex iis ejiciuntur, inter quos erant Consul *Regnerus*: Alii pœna pecuniaria multabantur. Interim Senatus valde orat Principes suos, & subornat alios proceres & cōsiliarios intercessores idem orantes, ut dignentur suis civibus concionatores qui Augustanæ sunt Confessionis concedere, alioquin nullam fore spem de speranda & consequenda concordia & tranquillitate Reipublicæ impetranda, cum sint in ea doctrina fundati, & ita ea Confessione imbuti, ut nunquam possint aut velint ab illa sententia discedere cives, & haberent multos intercessores Comites & Nobiles, hoc quidem Principes ita eis concedunt, ut à se tanquam collatoribus hujusmodi concionatores mittantur, imo hoc etiam iterum à suis subditis *Lippiensibus*, Senatu & civibus exigunt, ut tantisper ea religione fruantur donec aliud suscipiatur, vel in generali vel nationali concilio, aut generaliter per totum Imperium ab omnibus statibus, quæ quidem tunc sine ulla tergiversatione suscipere deberent, quod ipsis ita placuit: Aliaque multa politica in recessibus & literis ratificationis, quibus dirimebatur controversia, sunt scripta, quæ huc non pertinent. Petebant sibi permitti *Johannis Costeri* vel *Scomeri* (patris *Conradi Schomeri*) ministerium,



sterium, qui fuerat Augustanus & familiariter quoque convixerat acque nuper ex oppido Gesele ditionis Colonienfis propterea, quod hi sub nomine terminari cœperat Evangelii doctrinam celebriter aduncucullatus (ut reor) prædicare, ejectus erat, nunc vero *Lippia* prorsitim exuta cuculla vivebat, & jam etiam conjugium inivit. Huic conceditur ut pomeridianis temporibus purè & sincere doceret, ac *Pilmos* caneret cum populo. Hoc ille solus aliquandiu exequitur, donec ab utroque Heroë duo mitterentur concionatores Evangelici. Mittuntur tandem duo: *Marcus Bennens* & *Henricus Latefontanus*, qui tres pure docuerunt Evangelium CHRISTI & concorditer vixerunt, quibus quartus adjungitur ex regimine scholastico *M. Johannes Platenus*. Et ita in isto Evangelii cursu permansit Ecclesia & concionatores usque ad tempus Interim: Tantum quod quidam *Johannes Quackhardus*, Geselekenfis, qui olim ab utroque Principe in possessionem acceperat pallo-ratum ad S. Jacobum, semper retineret papistica sacra, & Pontificiam religionem exerceret usque ad annum 1559, invitis civibus: Interea nemo illum vel turbare in suo malo proposito audebat. Verum is paucos auditores & spectatores suæ stultitiæ habuit, videlicet aliquot delicias apus similesque Pontificios,

### Quid acciderit tempore Interim.

**T**empore Interim anno 1548. miserunt in urbem suos Legatos *Princeps Juliacus & Clivensis, Wilhelmus Johannis filius* atque *Bernhardus Lippiacus Comes Simonis filius*, & per eos mandarunt Senatui & civibus, ut reciperent doctrinam Interim. Senatus & cives deprecabantur istam mutationem, sed admoniti suæ stipulationis prioris, cogebantur cedere juxta formam recessuum. Ita vocabantur in curiam concionatores Evangelici *Marcus Bennens, Henricus Latefontanus, Johannes Kosterus & Johannes Platenus*, & ille Papista *Johannes Quackhardus* acque simul Præpositus *Gerhardus de Brevevolt*. Ibi reliqui tres immotabant in Evangelii doctrina asserenda & defendenda. Verum *Marcus Bennens* cum *Quackhardo* suscepit interimisticam scabiem, & propterea reliqui tres eo ipso die cogebantur discedere ex urbe cum uxoris & liberis. *Bennens* ergo jubetur altero die Missificare more papistico, sed quia cæperat rabulam forenfem agere, ideo in diversis itineribus aliquid incommodi in altero pede acceperat, hoc igitur malum protendebat dicens propter cruris imbecillitatem se tam diu stare non posse.



posse ut perficeret Missam Pontificialem: Ita ille habetur excusatus ea lege, ut crure sanitati restituto Missam ipse perageret. Interim nulli adhuc nisi in Jacobina Ecclesia ab illo *Johanne Quackharde* Missæ & Pontificia idola atque sacra perficiebantur, & nemo inveniri potuit qui se ad Missificationes applicaret. Offert tandem se quidam cerevisiæ Bataviæ coctor *Johannes Reibergius*, is abrogata legitima uxore, accepit literas (forte à Præposito) alicujus provisionis, & cum his se conferret *Paderbornam*, atque ibi suscipit gradus & ordines Presbyterii & reversus *Lippiam*, is primus in æde divi virginis capit missificare.

Anno 1549. citantur oppidani *Lippienses* à *Cæsare Augustam* & accusantur tanquam confœderati *Smalcaldica* conjunctionis, cujus nomine licet se excusarent, tamen injungitur eis summa septem millium aureorum *Renensium* solvenda, quam persolvere cogebantur. Præpositus quoque Interimisticum concionatorem constituit *Lippia Johannem Mercatorem*, qui modo *Camæ* docet pure, & est verus pastor, accessit ei quidam *Godfridus*, qui duo mediocriter sincere & aliquanto purius docebant. Istis omnibus accessit insulsus papista *Johannes Heinius*, *Cottensis*, qui cum *Marck quarto* vehementer in singulis ferè concionibus Lutheri doctrinam damnavit confirmatus à Suffraganeo *Colonienfi* Theologo Licentiate *Johanne Noppio*, *Lippiensi*, qui in eo totus erat ut in sua patria papatus iterum vigeret. Sed Dominus dedit his quoque finem.

Cum vero melior aura spiraret, & Pontificii aut ultro cederent, aut morentur, ecce *Johannes Pungelius*, *Lunensis* cæpit anno 1554. Evangelium docere atque Sacramenta sincere administrare, cui mox accessit collega *Henricus Schroderus*, *Bilsfeldensis* loco *Johannes Mercatoris*. Hi graviter docere Evangelium cæperunt, ut profecto *Schroderus* licet sit homo levioris doctrinæ, miram habet gratiam docendi: His accessit collega quidam *Jacobus Kintvaderus*, *Lunensis*, atque tandem alii boni viri. Sed cum viderentur *Pungelium* & ille *Jacobus Cinglianissimum* sapere, & ipsi etiam de tenuitate Stipendii sui conquererentur, sunt dimissi, & nunc pacificè in Ecclesiis docent *Henricus Schroderus*, *M. Conradus Schomerus*, vir doctus & in linguis versatus, cujus aliquot libri extant, *Johannes Neopolitanus*, *Gerhardus Unnensis*, *Johannes Brinckhusius*. Hi anno videlicet 1567. docent & fuerunt semper concordés. In vicinia urbis *Lippia* vir syncerus & doctus jam per annos fermè de-



cem docuit Evangelium CHRISTI in pago Lippinade nomine *Johannes Walterus, Lippiensis.*

Scholæ Ludimagistri & Rectores fuerunt juventutis inde ab anno 1527. quam diu ibi sonuit vox Evangelii, hi sequentes. *M. Johannes Platenus*, qui factus concionator locum dedit *M. Georgio Hourlagio*, qui postea promotus est Doctor Medicinæ, cui successit *Heningus Walterus, Hildesimensis*, post quem *Hermannus Cocleus*, gubernacula suscepit Scholæ, & in ejus Schola tunc laborarunt, *Johannes Friccius, Havelensis*, vir doctus & *Bernhardus Hokerius, Osnaburgensis*. Post hos electus est *Laurentius Sibelius*, qui hodie est Juris Consultus & LL. Licentiatus, cui Conrector erat *Antonius Hestermannus*, qui modo Doctor est Juris & Professor in Academia Marpurgenfi. Deinde *Gerdardus Tichmannus, Bilsfeldanus*, qui hodie in pago Comitatus *Rauenbergii* *Wersmell* est pastor, & huic erat Conrector *Johannes Walterus*. Post hos venit *Temhardus Nagelius, Hervordienfis* ad juventutis moderationem & habuit Conrectorem *Engelbertum Copium*, cui is locum reliquit abiens secundo *Witebergam*. *Copio* Conrector erat *Johannes Kirchmannus, Selmensis*, (qui ab eo tempore *Lemgovia, Susati* & alibi Scholis inservivit) *Copio* cum fratre *Bernhardo Lemgoviam* anno 1559. abeuntis succedit *Sebastianus Grevenstenius*, qui ordine Conrectores habuit *Johannem Berninckhusium*, qui concionator fiebat, mox *Bernhardum Hakenium* & *Adamum Burensem*. Tandem vocatur Colonia *M. Conradus Scomerus*, qui non sine laude præfuit Scholæ & plerique aliorum, cui contigit Conrector *Bernhardus Orestes Horstmarianus*, citra controversiam in linguis tribus excellenter versatus & multæ lectionis & magni ingenii juvenis, qui dehinc *Susati* primo Conrector mox Rector factus, & licet à Doctore *Joachimo Morlino*, ad regimen Scholæ *Martiniæ Brunsvicensis* urbis evocaretur, tamen *Brunsvicensis*, apud quos in maxima frequentia auditorum Scholæ præest, extorquetur à *Susatensibus*, quanquam in vitis *Susatensibus* eum detineant *Brunsvicenses*. Post hunc fit Conrector *Paulus Aprimontanus*, & hodie, *M. Lambertus Florinus, Lemgovienfis*, qui per multos annos *Wesalia prævia* Scholæ, Regimini scholastico in hac urbe præest anno 1568. Sed *Lippiensis* eripitur & transfertur ad *Lemgovienfes*.



HISTORIA RENATI EVANGELII  
In ECCLESIA URBIS LEMGOVIENSIS,  
COMITATUS LIPPLÆ WESTPHALORUM,

Auctore

HERMANNO HAMELMANNO.

Cum anno 1517. edidisset propositiones contra indulgentias Doctor Lutherus, legerat forte eas venerandus senex *Engelbertus Preinius*, itaque uno aut altero statim anno elapso consultus ab *Hermanno à Wipper* Consule, postquam huc venissent tales indulgentiarii, & magno numero venales obtulissent hujusmodi bullatas literas, quid sentiret de talibus literis, & an suaderet etiam eas emendas, responderat prudenter *Preinius* his verbis: Mund und Säcklein zugessthan / was wil man doch in die Kasten legen / darzu wir keinen Schlüssel haben. Quasi diceret multum de istis loqui, non erit tutum, sub tanta pontificiorum tyrannide, interim non suadeo illas literas emendas, & pecuniam perdendam. Postea etiam eas indulgentias reprehendit quidam simplex & indoctus sacrificulus *Henricus Toniesingus* privatim apud multos, quo nomine exofus fuerat sacrificulis.

Circa annum vigesimum & sequentes legerat quidam Scholæ Conrector *Henricus Hamelensis*, *M. Jodoci Wolthufsi*, Cancellarii Ducis *Erici de Brunshweig* Praceptor, Lutheri reliqua edita scripta & multis legenda communicaverat, ut plurimis innotesceret impietas Pontificiorum. Legerat etiam deinceps magna fide & diligentia *M. Engelbertus Preinius*, quondam urbis Secretarius scripta D. Lutheri, & his commotus zelo quodam se missarum celebratione abdicaverat anno 1522. sub eo tamen pretextu, quod senio confectus esset. Nam tum legerat scriptum Lutheri de privata missa, & disputationem *Lipscam*. Ideo accidit cum quidam monachus observanticus ex hujusurbis Monasterio, nomine *Franciscus Assendienfis*, homo clamorosus, sic argumentaretur pro Papa Romano pro concione: Christus est caput Ecclesiae & simul Petrus, atque deinde Papa, ut vicarius Christi & successor Petri, &c. Hic mox aperta voce, sed latinis verbis respondet ad hoc argumentum *M. Engelbertus Preinius*, in media concione sic: Sic caput Ecclesiae est simul Christus & Petrus & Papa. Ergo Ecclesia est monstrum triceps. Hisque dictis prolatis exivit templum. Huic seni accessit



fit filius suus *M. Hermannus Preinius*, qui etsi Romana praxi & Curia  
fana nequitia valde esset exercitatus, & ista meditatione & exercitio  
sibi collegisset aliquot beneficia, tamen cum moneretur à patre, legi  
scripta Lutheri, & quia ingenio & doctrina valuit, intellecta causa  
plurimum hic & alibi non sine jactura sua, Evangelium & ipsius nego-  
tium valdè promovit.

Circa annum 1524. Conrector *Schola Nevelinus Mollenbeckhu* scri-  
ptis Lutheri oblectatus plurimum præstitit in promovenda veritate  
Evangelii apud *Lemgovientes* cives. Circa eadem tempora inceperat  
quidam Sacellanus in templo *D. Nicolai* nomine *Wesselu N.* tacere abu-  
sus Pontificios, qui propterea etiam dimissus est cito. Idem quoque  
accidit alteri cuidam Sacellano *Hermanno Swagero* concionanti de me-  
mòria *D. Johannis* & dicenti, peregrinationes ad quædam loca, ut sunt  
sanctorum, esse impias & male fieri. Nam is propterea citabatur *Pader-  
bornam* & cogebatur Thesaurario & Archidiacono hujus loci nume-  
rare 10. aureos. Hæc sunt initia renati Evangelii in hac urbe.

Postquam vero *Hervordia* in vicina urbe circa annum Domini 1525.  
auspicio Doctoris *Johannis Dreyeri, Lemgovientis*, inceperunt se pecca-  
tentim nonnulli ex civibus *Hervordiam* conferre, ut ibi doctrinam  
Evangelii audirent, & ritè summam veræ religionis addiscere cog-  
noscerentque, quibus mediis etiam accessit lectio librorum *D. Lu-  
theri* & novi Testamenti tunc à *D. Luther* versi. Ita circa annum 1527.  
& sequentem cæperunt se graviter opponere cives sacrificiis & simul  
etiã quibusdam Senatoribus. Interim quendam *Ludimagistrum* me-  
diocriter instructum nomine *Johannem Grasselmannum* & Sacellanum  
ad *D. Nicolaum Petrum Gosmannum* hominem verborum & audacem  
*Paderborna* vocarunt propterea Pontificii sacrificii, ut ita cum mi-  
nachis terminariis sibi adjunctis & numero auferentur & confirma-  
rentur confortarenturque contra Lutheranos. Sed tanto animosius  
pergebant cives in proposito, quanto magis se opponerent veritati  
pontificii & cæperunt ante & post concionem paulatim Germanicos  
Psalmos canere: Nun bitten wir den heiligen Geiſt/ 2c. Es wollt uns Gott  
genädig seyn/ 2c. Wir gläuben all an einem Gott/ 2c. Allein Gott in der Höh  
sey Ehr/ 2c. Ista omnia patienter ferebat papisticus pastor ad *S. Nicolaum*  
*Mauritius Pideritius*: Tandem inflammati cives (quorum Duces & ca-  
pitalesignani deligebantur postea viginti quatuor ex præcipuis civibus)  
abierunt *Hervordiam*, & inde adduxerunt huc monachum quemdam  
Muc-



Minoritam *Franciscum Liborium Rodolphi, Paderbornensem*, qui capit per aliquot Dominicas à prandio docere, & ita terminarios, qui semper à pomeridiano tempore diebus festis docebant pro concione, opera civium explodere. Sed cum cives & ipse *Liborius* simul viderent rem succedere & augeri Evangelicorum numerum, eripere etiam *Pastori Pideritio* suam stationem. Nam abeunti ad suggestum eripuit *Liborius* concionandi occasionem *Pideritio*, & sic primum Evangelium docuit. Verum illo discedente ex suggestu post finitam concionem, ascendit suggestum *Mauritius Pideritius*, quoque protestatus de injuria sibi in sua parochia facta per violentiam, petens deinde, ut Catholici ipsum sequi vellent ad ædem *D. Johannis* suburbanam, quæ erat annexa veteris urbis parochiæ, quanquam illud *Gamaelis Actorum*, Si est hoc institutum ab hominibus, dissolvetur, si ex DEO est, non potest dissolvi: de toto illo negotio posuerat etiam: Ita ille secessit in parochiam divi *Johannis*, quæ est in suburbio. Cum inde quoque minus civium turbaretur) occupavit sacellum pagi *Niem* sed quia illud remotius erat ab urbe, capit papistico more & docere & *Missari* in pago *Brack* & habuit multos ex oppidanis sequentes. Interim cives ceperunt contra illum fremere vehementer, & evocatum ad disputationem à *Liborio* jusserunt comparere. Ibi ille cum duobus Monachis observantibus volebat papismum defendere, & coram Senatu & civibus contra *Liborium* & adjunctos (qui habebant dicta Pauli ad Romanos, & Epistolæ ad Hebræos perspicua, & simul Pauli ad Corinthios de Eucharistia in promptu, interim producta patrum testimonia respuebant solidis scripturis contenti) disputabant, sed interea cum in acerbiter res procederet, noctu clam ex curia dimissus est *Pideritius* (quia disputatio protrahebatur in multam noctem) abiitque domum. Ibi disputabatur de missa an esset sacrificium. Argumentis Eccii (qui tunc ediderat volumen pro sacrificio *Missæ*) utebatur *Pideritius* diligenter. Sed *Petrus Gosmannus* vel *Gattendorff*, *Sacellanus* & *Johannes Graffelmannus* promiserant *Pideritio* se graviter defensuros cum ipso partes Pontificiorum: Verum cum privatim apud quendam terminarium monachum *Franciscanum Minoritam Hermannum Harswinkelium*, apud quem hospitabatur *Liborius* contulisset & disputasset *Graffelmannus* Ludimagister in præsentia *Johannis Deiterdingii*, & convictus esset à *Liborio Rodolphi* & *Johanne Deiterdingio* ex perspicuis scripturæ & primæ Epistolæ ad Corinth. & Epistolæ ad Heb. testimoniis, nec jam



*Pideritio* astitit, nec Pontificiis adhæsit, sed ita fecit, cum uno tempore, multi sacrificuli Calendarii collecti essent, & vellent sua sacra opera & cantione *Grasselmanni* peragere, præter omnem spem innotando Germanicos Psalmos incepit canere: Et cum offerretur conditio Evangelizandi in Neapoli, in quod cum deductus per cives pervenisset, vidit undique ab altaribus currentes sacrificulos cum suis cultibus & ornamentis, quoniam omnes astabant altaribus missificatis.

Sed interea Senatus potissima pars hoc egerrime ferebat, præteritum Consules, inter quos erat ex patricia familia vir celebris & doctus *Conradus Florikenius*. Sed fuit interim Senator & quæstor urbis *Johannes Deiterdingus*, qui probe legerat Paulum, & Epistolam ad Romanos memoria commendaverat. Is inquam scripturis manifeste convincebat contradicentes in Senatu, & eò rem promovit, ut plerique Senatores ab ipsius starent partibus. Et quanquam *Conradus Florikenius*, Consul pro sua sapientia de futuro urbis periculo de profanatione mysteriorum, de seditione in urbe orta, de confuso doctrinæ novo ordine, & contra de pulcherrimo Ecclesiastica Hierarchia in Ecclesia Romana statu, & successione diceret sæpè & prolixè, tamen nihil promovit, sed suffragiis vincebatur. Quare se postea abdicavit Magistratu & tandem etiam urbem exivit commoratus in pago urbi vicinissimo ubi mortuus est. Multa tamen legerat ille, & erat insignis jurisconsultus: Versabatur quotidie in S. Patrum scriptis, & quæ nonnulla sententia erant consona diligenter annotavit. Formidabile fuit sibi isti nomen Ecclesiæ Catholicæ & Hierarchiæ quædam placuit, quam putavit esse in Romana Ecclesia, & eam caput totius Ecclesiæ statuit, & quæsit in Romano Præsule gubernaculum, atque dixit legitimum ordinem servandum in Ecclesia, eumque oportere esse in Ecclesia. Ego hominem vidi & novi, & post ejus mortem, multos librorum ipsius perspexi, quia decrepitus senex usque ad annum 1177 vivit. Electus est tamen postea in consulem filius ejus anno 1177 nomine *Florinus Florikenius*, qui fuit summus fautor *Johannis Montani* & diu utiliter Reipubl. inservivit, adhuc superstes.

Cum autem cogitarent cives de ejiciendo ex domo pastorali *Pideritio*, & propter ipsius in papismo pertinaciam, ei quoque minarentur graviter, discessit hinc *Hervordiam* & ibi aliquandiu hæsit. Interea deposita cuculla & ducta uxore pergebat strenuè *Liborius Rodolphi* homo profecto ad excitandos & movendos homines mirus. Sed *Johannes* præter



præter ſpem incidit in morbum *Liborius*, quem ajunt eum attraxiſſe ex uxore, qui quotidie augebatur & gravabatur, quo etiam interiit poſt aliquot meſes. Hunc dicunt morbum Gallicum fuiſſe. Decumbenti *Liborio* & tandem morienti ſub finem anni 1531. vacabat Eccleſia diu per aliquot meſes. Poſtquam vero ſalutandi amicos & cognatos cauſa veniſſet *Brema*, *Johannes Gleſekerus*, alumnus hujus urbis, vir gravis & doctus, beneficiatus in templo Anſchariano *Bremenſi*, rogatus à civibus hujus urbis, ut dignaretur aliquandiu adhuc ægrotante *Liborio*, ſupplere vicem *Liborii*. Docuit igitur magna fide Evangelium CHRISTI is, ſed Sacramenta non adminiſtravit, verum ad eorum adminiſtrationem adhibuit quendam monachum Auguſtinianum *Johannem Duvingen* & deinde aliquot alios, qui huc poſtea venerunt, ut *Conradum Underſtallium* & *Johannem Pottium*. Interea fuit *Hervordia Pideritius* & audivit *Doctoris Johannis* conciones, unde aliquem guſtum Evangelii percepit. Ideo etiam propter veterem familiaritatem (quia *Pideritius* fuerat ſub papatu in his partibus præpoſitus Synodalis) pro eo ſcripſerat ad *Lemgovienſes* ſenatum & cives, ne illum ad fidem vi aliqua cogerent *Doctor Dreyerus*. Revocatur igitur *Pideritius* à Senatu & civibus, quoniam de illo bene ſperare cæperat *Johannes Gleſekerus*. Reverſus *Pideritius* diligenter audivit conciones *Gleſekeri* & legit interea Epistoſas Pauli & locos communes *Hermanni Bodii*, collectos ex patribus, qui tunc editi erant. Ibi etſi notoriè etiam pro concione ſæpe pungeretur à *Gleſekero*, tamen non puduit illum redire ſemper ad Eccleſiam. Itaque alloquitur quodam tempore *Pideritium Gleſekerus*, & amicè cum eo confert, & de multis inſtituit ipſum, eique libros communicat & ſic ad Evangelicæ doctrinæ cognitionem ex gratia Chriſti perducit, eoque hominem permovet, ut interdum etiam pro eo in ſua parochia doceret. Tandem *Johannes Gleſekerus* rediturus ad ſuos *Bremenſes* petit à Senatu & civibus ut ſibi eligant ex tribus propoſitis, *Mauritio Pideritio*, *Johanne Potto* & *Conrado Underſtallo* unum aliquem parochum. Sic & à Senatu & à civibus eligitur *Pideritius* paſtor iſtius templi in papatu, qui deinde à *Gleſekero* confirmatur & precibus atque ſoleni ritu inauguratur. Is vero ita ſuſcipit conditionem, ut peteret ſibi licere prius cum viro aliquo Senatorio proficiſci ad aliquam celebrem urbem Evangelii doctrina illuminatam, ut inde referre aliquam certam formam ceremoniarum, & methodum docendi Evangelium atque Catechiſmum, & ritum adminiſtrandi Sacramenta, ubi etiam



posset conferri cum doctis viris, ut magis confirmaretur in vera religione. Res illa protrahitur in sequentem annum propter sumptus. Tandem illo urgente attribuitur illi socius *Johannes Deiterdingus*, Senator ac quæstor, & proficiscitur ita ad *Brunsvicensem* Ecclesiam, & est tunc Inspector *Martinus Gorolitus* Superintendentem & ejus Coadjutorem *Henricum Winckelium*, in initio anni 1533. atque lingualis sibi perspectis, etiam per multos dies cum ipsis locutus esset, regressurus cum prædicto Senatore literis etiam Doctorum & Episcoporum Ecclesie *Brunsvicensis* instructus, in patriam & tunc intrepide ac feliciter subit suum novum munus de illorum consilio ducta quoque ure.

*Petrus Gosmannus* vel *Gottorpius*, inde ab initio in *Nepoli*. In ædo D. Johannis suburbana nemo docuit. Nam tamen *Deschmaldis* ex aula aliquoties *Comes de Lippia*, *Simon* mitteret postea unum vel alterum *Papistam*, qui in isto templo sacra perageret, tamen illi omnes turbabantur à civibus, ideo nemo ad eam parochiam redire ausus fuit. Hæc & omnia alia ægerrime ferens *Comes Lippiensis* urbis Dominus nominat *Simon* (qui fuit *Hermani Simonis*, *Comitis Lippiensis*, *Speigelbergii* & *Pirmontani*, &c. qui hodie superest & junioris *Comitis Simonis de Lippia*, *Bernhardi* felicis memoriæ filii avus) evocavit suum vicinum *Principem Paderbornensem*, *Episcopum Ericum de Grubenhagen* / qui etiam erat *Episcopus Osnaburgensis*, & cum illo deliberavit de intercipiendis viis *Lemgovienfis* itineribus. Sed interim intercessionibus aliorum & nobilium hujus Comitatus eò res deducitur, ut ad viciniam arcis *Bract*, prope urbem evocarentur cives & concionatores, quod fiebat post Festum Michaelis Anno 1531. Ibi *Gleskerus* vix bis concionatus exposuit altante sibi *Grasselmanno*, viro docto coram utroque Principe, quomodo ille ad talem functionem administrandam rogatus & vocatus esset, & quid doceret, & quod sua doctrina esset fundata in verbo Dei, præcipue autem doceo ego, ait, præstandam obedientiam Magistratui etiam vero, & ei honorem debitum tribuendum. Ita paululum remissus factus est *Comes*, sed sequentibus annis magis incandescens cum eis pergere fortiter videret, varia contra *Lemgovienfes* meditabatur, sed placabatur literis *Illustrissimi Principis Landgraviæ Philippi Hesse*, cujus erat beneficiarius seu feudarius, quas impetraverant viginti illi quatuordecim ex civium numero, qui Evangelii negotium agebant, ad hoc potissimum deputati cum Senatu Anno 1534. missis eo duobus vicis præcipuis *Johanne Deiterdingo* & *Noltero Doickepero*.



Cum autem Senatus & utriusque a tribunitia potestas sibi inciperent serio in suos etiam humeros transferre curam Evangelii & Ecclesiarum, etiam cogitarunt de iis eligendis Consulibus & Capitibus, qui possent id quidem cum ipsis serio facere. Delecti sunt itaque novi Consules in initio anni trigesimi secundi *Ludolphus Meyer* & *Ernestus à Wipper* / vir juvenis tunc ætate, sed mediocri doctrina & scientia instructus, qui *Ernestus* etiam hodie Dei beneficio anno 1567. in ista functione vivit & fuit semper & adhuc est nostræ Ecclesiæ nutricius nunc venerandus senex.

Capit quoque per id tempus Senatus cum tribunitia potestate cogitare de Collega aliquo *Pideritio* attribuendo, & quia videbant vicinam *Herfordiensem* Ecclesiam gubernari à *Doctore Johanne Dreyero*, *Lippensem* vero à *Doctore Westermanno*, cogitabant quoque de celebri aliquo viro vocando. Cum igitur *Sufato Magister Gerhardus Omikenius*, (qui *Sufati* Ecclesiæ præscriperat ordinationem comprobata *Doctore Urbano Regio*, & simul *Ecclesia Lippiana*, bonam operam præstitisset) *Lemgoviam* venisset, suscipitur is de Consilio *Doctore Westermanni*, Inspectoris Ecclesiæ in urbe *Lippia*, qui ei literas commendatitias communicaverat, anno 1533. ad festum Paschatis in primarium concionatorem & Inspectorem Ecclesiæ (Nam huic ut magis exercitato & familiari *Luthero* ac *Philippo* ac multis aliis viris doctis noto & docto claroque concredebant suam Ecclesiam potius quam *Pideritio* nuper converso & quasi neophitæ in negotio religionis) Cum vero is videret *Petrum* malè docerè in *Neopolitana Ecclesia*, & vitam illius esse dissolutiorem (cui etiam malè conveniebat cum uxore non diu ducta, quam quoque ad curiosas artes assuefecerat, quo nomine postea Magistratui in *Diote* penas dedit illa Anno 1558.) & deinde quod sibi assumeret novum exorcismi munus, in ejiciendis dæmonibus, unde magnum fecit quæstum *Petrus* homo rudis: Autor ergo Senatui fuit *Omikenius* ut iste dimitteretur, & ejus in locum vocaretur vir doctus *Magister Gerhardus Cotius*, ad quem cum ter scripsisset Senatus & simul *Omikenius*, consequuntur tandem eum, qui *Neopolitana Ecclesia* jam *Petro* ante aliquot menses dimisso (qui hinc dimissus in vicinis locis *Papisticam* religionem sumpsit ac uxorem abnegavit, eamque pro concubina habuit) præficatur pastor per *Omikenium*.

*Omikenius* autem cum esset homo Severus, omnia voluit tam in scholis quam in templis fieri de suo consilio. Itaque oritur inter illum &



& senatum similtas quaedam, quæ tunc augebatur, quando oriretur  
 controversia inter Senatum & tribunitiam potestatem ab una parte.  
 Quoniam cum ea augetur quotidie, eo res deducitur, ut aliquando  
 ex urbe aufugeret Senatus uterque cum Tribunis. Quo tempore in tali  
 anarchia *Omikenius* dicebatur & Consiliarius & scriba reliquis fuisse ci-  
 vibus se opponentibus magistratui. Sed & ipse pertæsus conditionis,  
 cum videret sibi opera *Urbani Rhegii* Doctoris offerri posse inspectio-  
 nem *Ecclesia Mindensis* Anno 1535. renunciavit *Lemgovienfibus*, qui etiam  
 cogitabant abdicare officio, & ita venit ad Festum Paschatis *Montano*  
 ad gubernationem Ecclesiæ ibidem, vir profecto doctus, gravis & dis-  
 fertus. In locum *Omikenii* non pro Inspectoro sed pro simplici *Paderni*  
 pastoris collega vocatus *Erasmus Wegenhorstius, Hamelenfis*, qui minime  
 concitare potuit plebem dicendo: Nam habuit concepta verba, &  
 suas formas modosque vel flosculos, quibus ornavit conciones suas,  
*M. Gerhardus Cotius*, cum videret se multis exosum, qui *Montano* fave-  
 bant (de qua controversia mox dicemus) cogitavit de mutando loco.  
 Postquam ergo ei comodior locus, ac pinguior conditio in oppido *Hor-  
 nensi* offerretur deserit *Lemgovienfes* initio anni 1542. præter hanc da-  
 tam, quanquam Ecclesiæ utiliter præfuerat: Ibitunc per annum mansit  
 vacua Ecclesia, quanquam illam vice verâ curaret *Paderinus* & *Er-  
 asmus*. Et tamen *Joh. Graffelmanus*, qui antea deserta scholæ merca-  
 turæ applicuerat, jam ad istam functionem vocaretur, tamen propter  
 quasdam difficultates & nescio quam confusionem nomine vestalium  
 virginum ibidem ortam, tum quod non videret sibi singulare docem  
 docendi esse, non suscepit eam. Petierunt tamen parochiani vehemen-  
 ter, sibi dari proprium pastorem: Itaque *Johanne Montano* mortuo pe-  
 ste, magis commovetur Senatus & mittit literas ad *D. Philippum Melan-  
 chthonem, Witebergam*, ac ab illo petit sibi mitti duos viros doctos, al-  
 terum in concionatorem, alterum in Ludimagistrum. Ita mittitur  
*Thomas Plateanus, Wesaliensis* & *Johannes Tilenius, Landavienfis* *Wilde-  
 chianus*. *Thomas* etsi esset vir doctus & præcipuis in urbe viris clarus,  
 tamen postquam materno idiomate, quod est Belgicum uteretur, & su-  
 periores linguam quam hauserat *Witeberga* immisceret interdum ma-  
 ternæ, nec satis sonoram haberet vocem, non admodum erat gratus ci-  
 vibus, nec satis intelligebatur ejus concio, itaque post triennium revo-  
 catus in patriam deserit hic conditionem. Tandem remittunt Senatus &  
*Neapolitani* nuncium *Witebergam* ad *Philippum Melanthonem* petentes  
 sibi



sibi mitti quendam, qui *Magistro Thoma* substituatur. Ita mittitur *M. Mathias Jafon, Gotingensis*, qui hic per biennium usque ad tempus Interim hæsit, vir sedatus, doctus & bonus; sed nec ille erat gratus plebi propterea quod legeret ex chartis singula quæ proponebat pro concione.

In æde *D. Johannis* etsi ab initio cupiissent cives isti parochiæ destinati, sibi dari Evangelicum Doctorem, tamen vivo *Comite Simone* id fieri non potuit, sed anno 1537. post mortem *Comitis Simonis* conduxerunt primo operam *Johannis Hunschii*, qui quondam fuerat prior Dominicanus in urbe *Lippiensi*, is quia non omnibus placebat, deinde ipse conquirebatur sibi non præberi vitæ necessaria, itaque vir simplex & bonus abiit ad *Hervordenses*, & ibi vocationem suscepit post biennium, ubi in ministerio mortuus est homo senex. Ibi ex castro nobilis viri *Borchardi à Salbern* / opera *Simonis de Wenden* / æquè nobilis viri *Borchardi* istius ex sorore nepotis vocabatur *Johannes Montanus*, quondam observantici ordinis cultor, homo in formandis concionibus mirus & eruditus in divinis literis. Hic in sua parochia Joannitica in suburbio, deinde in Franciscano Monasterio docuit in magna populi frequentia, & non sine multorum admiratione: Valuit enim dono movendi & delectandi plurimum. Quanquam in aliis politicis vel quibuslibet rebus obeundis, vel relatione facienda alibi planè elinguis vel puer esset. Moritur peste anno 1543. & subrogatur in ipsius locum *Wilhelmus Antwerpianus*, ex cuculla ereptus, homo quidem simplex & rudis, sed qui perdetentim ita studio, vigilantia & labore precibusque profecerat (dixerat enim vicluam Montani & ita factus erat hæres Bibliothecæ ipsius) & lectione librorum Montani tantum cognitionis in sacra Theologia hauserat, ut postea doctè concionaretur, & sedatis moribus atque concionibus, piis omnibus placeret.

Hactenus de Concionatoribus, qui fuere ante Interim tempus diximus, nunc de certaminibus interea obortis.

### De Certaminibus in ECCLESIA LEMGOVIENSI ante Interim obortis.

Cum sese post expugnatam urbem *Monasteriensem* recolligerent Anabaptistæ, & in finibus *Westphalia*, oppido *Boicholt* / ditionis *Monasteriensis* Synodum celebrarent, ad quam multi confluerant ex Inferiori Germania & *Westphalia*, ibi concluderunt de ablegandis

Ttt ttt

qui-



quibusdam emissariis in diversas urbes, si forte novum regnum intrare possent, ita & *Osnaburgae* quidam per istos emissarios sedebantur & multi anno 1538. Monasterii iterum capiebantur & decollabantur, qui ibidem se de novo collegerant. Sic quoque accidit in eodem anno, hoc est 1538. factio Anabaptistarum vires quoque sumeret *Zugovia*, nam cum huc venirent impostores peregrini, hoc est emissarii, se falsa doctrinae istorum multi ex civibus tradebant & caperunt magno numero conventus noctu celebrare. Sed explorati per *Casilem Ludolphum Meyerum*, & deinde proditi, capiuntur civis, peregrini autem aufugerunt. Ibi omnes isti eruditi & admoniti a Concionatoribus egerunt poenitentiam, & sunt servati excepto uno, qui post semel datam fidem secundo relapsus fuerat in eundem errorem, is enim capite mulctatus, homo tamen simplex, qui ex simplicitate & ut dixerat conscientiae causa tradiderat isti sectae.

Anno quadragesimo post millesimum & quingentesimum anno accidit, ut quia frequentius auditorium habuit Montanus reliquis concionatoribus, inciperet simulas oriri inter Concionatores, & imprimis sinistrè de *Johanne Montano* suspicabatur *Erasmus Wegenborstius*, ideo inde hæc crevit, cum forte pro concione diceret *Montanus*: Si placuisset patri, tanti profecto esset & est pretii, sanguis Christi, ut vel guttula pretiosi istius sanguinis satisfacisset pro redemptione generis humani: deinde perfectionem aliquam operum rigidius videbatur urgere, atque putabatur Sacramentariis clam patrocinari. Hinc quoque *Wegenborstius* sumpserat occasionem in ipsum debacchandi, & in hanc pertraxit sententiam *M. Gerhardum Cotium*, qui postea omnium gravissime insectabatur *Montanum* (licet ei conjunctissimus fuisset antea) & simul sub utriusque nomine unis literis aliquando scripserat ad *Deotorem Urbanum Rhegium*, & ab eo in una Epistola ad utrumque datus quam vidi ego, responsum recepissent *Montanus & Cotius*) & illi duo ita argumentabantur contra *Montanum*: Postquam non placuit patri aliter nisi ut effuso sanguine & cruenta morte ac sacrificio pro peccatis nostris satisfacere Christus, itaque non aliud esse de voluntate patris proferendum, quam in sacris literis legitur, ne dubitatio & scriptulus conscientiam injiciatur, ut cogitent, si hoc potuit fieri, cur ipse tot & tam multa de quibus loquitur scriptura, passus est Christus? hii dixerunt ipsum derogare merito Christi, & quia, ut dixi, multus est in charitate & ejus officiis predicandis & commendandis, putarunt ipsam



ipsum non distinguere inter officium, finem & proprium fidei & operum, sed urgere *Montanum* operum necessitatem ad salutem: Quod etiam in ejus concionibus forte deprehenderant veluti & quasdam interpretationes rigidas & duras in primum caput Joannis pro concione datas. Item colligebant quoque, ut dixi, ex ejus scriptis & concionibus eum Sacramentarium esse, atque deinde ex eo, quod in explanatione 15. Psalmi in Ecclesia enarrati, contractus politicos reprehenderat, & eos sub usuris complexus erat, eum Anabaptistam proclamabant, &c. Ibi in suam quoque pertraxere sententiam *Mauritium Pideritium*, hominem tamen pacis & concordiae studiosum. Itaque conscriptam confessionem suam de omnibus articulis doctrinae nostrae *M. Gerhardus Cotius* misit ad Doctorem *Johannem Bugenhagium*, & ad Ecclesiae Sufatensis Superattendentem & ejus collegas, atque simul ad Ecclesiae Brunsvicensis Superintendentem, ac ministros. *Mauritius Pideritius*, & quoque ad *Bremensis* & *Hannoberana* Ecclesiae pastores, & *M. Adrianum Buxschotium*, Superintendentem *Hoyensem*, *Erasmus* & *Cotius* misere, uterque tam *Cotius* quam *Pideritius* cum *Erasmio* istorum judicium de sua confessione & contra conquestus de *Johanne Montani* diversa doctrina, & a sua dissonante. Ibi *Brixius Nordanus* Ecclesiae *Sufatensis* Antistes cum comministris, & *Brunsviga*, atque *Hannobere*, *Brema* & in *Comitatu Hoyensi*, ministri plerumque omnes comprobant *Cotii* doctrinam, & e contra *Montani* diversam sententiam damnant. Idem facit *Doctor Bugenhagius*, *Pomeranus*, cujus Epistolam ex ipso autentico exemplari scripto à *Bugenhagio* propria manu, quod apud me est, subjiciam.

VENERANDO VIRO &  
Domino GERHARDO COTIO,

Lemgovienfi Ecclesiae Pastori dignissimo,

Domino ac fratri suo,

Doctore POMERANUS salutem.

**T**U ne cede malis charissime frater. Legi tuam doctrinam, ut vides diligentissime, & gavissus sum valde, quod tu cum aliis fratribus tuis & nostris isthuc tam sincere docetis. Non potest igitur *Montanus*, de quo scribis esse vir pius & timens Deum, qui tales Christi ministros contemnit, calumniatur, damnat semper Christi verbum; Qui vos audit, me audit, qui vos contemnit, me contemnit. Confidite,

Ttt ttt 2

con-



Contemptor Christi qui isthic Ecclesiam vestram conturbat, portat  
 judicium Dei, quisquis fuerit. Vidi sane judicium Christianum  
 nostri & aliorum presbyterorum *Susatensis Ecclesia* de insana doctrina  
 Montani contra justitiam fidei, qua Montanus negat solum Christum  
 esse justitiam nostram, quem sola fide apprehendimus sive suscipimus,  
 & de monstrosa expositione illius loci Joannis; Illuminat omnempro-  
 minem, &c. Et ego similiter polliceor vobis secundum Deum, meum  
 auxilium, ut hoc scandalum tollatur à vobis. Deus conterat brevi  
 Satanam sub pedibus nostris. Christus sit vobiscum in aeternum. Ex  
*Witeberga* Anno M. D. XLI. feria 2. post Dionysii.

Interea ipsi concionatores obtulerunt articulos contra Montanum  
 cum judicio ministrorum *Susatensis Ecclesia*, item *Brunsvicensis*, *Hano-  
 noberana*, *Bremensis* & *Superintendentis Hoyensis*, Magistratus *Lemgovien-  
 sis*, & proceribus hujus Comitatus. Ideo (quia parochia Joannis, quæ est  
 extra urbem *Lemgoviensem*, sive suburbana, paret Comitibus) Guber-  
 natores hujus Comitatus supplicarunt *Landgravio Hasia Philippo* peten-  
 tes sibi mitti duos Theologos qui controversiam hic inter concionato-  
 res ortam dirimerent. Itaque antequam literæ *Bugenhorsii* ad *Corvinum*  
 venirent, advenit *Antonius Corvinus*, & *D. Johannes Wipermanus*,  
 Theologiae Doctor in hunc Comitatum, quibus sunt exhibiti articuli  
 cum judicio Theologorum prædictorum, &c. Scripsit igitur sic *An-  
 tonius Corvinus* ad concionatores in hanc sententiam, ut ipsum origi-  
 nale Epistolæ, quæ apud me est, demonstrat.

DOCTISSIMIS & HUMANISSIMIS VIRIS  
 MAURITIO PIDERITIO, ERASMO N.  
 & GERHARDO COTIO,  
 CONCIONATORIBUS LEMGOVIENSIBUS, Dominis &  
 fratribus charissimis.

**B**enè agere per Christum. Scripsi jam *Johanni Montano* bene pro-  
 plicam Epistolam, adeoque hominem de meo adventu & concio-  
 nis feci certiore, obiter indicans quid mihi in articulis contra  
 ipsum à vobis exhibitis displiceat. Rogavi præterea, ut in facienda  
 concordia facilem se præbeat. Me enim nihil ea in re præterquam Dei  
 gloriam quæsiturum neque quicquam vel amore vestri vel odio illius  
 quod non verbo consentaneum sit, facturum. Quod si vir bonus  
 haud dubie conatus meos laudabit, eaque quæ pacis & concordiae  
 nobis



nobiſcum & ſectabitur & probabit. Sin minus, aliam ſarciendæ concordie rationem inibimus. Quanquam bona ſpes animum habeat, foreut reſpiciat ſicubi erravit, & in gratiam vobiſcum redeat. Quod ipſum ut propitio Chriſto fiat, non ceſſabo omnem movere lapidem. Itaque & vos rogo, ut poſitis affectibus & ſimulatibus privatis cauſam veſtram abſque ſuſpecto modeſtiſſime agatis. Cras enim in arce Brack/ utraque pars audietur. Et æquum eſt, ut cum cauſam potiorem habeatis, modeſtia etiam ſitis ſuperiores. Certe diſſidium iſtud veſtrum multos bonos quantum intelligo, ab Evangelico negotio abalienavit. Et vae homini, qui illorum malorum primarius fuit. Papiſtæ de opprimendis nobis valde hætenus & ſolliciti fuerunt & conſultarunt. Et nos interim vel neglectis vel contemptis illis, mutuis diſſidorum vulneribus peribimus? Id quidem Deus optimus maximus avertere dignetur. Quin potius ea doceamus, urgeamus, agamus, quæ ad propagandam Chriſti gloriam & mutuam charitatem confirmandam, non quæ ad turbandas Eccleſias faciant. Ergo vobis neque deo rectè ſentientibus, neque malè ſentientes, id quod tamen haud ſpero, probabo. Voſ tantum ita verſamini in hoc negotio, ut præter Evangelicæ veritatis gloriam quærere videatis nihil. Ad hæc literas has meas, quibus animos veſtros præparare ad futuram concordiam volui, boni conſulite, & in Chriſto JESU Dõmino & ſervatore noſtro bene valete. Ex Dethmolde altera poſt Dionyſi, &c. 1541. Salutatur vos collega meus ſynceriſſimus *Doctõr Johannes Weſtermannus.*

## ANTONIUS CORVINUS.

Paulo ante veluti à ſuis adverſariis videlicet concionatoribus in urbe Lemgovienſi factum videbat, quoque contra eos obtulit Gubernatoribus noſtri Comitatus in die Jacobi, qui tunc erat 25. Julii *Johannes Montanus* ſuam confeſſionem & Apologiam, quæ deinde quoque tradita eſt *Corvino* & *Doctõri Weſtermanno* tunc paſtori in *Weiſmar* oppido *Haſſia* cum articulis adverſariorum ipſius diligenter perluſtranda & examinanda. Eam Montani Apologiam latinis verbis propria manu ipſius ſcriptam reperi in Bibliotheca *Jodoci Hockerii*, mei amantiſſimi conterranei, paſtoris ad ſanctum Johannem piæ memoriæ, & ex iſta ſummam totius negotii adſcribam. Primo vehementer nimis invehitur in concionatores *Lemgovienſes*, deinde perſpicuam & doctam recenſet ſymboli explicationem, quæ digna eſſet editione. Tertio de multis articulis controverſis expedite judicium & ſuam ſententiam



profert. Quarto ad defensionem suam & abluenda crimina, quae sibi impeerant & affixerant, dilabitur, & testatus de sua innocentia profert pro eximia dicendi libertate perspicue de singulis accusationibus certa testimonia, tantum quod pauca desiderari possent vel scrupulum parere in explicatione articuli de Coena Domini. Quia ait plus vere porrigi corpus & sanguinem Christi in coena, &c. Quae verba multis occasionem praebuere sinistre suspicandi de eo, quod esset Sacramentarius. Quanquam postea ex Augustino dicat, Judam sumpsisse corpus Christi ad iudicium. In ea tamen re erravit imprimis, quod dicit in loco de sectis, Lutherum posuisse transubstantiationem panis & vini. Quia hoc falsum est, & ille ut apparuit ex ejus Bibliotheca, non diligenter legit scripta Lutheri, sed potius Sacramentarium, quorum scripta quotquot habere potuit, emit & legit avidissime, ut *Crocius*, *Oecolampadii*, *Buceri*, *Bullingeri*, *Calvini*, &c. Interim de usu coenae quam amplissime & admodum dextere scribit. In loco de nocivitate Dei in omnibus hominibus, videtur ad *Zwinglii* & *Erasmi Rotterodami* sententiam accedere, & viribus liberi arbitrii in homine non renato, & gentibus nimium tribuere, &c. Quod ad usuram attinet, ostendit ex patrum veterum scriptis & ex sancta scriptura, nostratiorumque Theologorum libris, omnem usuram simpliciter prohibitam Christianis in Ecclesia, eamque non tantum in pecunia, sed etiam in victualibus rebus, ut in domuum possessionibus ac agris committi. Interim ille concedit quod mundus habeat suas ordinationes, & politias non posse consistere sine talibus, quia eas censet in suo ordine & dignitate ad conservandam hujus seculi commoditatem & tranquillitatem, observandas. Nam usus contractuum, qui publicis & civilibus legibus approbantur, est, inquit, licitus & honestus, & tales ordinationes sunt divinae teste Paulo Rom. 13. Et qui contractus probentur vel improbantur, qui legitimi vel usurarii sint ex ipsis legibus & Magistratibus petendum existimat. Sacrae enim literae, ait, ut non dividunt hereditates illas externas in politia juxta exemplum Christi, ita nec constituunt in generibus & formis contractuum, sed approbant civilium legum ordinationem recta ratione constitutam. Itaque de rebus, censibus & usuris consulendas esse leges, & Magistratus probat ex *Johanni Brentii* homilia 29. tom. 2. homiliarum in Lucam prolatis ipsius verbis. Ad tertium argumentum de perfectione hoc respondet: Non ita severe requiro Evangelicam perfectionem, ut non sim pro Christianis agni-



agniturus, qui nondum ad eam pertingant: Multi parum adhuc progreſſi ſunt. Interim ſemper oportet procedere, ut de ſe loquitur Paulus, Philipp. 3. Non deſinamus (ait) ut aliquid aſſiduè in via Domini proficiamus neque ob ſucceſſus tenuitatem deſperemus: In hoc incumbamus precibus, legendo & converſando, pie laborandoque in rebus ſanctis, ut meliores evadamus, utque nos ipſos hoſtiam ſanctam & acceptam offeramus Deo. Interim etſi non omnia aſſequamur & non ſumus perfecti, quotidianum tamen ſtudium noſtrum, ſi ex fide proficiſcatur, imputabitur pro impletione, non tamen dico, quaſi meritum nobis inde ſperemus imputandum. Sufficit ſervo ſtudium aſſiduum ſervandi mandata Domini ſui, &c. De pædobaptiſmo ſic ſcribit: Infantes pertinere ad Eccleſiam, & quia nemo Deo placeat citra fidem, habere ſuam fidem infantes, ut in Johanne nondum nato, & in iſtis infantibus videre licuit, quos amplectabatur Chriſtus & benedicebat eis. Hoc enim extra fidem fieri non potuit, nec extra fidem regnum Dei potuit ad illos pertinere. Latitare igitur in eis hoc donum Dei tanquam in frutice vim proferendi fructus, qui tamen ſuo tempore proſiliant, ſcribit.

De fide in Chriſtum ſic in præfatione ſuæ Apologiæ commentatur: Quid melius atque aptius convenit, quam agnoſcere nos omni virtute nudos, ut à Deo veſtiamur? Omni bono vacuos, ut ab iſto impleamur? Nos peccati ſervos, ut ab illo liberemur? Nos cæcos, ut ab illo illuminemur? Nos claudos, ut ab illo dirigamur? Nos debiles, ut ab ipſo ſuſtentemur? Is vult nobis omnem materiam gloriandi detrahare, ut ſolus ipſe glorificetur. Et mox. Quid fidei convenientius, quam DEUM habere propitium patrem ubi Chriſtus propitiator & frater agnoſcitur? Hei quam omnia læta ac proſpera ſecurè ab eo expectare licet, cujus inenarrabilis erga nos dilectio eo progreſſa eſt, ut proprio filio ſuo non pepercerit, quin pro nobis ipſum traderet? Quam in expectatione ſalutis & viæ æternæ acquieſcere, ubi Chriſtus à patre datus cogitatur in quo tales theſauri ſunt abſconditi? &c.

Hæc quidem de doctrina & ejus nævis breviter ex ipſius Authographo annotare volui, in quo hoc etiam reprehendendum erit, quod indulgeat nimium affectibus & omnia convitia retorqueat in *Cotium*: Et quanquam verbis acerbiffimis excipiat concionatores *Lemgovienſes* in initio Apologiæ tamen imprimis conatur oſtendere *Cotium* eſſe Anabaptiſtam & Epicureum, ut qui docuerat Chriſtianum ſacere poſſe quod



quod velit sive bonum sive malum, tamen ipsum salvari, modo credit. Sed homines sumus.

Postquam vero in literis ad ipsum datis & reprehendisset *Corvino* quod animadversione dignum in ea Apologia videbat, & ad poenitentiam Montanum admovisset, atque cur ad primum caput accusationis de gutta sanguinis Christi nihil in Apologia respondisset, venit ille truto die in arce *Brack* / & factus est supplex *Corvino* & *D. Westermanno* atque concionatoribus hujus Comitatus petens veniam, si sibi emisset, atque simul instructionem, ubi breviter disserit, illud de gutta sanguinis à se cum conditione dictum & ita recitatum à *Bucero* aliquid esse, &c. Ita ille excipitur amicè ab illis, & deinde coram aliis predicantur ejus dona, doctrina & pietas, atque inculcatur his diligenter quomodo si error commonstretur, veniam & instructionem supplex petierit, & nihil magis cupiat quam pacificationem, itaque illos debere esse faciles ad reconciliationem. Et si autem hic se facilem prebebat *Pideritius* & imprimis *Cotius*, qui erat Poeta, tamen *Erasmus Wengenhorstius* aliquid in ea reconciliatione & humiliatione Montani desiderabat, quanquam consentiret in aliquam pacificationem. Qua transacta mox prodit *Doctor Westermannus* in publicum coram Ecclesia *Lemgovia* & explicans Psalmum 133. Ecce quam bonum & quam jucundum, &c. concionatur de ista concordia inter ministros.

*Cotium* dixi Poetam esse, ideo *Corvino* erat gratus, qui impensis delectabatur poësi, & fuit postea gubernatoribus auctor, ut vocarent *Cotium* ad Ecclesiam *Hornensem*.

Et si esset reconciliatio facta, tamen mansit aliqua eaque perpetua similtas inter *Erasmmum* & *Montanum* usque ad mortem *Montani*: Et propter judicium de illa controversia, non ita secundum *Erasmi* placitum & affectum, vel cerebrum pronunciatum priori anno, & deinde propter commendationem *Montani* tunc factam capit ab eo tempore *Corvinum* & de illo vilius loqui *Erasmus*. Hunc contemptum auctoritate *Corvini*. Nam in postero anno, hoc est anno Domini 1544, vocatur ex *Ducatu Inferiori Brunsvicensi* (ubi tunc Ecclesius interviat) à gubernatoribus Comitatus ad visitationem omnium hujus Comitatus Ecclesiarum, & constituendam aliquam certam & consentientem ceremoniarum ordinationem. Rediens in Comitatum hunc solus visitavit Ecclesias, examinavit pastores, disposuit singula, & conscripsit aliquam ordinationem Ceremoniarum, postea delegit visitatores vel in spo



inspectores, nempe *Johannem Montanum, M. Gerhardum Cotium & Conradum Meyerum*, Ecclesiae in oppido *Blomberg* pastorem. Quod sic accidit, quia *Lemgovienſes* concionatores praesertim *Pideritius & Erasmus* nolebant se isti examini & visitationi submittere, nec novo aliquo jugo premi. Dicebant enim se suam ordinationem jam ante multa tempora ex Ecclesia *Brunsvicensi* habere, & ante quadriennium illos Theologos, quos Illustrissimus Princeps, *Philippus Landgravius Hassia* tunc miserat, *Johannem Fontium & Doctorem Johannem Westermannum* ista omnia in Ecclesia *Lemgovienſi* comprobasse. Itaque istis praeteritis alii constituuntur visitatores, quod auxit *Erasmio* similitatem in *Corvinum*. Cum autem forte humanum aliquid passus *Corvinus*, nimium pompose quitando & sese delicatiori vestitu spectandum exhibuisset in visitatione illa, ex eo & aliis multis sumpsit occasionem publice etiam reprehendendi & calumniandi *Corvinum* *Erasmus Wegenhorsius*, quem *Corvinum* à porci appellatione quasi Epicureum appellavit publice. Qua de causa cum ad eum acrius scripisset *Corvinus*, ridicule admodum respondet ei *Erasmus*. Et quia paululum isti dissentientiae immiscuerat se *Pideritius*, atque quaedam essent, quae eidem displicerent in *Corvini* instituto, ideo mox istis auditis etiam adhuc ita scribit *Corvinus*, ut Epistola ejus propria manu scripta testatur.

Docto pariter ac pio Viro,  
MAURITIO PIDERITZ/

CONCIONATORI LEMGOVIENSI, amico ac fratri suo.

**B**ene agere per Christum. Quid ad *Erasmum* scripserim amice frater, scio, & de te quid scripserim scio. Scripsi autem ab *Erasmio* te seduci, alias bonum virum. Hoc cum ita scripserim, suo tempore intelliges. Et ipsa tua Epistola ad me missa satis arguit pleraque te instinctu *Erasmi* facere, quae haud dubie facturum alioqui non eras. Novi enim ingenii tui bonitatem & modestiam. Contra novi furiosum & seditiosum *Erasmi* spiritum. Quod de bella scriptorum illius defensione, qua se etiam praeter Ecclesiae testimonium defendere possit, scribis, non satis intelligo. Si doctius enim & rectius non scribit, atque jam literae illius testificantur non profecto bellus defensor, sed ipsissimus incitiae suae proditor est. Latine scribit pessime: Germanice multo pejus, imo plane lallat. Quare etiam jam indignum judico, cui ob barbariem & ineptissimas minas respondeatur. Si tamen quod homo

Uuu uuu

ad



ad concitandas turbas natus minatur, scribere contra me perrexit, laetiet me non esse adeo edentulum, quam fortassis jam existimat. Nil forsitan ita sibi persuadeat, *Corvinum* vocula quapiam hebraica non scripta sed picta statim ad silentium adigi posse. Et post aliquot lines, Ego te inter synceros fratres libenter habiturus sum, qui ab *Erasmio* etiam illibenter, ita me amet Christus, dissentirem, si insanum illud caput suum rectius aliquanto moderaretur. Et in fine: Contemptum me in *Erasmio* pari contemptu nihil scribendo ultus sum, cui tamen ex officio charitatis praesertim adventante brevi canicula, sanam mentem improcor. Reliqua ad Senatum scripsi, qui de mea sententia haud dubie certiores vos faciet. Bene vale & concordiam ama. Hoc enim si feceris, perpetuo te fratris loco habiturus sum. Ex arce *Dithmunde*. Dominica post Trinitatis, anno 42.

Tuus ANTONIUS CORVINUS.

Scripsit in eandem sententiam ad Senatum, & plurimum conque-  
stus est de *Erasmii* injuria, sibi legitime ad visitationem Ecclesiarum  
vocato facta, & accusavit eum seditionis, quod ipsum publice in con-  
cionibus turpissima agnominatione traduxisset, &c. Ibi Senatus haec  
proponit *Erasmio Wegenhorstio*, & suadet ut se per literas purget. *Erasmus*  
vero ibi obtulit postridie Senatui extemporalem excusationem, quae  
videbatur esse scopae dissolutae. Nam multa in chartas pro sui detralio-  
ne coniecerat quidem, sed sine ordine, sine methodo, sine disposi-  
tione & consequentia, eaque parum ad rem pertinentia. Ita cum vi-  
disset Senatus (puto doctiores & in Senatu acutiores. Nam *Erasmus*  
scribendo vel coram celebribus viris extra ministerium dicendo non  
ita valuit, licet pro concione habuerit elegantem gratiam) produxit  
omnes istius scripti, nec utique ausi fuere, talia mittere *Corvino*. Ita-  
que illi modeste excusarunt *Erasmum* per Epistolam, & petierunt ad  
eidem ignosci pro Christiana charitate.

Postea mortuo *Montano* eligitur *Pideritius* visitator Ecclesiarum  
cum *Cotio* & *Meyero* in locum *Montani*, quod valde male habuit *Er-  
asmus*. *Erasmus* etiam saepe cum *Pideritio* rixatus est. Sed quia tunc  
placidus *Pideritius*, multa tulit. Nam cum in recitatione Catechismi  
diceret *Pideritius*: Ich glaub an Gott &c. publice hoc reprehendit in  
*Erasmus*, asserens dicendum esse: Ich glaub in Gott &c. Sed contra-  
ctus *Bugenhagii* praefatione quadam in Catechismum, & ex Germa-  
nica



nica Bibliorum versione D. Lutheri, puduit hominem temeritatis, qui aliquoties revelationes jactitavit, & sæpè certum tempus diei extremi determinavit dicens: Hi calcei non poterunt conteri, quin adfit dies illa, &c. Sed humanum est errare, ideo tamen nolumus *Erasmum* contemnere quamvis paululum esset morosus & sui cerebri sit & fuerit, cum alias semper puram doctrinam & vitam inculpatam servet, &c. Quo nomine est valdè commendandus. De quo etiam plura habentur & leguntur in *Susatensi* historia: Quia vir est citra controversiam multis illustribus Spiritus sancti donis tinctus *Erasmus* ille, etsi quaedam habeat vitia, ut est nemo ab omni parte beatus.

### De tempore Interim, deque mutatione tunc facta, & persecutione piorum.

Cum Chymera formulæ Interreligionis vel Sphyngis Interim proposta esset Imperio, varia mutatio est etiam in hac Ecclesia visa. Episcopus enim novus *Paderbornensis*, *Rembertus à Kerssenbroick* / graviter infuit apud *Bernhardum*, *Comitem de Lippia*, qui non ita pridem susceperat regimen & administrationem suæ provinciæ & Comitatus, &c. per *Henricum Coloniacum*, *Episcopalem Cancellarium*, & *Mag. Liborium Schmeth* / ut formulam religionis Interim susciperet, aut nisi mandatis Cæsaris pareret, regimine vel ditione sua careret. In ista perplexitate cum non semel, sed sæpius deliberationes fierent, etiam urbis *Lemgovienfi* civis convocabantur, ut audirentur suffragia (nam multis sæpè sermonibus conati erant legati *Paderbornenses* persuadere hoc singulis ordinibus hujus Comitatus, ut susciperent sine tergiversatione Interreligionis formulam) ibi quidam ex Consulibus nostris præcipuè duo, ut *Ludolphus Cathemannus*, qui languidus quidem erat in religione tunc, sed tamen vir prudens, nec omnino veræ religionis hostis: Deinde *Alexander Grothenius* ex professo papista (qui hoc nomine nova insignia cum galero & cono à Cæsare impetraverat, quamvis ex jam demortui istius *Grotii* bonis in usum Ecclesiæ Bibliothecam struerent hæredes) egerunt & censuerunt suscipiendam formam Interim, sed cives reclamarunt: Itaque nihil in initio effectum est. Tandem potentia aucti venerunt in urbem *Lemgoviensem* legati *Paderbornenses*, imprimis *Henricus Coloniacus*, *Cancellarius*, & *Liborius Schmeth* / *Decanus Storpianus*, adducentes secum monachum, qui & nostros & rurales examinavit pastores & serio mandavit, ut susciperent formulam Inter-



religionis. *Mauritius Pideritius* & *Erasmus Wegenhorstius* maluerunt tacere, quam suscipere aliquam mutationem. *M. Matthias Jasin*, ultra cessit ex sua parochia abiens in patriam. *Wilhelmus Anversianus*, precibus & minis eo se perducere postea & moveri patitur, ut susciperet aliquam mutationem, & castra uteretur in administratione Sacramentorum. Interim quiescentes *Pideritius* & *Erasmus* sunt saepe solliciti ut aliquid tempori darent & non nihil cederent, hoc est, ut salva ipsius & servata verbi integritate veroque Sacramentorum usu, indifferentes & liberas quasdam ceremonias susciperent & saltem admitterent. Hi etsi primo non nihil concessisse dicerentur, tamen postea hoc facere noluerunt propter offencilum vitandum. Ita in utraque parochia & veteris & novi oppidi nec conciones fiebant, nec Sacramenta administrabantur. Cum igitur Senatus urgeretur ad faciendam aliquam mutationem in religione, & summum metueret periculum, vocavit aliunde duos Interimistas, qui arte potandi, boandi, otandi & cetera mandandi & nulla praeterea alia imbuti erant, nempe *Bernhardum Eberzum*, qui *Rethberga* huc venit, & *Theodorum à Collum, Phisium*, qui pontificaliter accensis candelis procedebant in publicum, & verba ex postillis faciebant, ut erant natura garruli. Ibi misera dissipatio & distractio visa est in Ecclesia, & variè agitati sunt praesertim *Pideritius*, quem volebant ex domo pastoralis ejiciendum, & simul *Erasmus*. Per triennium isti privatim vixere. Interea tamen *Pideritius* consultavit doctos viros, imprimis Pastores *Hamburgenses*, *Bremenenses*, *Timacenses*, *Amstelrodami*, *Rodolphum Mollerum*, qui ipsi prolixè responderunt ad omnia.

#### Quid actum sit post Interim.

CUM autem isti duo peregrini concionatores, in duabus Parochiis & Ecclesiis agerent, doctrinam quidem sonantes mediocriter, sed Pontificiis ceremoniis & vita gulosa onerati, in magno contemptu quidem erant, & Ecclesiarum distractio misera videbatur. Ideo cum secum reputaret *Pideritius* sibi concreditum munus pastoris in veteri oppido, tandem ascendit suggestum, & ita aggreditur suum munus iterum Anno 1551. & licet multoties ei ejectionem ex domo pastoralis minarentur Senatus & aulici (sed quodammodo coacti, quia metuebant potentiam Caesaris & delationem *Episcopi Paderbornensis* ad Caesarem) & ipsi jam per integrum annum gratis doceret, tamen perstitit



in ſua ſtatione uſque ad hodiernum diem. Tandem cum quoque deponeret *Theodorus* à Collum ornamenta ſacra, & vellet gratificari civibus, eſt is dimiſſus, & ita ſolus aliquandiu erat in miniſterio *Pideritii*, qui ut ſemper antea docuerat & adminiſtraverat Sacramenta, ita ſemper nunc pergit & quidem non aliter quam ab initio. *Bernhardus* verò *Elberius* quoque cupit diſcedere à *Lemgovienſibus* Anno 1551. Is ita dimiſſus eſt & in ejus locum vocatur vir bonus & pius *Johannes Carſtianus*, qui non ob ſuſceptam Interimifticam ſcabiem in oppido *Uſſenio* diſceſerat paſtoratu. Is quidem retinuit in adminiſtratione Sacramentorum veſtes & clenodia, interim purè docuit. Sed tandem anno 1553. ipſe & *Wilhelmus Antwerpianus* eò perſuaſi ſunt à *Pideritio*, ut deponerent illa ornamenta & more priſtino, quemadmodum ipſum facere viderent, Sacramenta adminiſtrarent. Interea venit quidam circumforaneus *Chriſtofferus Mollerus*, homo nemini antea vel hic vel alibi notus, qui magnam præ ſe ſanctitatem ferebat & miros geſtus, vultum triſtem & lachrymabundam ſemper exhibuit: Hic ſuſcipitur in collegam *Pideritii*. Quia & *Erasmus Wegenhorſtius* ceperat quoque ad morem *Pideritii* invadere ſuggeſtum, ſed poſt habitam concionem ei interdicitur miniſterium, ideo ſuſatum vocatus ſuſcipit ibi conditionem Eccleſiaſticam. *Chriſtofferus* etſi eſſet rudis & indoctus omnium rerum, tantum quod Germanica & legere & bene affectuoſè proferre poſſet, ſtudit ſibi nomen & gloriam parare, ideo patheticè concionabatur & mixtis lachrymis & ejulatibus, variisque geſtibus & gravibus vitiorum reprehentionibus accedentibus erat omnibus formidini & horrore, ideo tanquam Angelus Domini habebatur, ſed tandem libidinibus variis ſe contaminans miſer ſenex prodit ſe imprudenter, & ita in tertio anno ſui apud *Lemgovienſes* miniſterii, videlicet in initio anni 1556. exiens urbe, ſeduxit ſe clam, & nunquam cognosci potuit ubinam locorum ageret. Ideo iterum aliquandiu ſolus per biennium adminiſtravit Sacramenta & ſuſtinuit onus concionandi *Pideritii* donec anno 1559. quidam *Waltherus Orthocherus Thorneus* ex *Phriſia* huc veniret, & miſere conquereretur ſe propter varias ſectas atque Sacramentariorum feces deſerere *Phriſiam* & quærere alibi in magis pacato loco conditionem. Ideo me **HAMELMANNUM** & omnes pios (inter quos etiam erat *Jodocus Hockerius*, *M. Johannes Tilenius*, *Quæſtor* & *Senator* urbis & *M. Johannes Grotenius*) oravit, ut ad vacantem hie conditionem promoveremus. Id cum fieret propter hominis medio-



crem doctrinam (erat enim Græcè & Latine doctus) is nondum completo semestri cum ad probam assumptus esset, ita agit, ut turbaretur ex ministerio & vocaretur in illius locum *Hildebrandus Grabinus*, quem *Philippus Melancthon* commendavit *Lemgovienſi* Senatui ut virum sedatum & doctum.

Cum autem *Johannes Carſianus* vir senex propediem per annos quatuor administrasset officium pastoris in novo oppido *Lemgovie*, incidit in Apoplexiam qua laboravit per quadriennium, & tunc crocatus est in Domino. In ejus ægotantis verò locum vocor ex commendatione *Johannis Cotii*, qui mox Consul factus est & *Georgii Hinderſpangii* *Doctores Medici* ego **HAMELMANNUS** jam ejectus ex *Ecclesia Bilfeldenſi* anno 1555. & perſiti in illo ministerio donec iterum ex urbe *Lemgovienſi* opera *Johannis Vlatteni* (de qua controversia vide in *Ecclesia Bilfeldenſis* historia) ejicerer, quo tempore communicavi mihi certè splendidum testimonium Senatus *Lemgovienſis* & reliqui ministri. Ita ego me de Consilio quorundam in Saxoniam Doctorum confeto ad *Academiã Rostochienſem*, ut ibi publice defenderem quæ in aula *Citronii Arnoldus Bomgardus*, pastor *Wassenburgicus*, cum *Vlatteni* in me damnaverat. Postquam verò de Sacramentis publice Anno 1558. in ea Academia disputassem, & tunc gradum licentiæ in Theologia summiſſem, offerebantur mihi alibi conditiones sed cum redirem *Lemgoviam* & ibi peste sublatus esset *Wilhelmus Antwerpianus*, & tantum unus *Pilartzius* in tanta luis grassantis sævitia superesset, me & receperunt & revocarunt in pristinum locum, augentes mihi & stipendium, & me qualicumque benevolentia prosequentes fovērunt, ita ego perſiti in ea statione usque ad annum 1568.

*Wilhelmo* demortuo in Ecclesia suburbana ad S. Joannem succedit ex mea promotione diligenti (quem paulo ante ad munus *Conrectoris* quoque promoveram) meus *conterraneus Jodocus Hockerius* vir laboriosus & doctus, qui multum profecit brevi tempore in sacra Theologia. Nam scripsit contra exorcistam quendam (cujus mensura fit in historia *Osnaburgensis Ecclesie*) (item edidit concionem de famis & annonæ charitatis origine. Item de Sacramento altaris eruditum scriptum, ubi imprimis consensum veterum & Ecclesiarum & doctorum cum Divo *Luthero* conquirit, & quæstionem an indigni verè sumant corpus Christi, absolute tractavit. Et multa alia scripsit, sed immaturè post octennium absolutum in ministerio est mortuus: Mortuus



namque peste Anno 1566. cum uxore & liberis quinque: Ita per se quoque inceperat tractatum de diabolo ejusque praxi, machinatione, item de beneficiarum, sagarum & incantatricum rebus, quæ per gratiam Dei à me absoluta sunt. Collegit quoque multa alia, & absolutam Evangeliorum Dominicalium explicationem, &c. Pleraque sunt imperfecta: Quædam à me si vixero, absolventur: Vir fuit citra controversiam bonus doctus & pius ac laboriosus, qui antea in scholis diversis legerat & aliquando Conrectorem egerat, & ei succedit in initio anni 1567. præstans vir *M. Johannes Dreyerus*. Mihi adjungitur comminister in nostra parochia *Theobardus Nagelius*, vir doctus & Hebrææ linguæ non imperitus, gener *Piderivii*, qui anno 1564. factus Catechista, tandem anno 1566. in plenum ministerium assumitur.

### De Scholis.

Tempore jam susceptæ prædicationis Evangelii administrantur scholam *Johannes Grasselmannus*, & multum profuit Evangelicæ doctrinæ promovendo eam tam in scholis quam apud cives. Sed cum se abdicaret schola successit ei *Henricus Hagemannus*, cui cum contingeret pastoratus in *Ullmena* / mox *Johannes Hunschius* administravit scholam. Anno verò 1541. evocatur *M. Thomas Plateanus*, ad munus docendi & *M. Johannes Tilenius*, *Landaviensis*, ad scholæ gubernationem ex *Academia Wirtembergensi*. Hic *Tilenius* licet ætate juvenis cepit tamen mediocrem scholam erigere, & habuit Conrectorem *Conradum Wichrium*, & collegas successively *Johannem Trophagium*, *Martinum Meibomium*, semperque mediocriter sub illo (*Tilenio*) floruit schola, ut erat vir gravis. Cum verò ad annos 13. scholæ præfuisset, certis de causis scholastico munere se abdicavit Anno 1552. & factus mercator eligitur mox in Senatam, ubi & quæstorem & Sigilliferum egit, magna cum laudi, ac semper fuit Patronus scholæ, studiorum, ministerii & piorum, veramque doctrinam rectè intellexit & pie tutatus est, deum is vir pietate ardenti, doctrina, judicio ac candore præstans moritur non sine jactura reipublicæ anno 1566. peste. Huic verò tunc in schola successit filius civitatis *Justus Gerekingius*, vir gravis doctusque, qui postea abiit *Coloniam* & deinde in *Galliam*, & hodie est Licentiatus juris ac Secretarius, Syndicusque Capituli majoris *Coloniensis*, homo Pontificæ religionis nunc, qui aliquando aliter sensit,

Post



Post illum venit ad regimen scholæ *Statinus Vastmarus*, *Hannoveranus*, & deinde *Hermannus Wifeldius*, cui mox successit *Georgius Saecampius* translatus ex schola *Bilfeldensi*, qui interea se quoque in parochia *Brack* / exercuit concionando. Hic postea vocatur ad pastorem in *Uverdisfen* demortuo *Martino Meibomio*. Et tunc ex *Herwardia* vocatur *Henricus Sibæus Olphenius*, vir in scholis diu exercitatus, Sed is cum non esset habilis regimini propter senium, & jam *Senatus* de suffragio & subsidio genororum Comitum cogitaret de celebri aliqua schola aperiunda, vocavit mea opera anno 1579. ad tale opus instituentum ex schola *Tremoniana*, virum doctissimum & exercitatum in scholis *M. Bernhardum Copium*, is hic celebrem scholam cum duobus fratribus eruditis *Engelberto* & *Balthasare Copiis*, aliisque collegis instituit & aperuit: Deinde fratribus hinc discedentibus substituitur *Conrector Themhardus Nagelius*, & quartæ classis *M. Johannes Neuwaldius*, & deinde post hunc *Rotgerus Copius*, *Bernhardi* frater. Ex illa celebri schola, quæ floruit usque ad annum 1566. multi eruditi in utraque lingua & artibus adolescentes prodibant, quia & disputationibus & exercitiis variis plurimum excitabantur & erudiebantur studiosi. Cum vero certis de causis deponeretur *Copius*, committitur scholæ cura iterum *Henrico Sibæo Olphenio*, quem de ponte jecerat *Copius*, quia bonus senex jam privatim vivens in otio absque functione capiebat, ut erat insignis Grammaticus, scribere carmina, *Epicedia*, *Epitaphia* & id genus versus, unde victum quæsiuit, qui demum hic mortuus est peste anno 1566. cum uxore, vir in multis scholis exercitatus, magnoque senio gravatus. Tandem vocatur *Witeberga* de *Confilio Doctoris Pauli Eberi* (qui valde probavit *Lemgovienstem* institutum de amoto rectoris, qui disputationem moverat de dextra DEI) anno 1566. via in utraque lingua egregie doctus *M. Nicolaus Thodenus*, qui per annos audierat *Philippum*. Sed ingruente tunc peste (quæ omnia ubique curbare solet) nihilis præstare potuit: Deinde ipsum *Thodenum* petiit anno sequenti sibi dari pædagogum *Generosus* adolescens *Comes* vir nobilis *Simon junior*, *Comes de Lippia*, &c. Ita illo concessio *D. Comiti Simoni* & amicè dimisso, revocatur vir doctus *M. Johannes Neuwaldius* civitatis filius, qui antea in schola *Copii* laboraverat, & aliquandiu *Comitis* *Juri* animum applicuerat. Sed cum ipsum sui parentes non haberent, discedenti *Neuwaldio* ultro, succedit *M. Lubertus Florinus*, *Lemgovienfis*, jam de scholis bene meritus in *Ecclesia Wesaliensi*.



## De Bibliothecis publicis urbis LEMGOVIENSIS.

Cum moreretur *Wilhelmus Antwerpianus* Anno 1558. & relinqueret Bibliothecam splendidam, quam ex *Montani* (ejus ducta vidua) hereditate consecutus erat, & ipse novis subinde coemptis libris auxerat, cepi ego *HAMELMANNUS* primo partem ejus præcipuam in usum alicujus publicæ Bibliothecæ emere, & pretium quo perfolvi eos libros, ostiatim pene à civibus mendicavi. Is vero numerus ex mea intercessione & quotidiana admonitione auctus est beneficio ditiorum & bonorum, quorum aliqui meis monitis excitati cogitarunt de conferendo pro sua benevolentia, proprio aliquo scriptore Ecclesiastico in usum nostræ Ecclesiæ. Ita crescente numero librorum permisit *Senatus* hereditibus *Alexandri Grothen* quondam Consulis, ut illorum reddituum partem, quos in usum pauperum suæ familiæ contulerat, cum nulli scholastici ad manum essent, ad extruendam novam Bibliothecam in templo Neapolitano conferrent. Quæ ita extruitur anno 1561. & est libris & autoribus bonis mirifice aucta. Id vero videntes, & successum novæ Bibliothecæ considerantes veteris oppidi proceres & ministri ibidem, qui jam antea *Christofferi Molleri* profugi libellos aliquot, imprimis aliquot tomos scriptorum ab ipsis creditoribus, qui eos propter debitum invaserant, in usum Ecclesiæ impetraverant, caperunt augere numerum, & veterem, quæ ibi olim fuerat, Bibliothecam instaurare & adornare. Ibi cum adjungeretur collega *Pideritio* ceu *Hildebrandus Graihusius*, is mirum in modum meo exemplo inflammabatur & sæpe cum *Pideritio* institit apud Senatum, quem ego quoque non destiti ad eam rem admonere. Deinde apud templarios & multos cives & divites & mediocris fortunæ homines, mirum in modum augebatur & ornabatur autoribus Theologicis, exquisitis & multis Bibliotheca veteris oppidi ad S. Nicolaum. Hinc factum est, ut in utraque Bibliotheca omnium fere antiquorum patrum scripta, & multorum recentium Theologorum præcipuorum commentariorum libri reperiantur, & hodie non sit in tota fere *Westphalia*, quod ego sciam, celebrior Bibliotheca ita Theologicis scriptis referta, quæ nostræ possint conferri. Dominus *JESUS* hoc nostrum initium ita provexit, ut multis posteris noster ille labor prodesse possit.



HISTORIA ECCLESIASTICA RENATI  
EVANGELII,

In URBE HUXARIENSI,

Sub Dominio ABBATIS CORBIENSIS,

Autore

HERMANNO HAMELMANNO.

Postquam singulari Dei bonitate orbiterrarum lux Evangelii, ex tenebris Papistarum, per singulare Spiritus sancti organum Reverendissimum & Sanctissimum Doctorem *Lutherum* eruit, prodieret, & jam tum per plurimos annos vox Evangelii sonasset per totam *Hasnam* quæ est confinis *Huxariensi* urbi, coeperunt multi cives magna esurie & siti Evangelici & cœlestis cibi, potusque vivi in ea urbe premi, quos hoc etiam inflammavit, quod à multis Principibus Imperii summa veræ doctrinæ & religionis exhibitæ esset *Carolo V. Caesari Augustano* anno 1530. Quæ deinceps Confessio Augustana dicta est: Deinde multi ex civibus mercatores diligenter alibi audiebant conciones, emebant libros Lutheri & aliorum, atque incipiebant secum magno numero conferre de religione, omniaque piorum doctorum scripta devorare.

Accidit ergo divinitus, ut cum ipsi nihil in suscipienda vera religione & abolenda Papistica possent, *Huxaria* conscriberetur contentus Principum in causâ & controversia *D. Erici, Comitis in Dania & Broickhusen* (quam habuit cum nobili *Francisco ab Halle*) componenda Anno 1533. Ad istum conventum venit Illustrissimus Landgravius *Hassæ Philippus Senior*, & celebratissimus Dux *Luneburgicus Ernestus* & Comites multi numero 21. Nobiles verò ad octoginta. Landgravius Evangelicum concionatorem *Conradum* natione *Succum* secum adduxit. Is diebus singulis mane antequam de causæ examen & controversiarum diremptionem accederent, publicè docebat: Ad eam concionem Principes Nobilesque atque cives magno numero confluebant & audiebant concionantem quotidie ardentè & diligenter. Istius concionatoris verbis, doctrina & dulcedine capti, conveniunt nonnullorum, & deliberant in ædibus *Rolandi Rolwagen* viri pii. Hic studebat istius *Rolandi Rolwagen* filius *Rolandus*, ut consuleretur concionator *Landgravius*: qui consultus respondit; totam rem in manu Dei



positam esse, itaque nihil illis prius esse debere, quam ut ardentem invocent aeternum patrem Domini nostri JESU Christi, ut is & verbum ejusque lucem atque operarios in suam ibi messem commode largiri dignetur: Deinde ut Magistratum suum ordinarium, tanquam ordinationem & ministrum DEI, & ut legitimum medium interpellant, & de piè constituendis Ecclesiis, atque Evangelii ministris vocandis eum rogent, ut sic explorent, quo animo erga doctrinam affecti sint proceres urbis. Id cum fieret per quosdam delectos, incipiunt Consules, qui tunc erant *Hans Veltmann/ Hans Uben/ Adam Siverdes/ Hans Reymenschneider/* tergiversari, & respondit primarius *Consul Veltmannus*, nomine aliorum: *Etsi ego potissimum & simul plerique ex Collegis meis idem vobiscum optarem, verum videtis, quomodo id fieri commodè non queat propter Abbatem & Canonicos Collegii. Interim oro vos, ut dignemini tantisper expectare, donec ego ivero Casseliam, ubi mihi negotium est expediendum, ibi ego, quod ex usu Ecclesiae nostrae futurum erit, diligenter curabo. Interim etiam concionator voluntatem & ardorem civium suo Principi Landgravio exposuerat, & rursus audita responsione vel tergiversatione Consulis dixit *Conradus* concionator: *Das heisset in die langen Kasten gele get.* Hæc cum retulisset Principi, misit *Landgravius* legatos suos ad Senatum, inter quos fuit Nobilis *Hermannus Malspurg/* atque per eos à Senatu causas non suscepti Evangelii quærit (est enim tutor istius urbis *Landgravius Hassia*) & mandat, ut quam primum vocent pios Evangelii ministros. Senatus respondet, civitatem esse diversis Principibus & Heroibus subiectam, & nihil non ipsis esse ab omni parte metuendum: Possent enim *Brunsvicensis Ducis & Abbatem Corbiensem*, ut simul Principem Imperii, & Collegium Canonorum propter istam mutationem, si fieret, aliquid exitiosum moliri. Itaque expectare sese Concilii generalis decreta. Hæc cum retulissent ad *Landgravium* legati, is intellecta Senatus voluntate ab Evangelio aliena, unum Consulem ex istis quatuor (opinor *Veltmannum*) ipse affatur in eandem sententiam, ut antea per legatos, & iterum ejus Celsitud. idem à Consule refert responsum: Ille mox regerit, adeone timidi estis, ut Domino causam commendare possitis? Et quia ad aures Principis pervenerat, Consulem istum interminatam fuisse civibus mutationem religionis meditantibus, addidit *Landgravius*: Audio, ajens, quod tu tuis interminatus sis civibus veram doctrinam cupientibus, & malis centum aureos infumere ex tuo, quam permittere*



tere ut Evangelio suus permitteretur cursus: Verum si ego intellexero te vel minimo civium hoc nomine incommodare, senties fore me huius petulantiae in te ultorem. Effice tandem praecipio, ut apud vos Evangelium doceatur. Post discessum *Landgravii* nihil aut parum est subsecutum, sed vident pii Senatui potius alia moliri. Ideo rursum mittunt supplicationem ad *Landgravium* pii cives, qua accepta missi legati serio imperat Senatui & priora mandata gravibus verbis renovat de constituendis Ecclesiis juxta Augustanae Confessionis normam. Senatus effugia quaerens dubiumque responsum dans post discessum legatorum omnibus istis post habitis, astu remagere incipit. Interim meditatatur quomodo tribunos plebis vel curiales ad suas partes verbis & technis protraheret, ut ita accedentibus istorum suffragiis potest commodius reprimere conatus eorum, qui sitiebant puriorem doctrinam. Haec res Senatui bene cecidit, & sese Tribuni cum Senatu, & Senatus cum Tribunis vera fide obstrinxerant: Itaque cogitabant de convocandis civibus, ut eis graviter praeciperent, ne in posterum de nova doctrina introducenda quicquam tentarent. Constituto jam die, ut ista omnia melius in effectum producerent, clausis portis convocantur ad curiam coram Senatu & Tribunis cives & omnes plebei in praesentia *Abbatis Corbiensis*, Principis ibidem. Sed cum nonnulli inter cives conatum eorum per indicium percepissent, munium sese, & accipientes extemporale consilium, clamant pii in hanc sententiam, qui cupiunt Evangelii negotium, extensis hoc testentur digitis. Adpellatur statim potissima pars civium. Itaque Senatus & Tribunorum sententiam audire quidem noluerunt, nisi prius ipsorum petitioni, quae per selectos Senatui exponebatur, annuerent. Ita accidit in hac urbe, quod Balak regi Moabitarum in evocando Bileam contigit Numeri Cap. 23. quoniam putabant hostes Evangelii, istum conventum fore impedimentum Evangelici cursus, sed fit ibi initium. Sic omnia cooperantur in bonum electis. Senatus & Tribuni cum Abbate animo percussi, ne seditio oriri posset, promittunt civibus Evangelii ministros. Hoc lato nuncio accepto, placati erant cives. Interim expectarunt, quid conventus ille novi produceret, mox deliberatione cum Abbate facta, fucus & praetextus quaeritur, quo invento nomine Senatus refert *Consul Velmannus*, causam conventus esse, quod totius urbis & civium nomine agere decrevissent cum Reverendo Principe Abbate, ut postquam id privilegii haberent cives, ne sibi propriam



coquerent cerevisiam rustici *Corbiensi Abbati* subjecti, sed hoc ex urbe sibi emere deberent, atque interim diversum in pagis passim reperiretur, ipsius R. dignaretur permittere, ut rusticis vicinis vasa & ahenæ vel cacabi confringerentur in pagis. Annuente Abbate, id quidem ita factum est. Hæc fiunt circa *Quadragesimam*. Interea civis *Huxarianus, Justus Koltwag* *Embecam* peregrè abierat, & à Domino *Doctore Godschalco Kroppio*, ibidem Superintendente interpellatus de statu *Ecclesie Huxariana*, exponit *Doctori Justus*, se suosque concives bona teneri spe de propagatione *Evangelii Huxaria* facienda, modo ministri aliqui fideles ad manus essent. Respondet mox *Doctor Godschalcus*: Est hic quidam vir bonus & doctus *Johannes Winnistedius* ad istam rem maximè appositus, qui modo caret conditione. Hic dixit, id se renunciaturum suis. Statim hoc cognoscentes *Rolandus Koltwagen & Stephanus Braselmann* excurrunt usque *Embecam*, & exposito *Doctori Kroppio & Johanni Winnistedio* statu *Ecclesie Huxariana*, eò rem transigunt, ut ipsum adducant *Huxariam*, ubi à multis magna excipitur lætitia. Postquam aliquot conciones publicas habuisset, tandem ad *D. Kiliani* templum constituitur pastor. Hæc dum in *Quadragesima* fierent, ad *Festum Paschæ* alius concionator *Embeca, Franciscus* nomine, vocatur, & propter metum periculi, non per *sylvam dictam Sollingen*. Sed per *devia Huxariam* deducitur, & ad *S. Petrum* (quod *Collegium Canonici* occupant) pastor præficitur, verum *Canonicorum* perfidia & molestiis nimium aggravatus, vix ibi per tres menses hæsit, deinde discedit. Hic valde renitentibus & sanam doctrinam renuentibus *Canonicis* cives iterum per *Senatum* sunt *Landgravio* supplices, qui statim missis legatis, inter quos fuit *M. Adamus à Fulda*, vir doctus, graviter *Canonici* admonentur, imò omnia *Papistica Sacra* eis interduntur. Cum igitur isti *collegiati* viderent graviter instare legatos, cesserunt, interim tamen cogitarunt, quomodo ex suis aliquem potius præficerent, quam aliunde accersitum sibi dominari paterentur. Ita ab eis proponitur civibus *Conradus Muggius*, & hunc præfici petunt, sancteque pollicentur, fore, ut is incorruptè *verbum Dei* doceat, & *syncere Sacramenta* administret. Is ita recipitur, & illa conditio adhuc additur, ne unquam imposterum se *Papisticis Sacris* immisceat. Si vero contrarium faciat, hunc *privatum* iri illicò ista *functione*. Cum ergo ille vix per semestre perstitisset in *functione*, in gratiam quarundam *muliercularum & præcipuè viduæ tunc defuncti Consulis Voltmanni*



missificat. Itaque statim amovetur ab officio, & hujus in locum substituitur ad Festum Natalis Christi sub finem anni 1533. *Vitus Costius* Vicarius ejusdem Collegii, vir benè doctus, & exlectione librorum *Lutheri* illustratus vera doctrina, qui Evangelium purè usque ad annum 1548. tradidit. Templo tertio ad *D. Nicolaum* constituitur *Johannes Polhennius*, ex Monachis Minoritarum, qui quoque abjecta sua vana religione se suumque animum ad veram religionem serio adiecerat. Is perseverat in ministerio usque ad annum 1557.

### Certamina.

**I**N prima Evangelii plantatione multa tulit *Winnifedius*, seminans in lachrymis: Hinc ab exteris, Abbate & aliis Nobilibus isthinc ab oppidanis, Senatu, mulierculis & aliis, odia, minas, ludibria, opprobria, molestias & sarcasmos graves sustinuit. Interim ille fortiter pergebat, & cepit conscribere ordinationem Ecclesiasticam, quam diligenter conscriptam obtulit Senatui, sed is renuit eam suscipere. Ita tamen fortiter pergit per quinquennium docendo, monendo & adversarios redarguendo, ideo tandem Senatus renunciat illi bono viri functionem anno 1538. levibus de causis, & in ejus locum vocat *Johannem Molnerum, Burensem*, qui ex *Susatensi* Ecclesia dimissus venerat. *Huxariam*, quem cum fortè *Johannes Fontius*, Theologus & Superintendens in *Hassia*, alibi ad functionem vocasset, isti substituit *Winnifedio*, qui etiam interdum quædam in *Molnero* reprehenderat. Amotionem primi Evangelistæ *Johannis Winnifedii*, viri boni & pii & fidelis (qui adhuc anno 1568. superstes erat, senex admodum, in *urbe Quedlenburgo*) Consules *Theodorus Schluterus*, *Bartholdus Masfien*, *Adamus Siverdes* & *Johannes Remenschniderus* urgebant, qui in locum illius *Molnerum Burensem* vocant, virum equidem doctrina & vita sanctum, qui ibi usque ad annum 1548. docuit sine intermissione. Sed tempore interimistico quid huic & aliis acciderit breviter subjiciemus.

Evulgato Cæsaris decreto, ut qui sese à confœderatione cum protestantibus inita, purgare nequiret, intra dies certos *Augusta* comparet, atque cum Cæsaria Majestate transigeret, Senatus *Huxariensis* suis rebus mature consulere studens, pœnamque declinare vel leniare saltem, primum Ecclesiæ & Scholæ regimen Capitulo planè resignat & submittit: Post *Henricum Hovenerum*, Consulem cum *Secretariis Angustiam* mittit. Is sex millia aureorum dependit & in religionis formam



mulam à Cæsare propositam, Interim dictam consentit. Tunc *Abbas Corbiensis Casparus ab Herfell* cui negotium ejus libri & formulæ promovendæ datum & commissum erat, ad hoc valde proclivis, evocat Consules, & quid in mandatis acceperit enodat, & cum benè illos vino inebriasset, dixit quidam ex Consulibus nomine *Martinus Wesfeldt*: Cives facient, quicquid Domine Princeps, vestra gratia voluerit. Itaque redeuntes in urbem, statim librum illum Interimisticum concionatoribus proponunt, & serio mandant, ut ad istius præscriptum Ecclesias suas instituant. Si verò recusent id facere, ut statim ante solis occasum decedant civitate. *Johannes Molnerus* (qui antea *Paderborna*, postea *Susati*, & nunc *Huxaria* Evangelium fidelissimè & innocentissimè per multos annos docuerat magno cum fructu) improbo libro *Interim*, libenter discedit in exilium. *Cotius* verò & *Polhennius* persuasionebus aliorum everfi & ad hoc pertracti librum amplectuntur, sed propterea valdè malè audiverunt apud cives. Per id tempus crescebat numerus *Canonicorum* & *Vicariorum*, quia undique ex *Scholis* & *Academiis* evocantur adolescentes indigenæ, ut augetur *Collegium* inter quos fuit unus *Johannes Grovenius*, Magister artium postea *Erphurdia* promotus, qui per biennium *Wisebergæ* operam literis dederat, & hic tamen collegio impio interfuit. Ita aucto magna *Canonicorum* & *Vicariorum* copia, *Abbas Corbiensis* capit primum missificare & *Papisticam* religionem boando, & per cœmiterium circumeundo introducere in Ecclesias (veluti equus *Trojannus* in urbem *Trojam* invehebatur) in scholasticorum copia, quæ tunc regebatur à *Paulo Grevenio*. Et ab eo tempore inolevit *papismus Huxaria*, quam *Parochia Kiliansa* per biennium careret ministro & pastore, templumque staret clausum & occlusum. Pii interim cives ad vicina se recipiebant oppida, vel ad *Gottingam*, ubi tunc rexit Ecclesiam *Doctor Joachimus Morlinus*, vel *Helmershussum oppidum Hasfia*, in quo degebat exulipforum fidus pastor *Johannes Molnerus, Burensis*, abibant propter auditum verbi Dei, tum propter verum usum & perceptionem *Eucharistiæ*, &c. *Vitus Cotius*, concionator in Collegio, agnoscens suum lapsum, vulnere conscientia tangitur, & cum *Petro* deplorat suam ab Evangelio defectionem: Itaque ex animi mœrore incidit bonus vir in morbum gravem, quo periit. Huic substituitur *Monachus* aliunde vocatus, qui docuit in magna templi vastitate. Illo iterum amoto, succedit quispiam sacrificulus, qui quoque concionatur paucis admo-



admodum auditoribus. *Adamus Sifridus*, circa annum 1550, incipit in templo *Kiliani*, quod caruit pastore, adhibitis aliquot scholasticis recitare Evangelia, Epistolas Dominicales, Catechismum Lutheri, & canere Psalmos Germanicos. Tandem præficiunt isti templo *Henricum Ebsen* / obsecuturum Cæsaris formulæ, quo demum remoto succedit *Philippus Nagelius*, qui antea in *Ulverdisen* oppido *Comitatus Lippie* alibi, ore quidem mediocriter docuerat, sed vita doctrinam turpissime conspurcaverat, quod etiam hîc fecit, sed hoc latius exponitur. Revocatur instantibus civibus in pastorem ad S. Petrum ex permissione Capituli & Collegii *Molnerus Burenensis*, ex vicino oppido *Helmstedis*, qui iterum incipit purè docere, & etiam semper puram duxit vitam. Cum autem is videret, ut vir sedatus & tranquillus, *Philippum Nagelium*, pristinam vitam revocare & in effectum producere, hoc esse adulterari, scortari, potare & egregie Epicuream vitam ducere, graviter hoc turbavit bonum senem *Molnerum*, & adhibitis diaconis ad S. Kilianum amicè, piè & sanctè admonuit *Philippum* sui officii, & ad pœnitentiam eum hortatus est. Sed *Philippus* factum negat & diis loquens execrationibus, item pejurationibus prolatis dicit in confutum esse, seque esse à tali turpitudine purum: Deinde ab illo velle suam testari in hac re innocentiam sumptione Eucharistiæ, postea omnem quærit occasionem bonum senem admonitorem suum (cum *Paulus* velit eos in pretio habendos, qui eos monent) perstringenti in publicis concionibus. Itaque sæpe & in ipsum & in alios bonos viros debacchatur calumniis & convitiis honestos homines & pios profanos & contumeliosa indignaque evomit in istos, ut hac ratione se purgaret & multis hominibus os obstruere posset. Sed quia loquacitate, concitatione & sonora voce, quibus in concionibus valuit plurimum, sibi tantum favoris conciliaverat apud plebem, quibus hoc accessit, quod tempore pestis visitatione infirmorum & laborantium diligenti quoque aliquorum animos conciliaverat, deinde se bibulis, prodigis & hominibus levibus adjunxit, & cum illis quotidie vixit. Dividitur igitur Ecclesia nondum ex Interimistica labe eluctata, in schismata & partes. Nam etiam evidens & notorium esset *Philippi* factum, tamen habuit multos qui eum defendebant alii ex odio & malevolentia quorundam cum ipso iociebant. Cum hæc videret Senatus, statuit hominem amovere, & ad Festum Paschatis vocat in ejus locum virum pium & doctum *Henricum Plasterum*, Senatui à Domino *Johanne Winnifredio*, primo Evangelista



*Huxariensium* commendatum. Verum dum ille in suo adventu moram traheret, hic lachrymando, pejurando, inficiando & patheticis verbis sese insinuat in amorem & consuetudinem civium, & sibi illos tam arctè devincit, ut vi & armis quoque sub vestibus occultatis, Senatus sententia exauthoratum in sua statione & officio retineant, servant & defendant. Hinc factum est ut dum *Palsterus* veniret, ferret repulsam. Nam Senatus metu gravioris tumultus hominem remove, & *Palsterum* in ejus locum substituere non audet. Interim manet ibi per Semestrem, & diebus Dominicis hora pomeridiana docet *Palsterus*. Sed cum ipse multa inordinata videret in ista Ecclesia, maluit ipse tandem ultro discedere, quam ibi harere. Fretus itaque factiosorum & fassinatorum civium patrocinio, manet in officio *Philippus Nagelius*. Et quanquam se paululum ad tempus contineret, tamen ad vomitum redit cum cane, mox pergens scortari, omniaque sua obsonia & quicquid habebat ad scorta ex ædibus transferre. Nec ipsum puduit *Molnerum* aliosque bonos & pios ipsius admonitores publice in concionibus perstringere, & falsissimè hæreseos Anabaptismi & seditionis acculare. Etsi ille magna devotione sæpè communicaret cum plebe, & scortum quoque ejus ad communionem similiter accederet sæpè, tamen oblitus sui in singulis concionibus, ita suos, ut diximus admonitores depinxit. Aliquando negavit suam uxorem, & cum illa ad annos 25. vixisset in conjugio, & ex ea sustulisset 8. vel 9. liberos, interdum & ipsa publicè de ejus sceleribus apud multos sæpè conquesta est. Cum autem pergeret in suo malo proposito, & scortari & crapulari non desineret, aliosque bonos viros diffamare, essetque male exercitatus in scripturis, homo omnis literaturæ expers, convenerunt boni viri, & statuerunt concionatores urbis *Francofortiana* ad *Mænium*, super hac re consulere, & deinde totum negotium quoque per literas *Casselianis* ministris exponere. Inter quos, quid in usum Ecclesiæ tentabant, erant *Johannes Molnerus*, *Burensis*, concionator, *Paulus Grovinius*, Rector Scholæ, *Johannes Siffridus*, Conrector, *Justus Rolandus* civis & plerique alii.

Consulti Doctores in urbe *Francofortiana* hoc subsequens dedere responsum:

**W** Ah sich die Sache mit dem Prædicanten also hält/ wie wir dann berichtet sind/ daß er ein Hurer oder Ehebrecher/ mit seinem Leben die Gemeine geärgert/ und darzu sich hoch verschworen hat/ daß er unschuldig sey/ da



ers doch nicht leugnen könne / da ihm auch um solcher seiner Handlung willen / ein Erbar Rath bey euch Urlaub gegeben hat / und man auch über das zweiffelt / ob auch die Fraue / so er hat / seine Eheliche Haus-Fraue sey / und er endlich ungeschickt ist / und von Christo dem HERRN / seiner Gottheit und Menschheit halben / was den Zorn und Gnade Gottes betrifft / etwas sonderliches und eine irrige Meynung vorgibt / wie uns dann jetzt umlich dasselbe ist vorbracht worden / wolten wir rathe / so sich ein solcher Fall bey uns begebe / daß man ihn bey dem Urlaub / den man ihm um seiner Quere willen einmahl hat gegeben / solte bleiben lassen / und ob er schon nach gegebenem Urlaub weiter geprediget (welcher doch billiger wäre / so man ihm auch alsbald die Tangel verbotten hätte) daß man doch einen solchen argerlichen Menschen des Predigampts solte entsetzen / diß düncket uns der rechten und beste Weg zu seyn: Damit der Kirchen von Anstos und Aergernis / und Predigampt vom Kästern der Widersacher möge geholffen werden. Denn wenn er schon öffentlich seine Schuld bekannte und um Verzeihung bittet (welches er doch / wie wir hören / zu thun nicht begehrt) sondern noch allemal die er gottgert hat / uibel / als Wiedertäuffer austrägt / und andere Praedicanen verachtet / und ein dummkühner Schreyer ist: So wäre es doch gefährlich / einen solchen im Ampte zu lassen. Denn allerweg zu besorgen wäre / er würde bleiben wie er ist / und würde seine Predigt nicht gelten / so er selbst dieselbe Auctorität zu nichte gemacht hat und auch machen würde / daß das Predig-Ampt und andere Prediger würden verachtet werden / wie dann gemeinlich geschicht / so die Prediger ärgerlich leben. Es kan das Predig-Ampt nicht ungerathet und die Prediger nicht unverachtet bleiben / und trachtet das Volk nicht zu einem gottseligen Leben / wenn die Prediger unsträflich sich halten und nicht lehren / was solle allererst bey einem solchen ärgerlichen Menschen etwas zu verhoffen seyn / der darzu auch ungeschickte Dinge lehret / die einen solchen Menschen ins Predig-Ampt setzen / oder der um seiner Mißhandlung willen verurlaubt ist / wieder aufzunehmen und lehren lassen / die thun Christi / sondern Wörte / dem Predig-Ampte und allen frommen und getreuen Leuten eine grosse Unehre an / geben damit Ursache / daß die Widersacher über dem Evangelio und Evangelischen Predigern reden / daß sich viel schwache und einfältiger Leute ärgern / und viel gottseliger Leute damit geärgert und böß verleset und der heilige Geist in ihnen betrübet wird. Paulus lehret eine rechte Form eines Predigers / daraus leicht abzunehmen / daß ein solch argerlicher Mensch in keinem Wege im Ampte sey zu dulden / und die Obrigkeit sey auch schuldig fleißig Aufsehens zu haben / und rechte tüchtige Leute eines christlichen



Wandels und guten Bezeugnissen zu solchem Ampt zu fordern / ungeschickte ärgeliche Leute entsetzen / und solches alles mit Rathe gottseliger gelehrter Leute / auf daß ihre Unterthanen mit heilsamer Lehr unterrichtet werden mögen / wo man diesem allenthalben also nachhänge / würde man nicht so viel ungeschicktes Wesens befinden / wie man an vielen Orten spüret. Diß ist in diesem Fall unser Bedencken / dann wir vornemlich sehen auff Christi Ehre und auff Erbauung seiner Gemeine / welche durch einen solchen Menschen nicht gefordert werden können. Der Kirchen Gottes einige Erlöser / wolle seine Kirchen wider Aergerniß der Hölle-Porten beschützen und erhalten!

Alle Prædicanten zu Franckfurth sämptlich  
und sonderlich.

Diesem Rahtschlag unterschrieben alle Prediger zu Cassel.

Caspar Kauffingen /

Dionysius Melander /

Balthasar Reidenhausen.

Literas autem prædictorum de Philippo Nagelio ad Casselianos ministros datas, exhibuerunt Principi Hassia Philippo isti concionatores Casseliani. Princeps vero mox graviter scripsit ad Senatum Huxariensem de dimittendo & abigendo tam impio concionatore. Cum autem hæc Ladgravi scripta deferrentur ad Senatum Huxarianum, is profecto iniquissime hoc fert, quod quidam ex suis citra & extra Senatus suffragium & sententiam, hujusmodi rem attentassent, & cum cognovissent hujus actionis autores fuisse Johannem Molnerum, Concionatorem, Paulum Grevenium & Johannem Siffridum, gubernatores Scholæ, & civem Justum Rolandum, illos mox in curiam vocant, & tres priores officio deponunt & Rolandum suis ædibus includunt, veniuntque isti in discrimen apud Consules Henricum Siverdes, Johannem Groven / Henricum Kramer / Godschalcum Luleffs & totum Senatum. Ideo isti Casseliam mittunt Siffridum, ut ibi causam suam & sociorum agat, ubi & in itinere non fuit in levi periculo. Sed Dominus mirabiliter vix post hæc acta paucis diebus elapsis confundebat Philippum, quoniam manifestè ipsius scelere profligatur tandem ex urbe, & postea is factus Castrensis concionator: Postquam rediisset ex bello in Urhen pago, pastor factus & ibi & in diversis locis aut idem aut simile tentavit quod Huxaria, ideo etiam in vitæ discrimen, & in carceris usque molestias prolapsus est



propter maleficia. Tandem in pago Heinesen ad visurgim prope artem Polla moritur. Hæc non sine dolore referimus, & ita, ut sit citralius contumeliam orantes Dominum JESUM ut omnes pios servet a malo Amen. Illi substituitur *Huxaria* quidam *Thomas N. Mindani*. Et cum antea morbo correptus vita fungeretur post multos labores viles in Ecclesia *Huxariana* exantlatos *Johannes Molnerus*, *Burensis*, pietate & virtute præstans vir, ei succedit *Paulus Grevenius*, ex Schola ad munus Ecclesiæ translatus, qui antea auditis *Molneri* concionibus & lectis nostratium Theologorum scriptis dederat se totum Theologus, & ducta *Molneri* nepte, fit quoque hæres Bibliothecæ *Molneri*, unde multum eruditionis hausit. *Polhennius* Ecclesiastes ad S. Nicolaum, qui quoque circa annum 1553. deposuerat Interimisticam scabiam & doctrinam, atque sinceram religionem receperat, moritur anno 1577. hydrope, & vocatur in ejus locum *Bernhardus Luderus*, *Mindaniensis*. *Grevenius* porro ad S. Petrum pastor per triennium fideliter docuit, & quia gravibus scandalis Ecclesiam premi videbat, seque concionibus & admonitionibus ista abolere & talibus mederi non posse cognoscebat, cessit ultro & obtinuit functionem in oppidulo *Hassia* prope *Castellam* dicto *Gmmenhusen* / atque in ejus locum vocatur ex *Academia Jenensis*. Anno 1559. *Johannes Siffrius* civis filius, qui in ea Academia *D. Eberhardum Sneffium*, Illyricum, *D. Museum*, *D. Wigandum* per biennium audiverat, & à *Doctore Museo* examinatus & ordinatus venit in patriam & cum is videret ista scandala Evangelicæ doctrinæ plurimum nocere esse, propter quæ suam stationem deseruerat *Paulus Grevenius*, cepit is quoque impia Magistratus vel Senatorii ordinis virorum & ditorum civium cum Judæis Christum filium Dei blasphemis extremis execrationibus reprehendere commertia, usuras & expilationes, & impietatis quod ibi ferret Magistratus Pædagogium Judaicum, & Præceptorem eorum nostræ doctrinæ manifeste maledicentem. Hanc iniquam conventionem Magistratus, qui acceptis ab istis impiis & blasphemis Judæis muneribus connivebant, & tacebant ad omnia; Deinde *Canonicorum* in Collegio securitatem, impietatem, scortationem, luxum & perveritatem, quod omnia consumerent & nihil ædificationi rionosi templi, fenestris violatis & ministerio Evangelii impenderent manifeste & sæpè reprehendit pro concione, nec quoque subiectis quod tres Consules & alii cives suos filios rasuræ & juri Abbatis propriæ præbendas & beneficia submitterent, atque ita istos Deo *Moloch* consecra-



secerent. Hinc fit ut à Canonicis ad Consules ipsi parum propitios deferretur & accusaretur: Et quanquam se facile tueri & defendere potuit, tamen de illo amovendo inquitur consilium. Quærunt igitur occasionem, & tandem tres causas inveniunt, postquam ipsi structæ essent, insidiæ. Cum forte astare patri propter quosdam agellos litiganti coram Senatu dixerat, patrem gravari sententia Senatus. Hinc primam arripiunt dicentes, illum qui debebat ex scripturis tueri Senatorium ordinem ut ordinationem Dei, injustitiæ insimulasse magistratum & sic dignitatem ejus labefactasse. Secundam causam quærebant ex quadam ejus concione pomeridiana habita in Festo Visitationis Mariæ ex Cap. ii. Esaiæ superversum. Non judicabit juxta auditum aurium, nec visu oculorum, &c. quoniam ibi movebat *Siffridus* quæstionem quam & *D. Brentius* in explicatione ejusdem loci movit & tractat. An Magistratus ex scripta lege vel ratione tantum jus dicere debeat &c. ex ea quidam malevoli surripiunt verba pauca eaque reprobe inversa & intellecta ad Consules deferunt clamantes *Johannem Siffridum* acriter iterum in Senatum debacchatum esse. Ideo vix diebus 14. elapsis convocatur Senatus & jussu eorum dimittitur *Johannes Siffridus*. Postquam verò sui parochiani per deputatos quosdam quærerent causas dimissionis & dicerent, quod & vita & doctrina inculpatus esset, responderunt Consules, primò quod injustitiæ in curia accusaverit Senatum. Secundo quod etiam in Senatum stomachatus sit pro concione. Tertio quod utatur Misnica lingua, cujus non est bene capax plebs. Et si pro illo supplicarent parochiani, & simul ejus socer *M. Rodolphus Mollerus*, Superintendens in Ecclesia *Hamelensi*, graviter moneret Senatum *Huxarianum* per scripta, sui officii, & ipsos non habere justas deponendi suum generum causas, etsi quas prætendant, non esse eas vel tales, quarum se fateatur reum *Siffridus*, qui dixit se semper suorum verborum interpretem esse commodum, & adderet Senatum bona conscientia non posse eripere parochianis expetentibus ministerium *Siffridi*, suum generum, quod si vellent pii esse, cogitarent, ministrorum munus hoc ipsis divinitus impositum esse, ut arguerent, monerent & docerent, itaque eum, qui Ecclesiæ & juventuti in exercendo Catechismo bonam operam fideliter navasset, non levibus causis ejici debere: Tamèn illa omnia frustra tentabantur, quia sic stabat sententia, ut exautoratus esset *Siffridus*, cui hoc contigit, quod dicitur à Christo: Nemo Propheta acceptus in patria. Vocatur igitur *Hameliam* à Senatu, ut



Soceri sui Collega esset, & eum laboribus sublevaret. In istius locum substituitur *Jacobus Reitelius*, ex gubernaculo Scholæ *Huxariæ* exaltatus. Anno 1563. removetur quoque *Thomas Mindanus* nescio ob quæ vitia, & cum *Rolandus* & *Broderus* cives proficiscerentur *Lipsiam*, *Noribusii* in hospitio incidunt in *Nicolaum Erbenium*, *Gorbanum*, paltorem oppidi *Sundershausen Comitatus Schwartzburgensis*, & cum intelligant ipsum vocationem in *Huxariæ Ecclesia* non repudiaturum, si offerretur, ille redeuntibus istis civibus domum vocatur, qui *Huxariæ* scripsit libellum qui continet confutationem Magicæ & Idolatricæ confectionis creaturarum aliarumque superstitionum horrendarum, qui est æditus Anno Domini 1564. & is Anno 1567. suscipit gradum *Magisterii Marpurgi*.

Anno 1566. in ipsis feriis natalibus moritur *Bernhardus Luderus* homo doctus & Poëta (qui *Huxariæ* vertit carmine & edidit *Johannis Epistolam primam*) morbo comitiali, cui successit bonus senex *Hermanus Lippiensis*, quo statim mortuo, quidam *Wilhelmus*, qui mox aliud se contulit; Ita tandem *Johannes Stallmeisterus*, filius urbis suscipitur ibidem. Sed cum *Reitelius* propter locum suæ uxori destinatum in templo, magnas moveret Tragœdias & in Collegio Decano vim aliquoties inferret, & alia quæ Ecclesiasten non decet agere diceretur, dimittitur, & vocatur *Martinus Hoibanthus, Paderbornensis*, in ipsius locum. Interim dimissus voluit is *Jacobus Reitelius*, multa movere de jure, & violenter contra Senatam agere. Sed frustra. Diximus de *Martino Hoibantho*, in historia *Paderbornensis*.

### De Schola.

Schola illustris ibi nunquam fuit, sed tantum puerilis & trivialis. Primo præfuit Scholæ Evangelicæ *Conradus* quidam. Mox *Christophorus Wedigenus* qui etiam interdum docuit in Ecclesia. Huic successit *Johannes Embecensis*, vir doctus. Post hunc *Bartholdus Frundius*: Cui successit *Bartholdus Alruschius*, civis & *Frundio* & *Alruschio*, Conrector erat *Jodocus Wordehenkenus*, eruditus vir. Postea *Bartholdus Richius*, circa annum 1546. Rectorem ibi egit, qui postea promotus in Juris Doctorem Consiliarius hodie est *Ducis Brunsvicensis*. Hierant antea Interim ibi Scholæ moderatores. Post Interim fuit ibi Gubernator juventutis *Paulus Grevenius, Brunsvicensis*, qui postea ibi fit Ecclesiastes. Huic erat Conrector *Adamus Siffrius*. Deinde etiam ei Conrector erat



erat *Cyriacus Wolffius*, civis filius homo doctus, qui postea Magister est promotus *Witeberga*. Post hunc fit Conrektor & tandem Rector *Johannes Siffridus*, cui tunc frater *Adam Siffridus*, erat Conrektor. *Siffridus* post regimen & functionem scholasticam traditam docto viro *Arnoldo Suidero*, *Hornensi*, proficiscitur *Jenam*, & post biennium vocatur in pastorem *Ecclesie Huxariana*. *Suidero* fuit Collega *Justus Pansa*, qui etiam *Suidero* ad *Gottingensis* Scholæ gubernationem proficiscenti & vocato succedit in Rectoratu. Post hunc venit *Jacobus Rittelius*, qui ex schola vocatur in locum *Siffridi* Ecclesiastes.

### De Corbiensi Collegio.

**A**bbatia *Corbiensis* (ex quo olim prodierunt viri docti, Episcopi varii) quæ etiam cum *Osnaburgensi* Collegio fuit totius *Westphalia*, imo Saxonie Phrontisterium ante quingentos annos, nunc est secularis Principatus, & ibi viget papistica religio, quanquam qui hodie ibi Abbas est *Reinerus à Buchholt* sit studiorum patronus & Evangelio clam addictus, vir doctrina & usu rerum præstans, cui opto ut tandem cum *Nicodemo* ad veram lucem & Confessionem Evangelii accedat, Amen.

## De RENATO EVANGELIO

In ECCLESIA URBIS SUSATENSIS,

quæ dicitur in antiquis Annalibus

METROPOLIS ANGRIVARIORUM,

Auctore

HERMANNO HAMELMANNO.

**E**tsi essent cives multi, qui in urbe *Susatensi* zelo & verbi Dei cognitione flagrabant (ex quibus hi præcipui erant *Johannes Frensius*, *Johannes Affelenius*, *Johannes Schachtorpius*, *Georgius Collins*, *Antonius Mollerus*, *Gottfridus Bentindhius*, *Johannes Glasemakerus*, *Antonius Remenschniderus*, *Johannes Sander* & *Johannes Arnsbergius*: Imprimis vero *Johannes Kubeckius*, qui fugientibus consulibus creatus est consul, & *Johannes Holtius*, qui deinde judex creatus & electus est) & circa annum Domini 1526. & 1527. 1528. 1529. & amare incipiebant Evangelium, & inter se de eo commentari & simul diligenter promovere, tamen



tamen nihil aperte ab eis tentatum est. Sed Anno Domini 1730. ceperunt pueri & adolescentes publicè canere Psalmos Germanicos in partibus ex Psalmorum libris ad januas civium quærentes ostiatim victum. Item vesperi quilibet & nonnulli etiam in domibus clara die. Hoc valde habuit Canonicos illos collegiatis Minoritas & totam fecem Pontificiorum. Ideo & illi, qui docebant Pontificii publicè pro concionibus & deinde alii ventres papales in conviviis domesticis & Colloquiis hinc inde in foro & alibi habitis cum civibus, vehementer stomachabantur in Lutherum & alios pios Ecclesiæ Doctores, eosque & totam Evangelii doctrinam diris convitiis damnare & devovere, Psalmosque illos, qui ita canebantur, diabolicos appellare sæpe solebant. Ita impia & frequenti execratione quotidianaque damnatione atque ferocitate & arrogantia inflamantur cives & juniores, & fremitu quodam incipiunt magis contemnere Pontificios, magisque canere Psalmos Germanicos ex Lutheri Psalmodiis, & de doctrina vera ardentius querere, imò suas meditationes contra pontificios non obscurè prodebat. Itaque admonitus Decanus Collegii per Senatum, ut suos Capitulares & Vicarios compescat & refrenando cohibeat, admonetque, ne se ita opponant civibus & irritationibus, maledictionibus & calumniis eis dent occasionem aliquid vi tentandi. Sed frustra ea admonitio fiebat. Nam fortiter in proposito pergebant. Ut tamen magis retineret Senatus & Tribunitia potestas cives in officio & usu antiquæ religionis, de consilio paucorum in Collegio evocare Colonia cogitant quendam doctum, aut Monachum aut alium, qui cum terminariis & aliis Sacellanis posset docere & propagare Pontificiam religionem & oppugnare doctrinam Evangelii. Ita vocatur monachus dictus *Kensbeckius*, quem constituebant concionatorem in templo antiquo, & ipsi Senatores frequenter ad ejus concionem accedebant. Interim contra hujusmodi astum meditabantur iterum cives pii, & jam *Johannes Kelbergius* teporariè in æde D. Pauli (ubi erat concionator) purius docere & Evangelii lucem pedetentim accendere scribunt pii cives etiam ad *Doctorem Gerhardum Heckerum* (cujus tunc per *Westphaliam* magna erat auctoritas in promovendo Evangelio, quem sæpè ut Præceptorem coluerat & commendaverat *D. Martinus Lutherus*, quod multis erat apertum) ut aliquem idoneum & doctum virum, qui posset *Kensbeckio* opponi, mitteret clam *Susatum*: Ita mittitur *Osnaburga* ab ipso *Doctore Heckerio*, *Johannes Campius*, qui quoque secum attulit *Thomam Brockwium*: Et tunc



liter aderat *Johannes Liberius* vel *Frijus* ibidem. Cum autem illi quatuor adessent, fit consultatio inter cives, quomodo prudenter rem instituerent & breviter istud negotium exordiri possent, tandem ex communi deliberatione id videbatur consultum, ut eum iturus esset ad concionem *Kensbeckius*, interciperet eum, & eum anteverteret atque ita pie doceret *Johannes Campius* in die *Thoma*. Sed cum ea res, quæ inter multos tractabatur non posset esse diu occulta, negotium defertur ad Consules, qui tunc erant *Johannes Gropperus* & *Albertus Grevenus*: Illi in ipso die *Thoma*, cum totus conatus civium esset eo die mane ipsis relatus, se ad templum conferunt & statuto concionis tempore ac hora cum paucis Senatoribus adsunt, & ministris jubent in ipsa actione, ut euntem *Campium* ad suggestum apprehenderent & carceri includerent. Hic statim cum fieret in templo ad quod cives & foeminae magno numero confluxerant, oritur tumultus, omnesque clamant ibi in templo vim fieri concionatori nisi præter & contra morem antiquum *Reipublica Sufatensis*, ubi plebi scitum est, ne quis vinculis tradatur nisi de suffragio eorum, qui ibi iudicii potestatem habent, id est præsidum iudicii. Ideo accurrentes simul tumultuatim cives eripuerunt ex manibus ministrorum & licitorum *Johannem Campium*, atque simul serio quærentes ex licitoribus quorum jussu manus in hunc coniecissent, illi dixerunt consultum tantum autoritate fieri & facturum esse. Itaque mox Senatum adeunt, imò in arctum cogunt. Conveniente Senatu utroque & tribunitia potestate facti sunt duo Consules id tantum suo ipsorum jussu factum esse, & quidem præter communem consuetudinem. Sed rumor & seditio civium non cessavit (quia in tertium motus ille diem duravit, & erant in magno periculo Senatus uterque) nisi dedissent locum Evangelio. Coacti igitur necessitate quadam, & certè in viti Consules ac uterque Senatus Tribunitiaque potestas propter communem tranquillitatem retinendam, consenserunt tandem in suscipiendis aliquot concionatoribus Lutheranis. Sed cives vehementer petunt & instant, ut ipsis ista religio libera concederetur, quam in certa Confessione Augustæ exhibuissent *Johannes Elector Saxonie* & *Philippus Landgravius Hassie* cum aliis piis Principibus *Carolo V. Casari*, quæque sonaret in Ecclesiis per istorum Principum ditiones & dominia reformatis, atque in Ecclesiis urbium *Lubeca*, *Hamburgi*, *Luneburgi*, *Brunsvige* & c. Deinde offerunt se velle mox sistere viros quosdam doctos & Evangelii concionatores in curiam coram illorum conspectu, qui debeant &



possint illam doctrinam ex verbo Dei tueri & defendere: Petere igitur ut vocentur Monachi & Canonici, & se cum his committant in publicam disputationem. Tertio igitur die citati Canonici & reliqui Pontificii in curiam, & praesentes jubentur proferre si quid habeant quod possint opponere novis his concionatoribus, qui Lutherani sunt, & profiteantur doctrinam Augustanae Confessionis, nuncquam regule demonstrant, istud dogma & cantiones illas Germanicas esse diabolicas, quas antea saepius istis titulis traduxerant. Adesse illos ut disputent contra eos & tueantur ex verbo Dei veram Evangelii sententiam. Hic Pontificii conqueruntur id sibi difficile esse, & se imparatos venire in curiam. Et si eis offeratur spatium aliquot dierum ut interea se ad disputationem prepararent, tamen detrectant disputationem. Quæritur igitur ab eis, an quoque tum adhuc habeant quod in novorum concionatorum doctrina ceremoniis reprehendere queant, ingenue respondent, se in eis nihil reprehendere. Itaque cum Senatus uterque & Tribunitia potestas audirent Pontificios desiderare nihil in doctrina Evangelii, ideo jam inviti plerique eorum spe omni abjecta Evangelicis concionatoribus locum relinquunt, & deinde jubent Collegiatis & reliquis Pontificiis, ut abolitis horis Canonicis, Missis, Vigiliis, invocatione Sanctorum & reliquis impiis Ceremoniis, peregrant in posterum pios tantum Davidis Psalmos canere. Cum autem illa anno tum instante 1531. nondum cessarent maledicere concionatoribus piis, & doctrinam Evangelii tanquam hæresin damnare, offensus se multoties ad disputationem concionatores, quibus tunc accesserat *Johannes Molnerus, Burensis*, qui *Paderborna* evocatus erat: Et deinde jam praesentes erant *Johannes & Jacobus Iserlonii, fratres, Johannes Synchewius, Henricus Welhusius, Stephanus Huntinchusius, &c.* Hi inquam alius publicè propositionibus de rebus fidei citant & evocant ad disputationem concionatores Pontificios, Monachos Minoritas, Terminatos & collegiatis, sed statuta ac ad disputationem hora ordinata nec moræ istis omnibus comparuit. Itaque multi cives, qui erant alterius sententia, jam accessere Evangelicis, & cogebatur ita Senatus uterque cum Tribunitia potestate locum dare Evangelio, atque ad plenum usque accipere formam doctrinae, quæ propagabatur sub *Electore Saxonia, Jo. & Philippo Hassia* & finitimarum regionum Principe in *Hassia, Saxonis* & civitatibus Maritimis. Cum autem appareret quaedam diversitatem usu ceremoniarum, atque alius aliter Sacramenta administrare de sum



suum in docendo & aliis exercitiis Ecclesiasticis sequeretur morem, ex communi deliberatione evocatur *M. Gerhardus Oemikenus, Camensis, ex urbe Lippia*, (ubi jam ei & munus docendi & oppidi commoratio interdita erat per *Clivensem Ducem*) ut conscriberet in usum *Susatensis* Ecclesie certam ordinationem, quod fecit, & ibi aliquandiu hæsit. Finitam & absolutam ordinationem misit ad *Doctorem Urbanum Rhegium*, quicquam publico elogio commendavit. Misit autem eandem ad *M. Hermannum Bonnum*, petens à *Lubecensibus* concionatoribus quoque clanculum, & si eis probaretur editionem istius per prælum: Itaque editur *Lubeca* per *Johannem Ballhorn* Anno 1532.

Ordinationis summam recitabimus: Primò docet in ea *Oemikenus*, ut procul arceantur ab urbe & pagis *Susatensium* sectæ & hæreses Sacramentariorum, Anabaptistarum & aliarum hæresum pugnantium cura Augustana Confessione.

Secundò de piis concionatoribus vocandis & Pontificiis procul amovendis & seditiosis, quales plerumque sunt Pontificii. Ibi dicitur Romanum papam esse Antichristum: Tractat & de dignitate & honore Magistratus civilis quam papistæ mancipii loco habent.

Tertio triduit concionatoribus præsentibus doctrinam & pietatem, atque de pædobaptismis & baptismi usu prolixè tractando & explicando coram plebe docet prolatis etiam argumentis contra Anabaptistas, ubi similiter refert ex scripturis non prius baptizandos infantes nisi ad plenum natos contra sententiam Pontificiam: Provocat quoque ad ordinationem *Brunsvicensem*, aliquando à *D. Doctore Johanne Bugenbaste* æditam. Ostendit præterea Germanicè baptizandos pueros, ubi acriter abusum Pontificium perstringit: Deridet quoque chrisma, sal, cæram & alia ut notas Antichristi & idoli athei Romani signa, & ita baptismum tractandum præcipit, ut ordinavit *Doctor Lutherus*, & prolixè progrediens in abusum Pontificium, & circa baptismum & in aliis ceremoniis atque impietatibus receptum debacchatur: Deinde de idoneis obstetricibus ordinandis verba quoque ibidem facit.

Quartò asserit de schola aliqua frequenti aperiunda, in qua ad bonas literas, Latinas & Græcas discendas adolescentes missi, instrui commodè possent: Cui & Magister artium & Cantores aliique præficiantur docti & idonei, & quid eis debeat numerari addidit atque de aliis quibusdam extraordinariis scholis, in quibus puellæ & alii instituantur & ad veram pietatem erudiantur, ubi iterum abusum Pontificiorum in Collegiis reprehendit.



Quintò de ordinando Superintendente & ejus Coadjutore ac vicariusque stipendio officioque differit, atque de reliquis concionatoribus ordinandis.

Sextò de ordinandis ceremoniis, festis concionibus tam hebdomadariis quam Dominicalibus loquitur.

Septimò de causis matrimonialibus, & quomodo in copulatione matrimoniali sit procedendum docet.

Octavò de Banno vel excommunicatione differit, & quid sit agendum cum blasphemis, cum ebriosis, adulteris, fornicatoribus, & aliis similibusque puniendis, item quomodo adstringantur matrimonio omnes in genere sine ulla exceptione, & quod impie faciant, qui personis Ecclesiasticis matrimonium interdicunt.

Nonò dicitur de cœnobiis eorumque votis & an sine à piis Christianis tradendi liberi collegiis & cœnobiis post agnitam veritatem.

Decimò differit contra invocationem sanctorum.

Undecimò contra consecrationem creaturarum disputat.

Duodecimò, quid sit agendum cum reis de quibus sumus supplicium capitale magistratus, contra veterem papistarum morem.

Duodecimo tertio de pulsu campanæ pro pace, de Bibliotheca Christiana instituenda, de jejunio ejusque usu verò differit.

Decimo quartò de usu imaginum quatenus illi ferri possint, aliisque utilibus exercitiis & ordinationibus isti Ecclesiæ accommodatis prolixè refert. Hæc est summa ordinationis.

Hæc ordinatio ex communi Senatus utriusque & Tribunitie potestatis deliberatione ita urgentibus civibus suscipitur, approbatur & publicatur die Jovis à Paschate Anno 1572. Cum jam adisset Superintendens novus, quem literis & nunciis legatis petiverant à Principe Electore Duce Saxonie Johanne & ipso D. Luthero, qui tum *Widberg* amiserant Johannem de Bruen/ *Gandaviensem*, quondam Monachum observantem & Doctorem, qui ea septimana quæ sequitur Dominicam *Lazarare Susatum* appulit. Cum autem istam functionem Superintendens non susciperet ibidem ipse *M. Gerhardus Demisen* hæc erat causa, quod jam bis ejectus esset sub nomine Principis *Clivensis Johannis*, ex diversis locis propter doctrinam Evangelii, videlicet ex oppido *Burgen* in *Clivia* & deinde ex urbe *Lippia*, tum quoque hoc nomine scripturæ Princeps ille ad Senatum quod illum profugum in sui ignominiam jam suscipissent *Susatenses*, quem ille aliquoties fugasset propter hæresim. Super.



Superintendenti propter *Lippos* oculos Pontificii indiderunt nomen *Simonis*. Huic datus est Coadjutor *Johannes Campius*. Quomodo autem deinceps disposita sint ministeria, non exacte & distincte cognoscere potui. Interim scio quod *Kilbergius* docuerit semper in æde divi Pauli usque adjectionem Interimisticam. *Johannes Synckhusius*, in templo dicto *Ehorshohen*. *Johannes Molnerus*, in æde *Georgii*. *Thomas Broickwius*, in templo divæ virginis dicta *Ehorweste*. *Johannes Liberius* vel *Erijus* in parochia *Thomæ*. Alii prædicti parochianis rusticanis præficiebantur.

*Johannes Campius*, cum is inciperet *Cinglianizare* (hoc enim de illo dicebatur) est dimissus, & vocatus est in ejus locum *Johannes Pollius*, qui Evangelista eousque fuerat in Comitatu *Tecklenburgico*, homo doctus & celebris Poeta, quem mox revocavit Comes *Tecklenburgicus Conradus* ex ministerio *Susatensi*, in initio anni 1535. & tunc vocatur in ejus locum *Briktius Nordanus* (qui antequam veniret Monasterium quoque *Burici* docuerat, & inde ejectus erat) superiori anno ex urbe *Monasteriensis* per Anabaptistas ejectus. Hic etiam factus Coadjutor Doctori *Johanni de Bruen Gandaviensi*, sed statim is quoque dimittitur, & assumitur in Superintendentem *Briktius*: Qua de causa sit dimissus Doctor ille, ignoro. Sunt enim faciles in dimittendis concionatoribus etiam hodie *Susatenses* proceres. *Briktio* tunc contigit Coadjutor *Hermannus Suavennus*. Dimittitur quoque & *Johannes Sinckhusius*, cujus dimissionis quoque causam ignoro, & in locum ejus suscipitur *Rotermuntus*: Eidem etiam aut mortuo aut dimisso succedit aliquando *Telmannus Neuzelius*, qui *Lippia* Evangelium docuerat, & pater fuerat in domo fororum: *Johannes Molnerus*, *Burensis*, dimittitur Anno 1538. vir certe bonus & doctus puto ob hoc, quod liberius vitia reprehendisset, & credo ei successisse *Antonium Kolthovium*. Mortuo autem *Thoma Braskyvio* successit *Johannes Lemekenus*.

#### De Certaminibus in Ecclesia SUSATENSI ante Interim ortis.

CUM cognovisset Princeps *Clivensis*, & simul ejus Celsitudini oblata esset ordinatio *Susatensium* jam edita, & publice superiori semestri per totam urbem ab omnibus suscepta, serio scribit Dux *Clivensis Johannes* circa Festum Michaelis anno 1532. ad Senatum *Susatensem* & mandat, ut illam novam ordinationem nuper susceptam, eamque

Zzz zzz 3

editam



editam abolerent, & eam deinde, quam ipse ut Princeps patrie conscribi & fieri in usum Ecclesiarum in suis ditionibus curasset, placide suscipere, quanquam istius Principis ordinatio nunquam mitteretur ad *Susatenses*, tamen illi tunc Principi responderunt, se susceptam ordinationem deponere non posse, postquam illa sit fundata in sacris literis, & religio quam semel susceperint sit conformis ei, quam constanter defendant & tueantur *Johannes Elector Saxonia & Philippus Landgravius Hæssia*. Se quidem, ingenuè scribunt deinceps, agnoscere *Dacem Clivensem* pro suo Domino, suosque majores, & se ita olim repudiato tyrannico Dominatu *Archiepiscopi Colonienfis Theodorici* allumpcos in Principes & Dominos suæ urbis & simul bonorum & corporum, atque in eis libenter ipsius Celsitud. Dominium & potestatem agnoscere, interim eandem, nullam habere potestatem animarum suarum. Quare suppliciter petunt ut ipsius Celsitudo permittat & concedat propter Christum ipsis illa reddere Deo, quæ Dei sunt, & Cæsari ipsiusque Celsit. quæ & Cæsaris & Principis sint, atque ne velit quicquam novi contra rempublicam & urbem *Susatensem* tentare, sed ut clementer juxta obligationem jam olim à suis majoribus & similiter à sua Celsitudine ratificatam, servet. Interim hoc ejus Celsitud. liberè permittunt, si per suos possit erroris convincere concionatores Evangelicos ex verbo Dei, aut talem ordinationem mittat quæ magis verbo Dei sit conformis quam illa earum nuper scripta & suscepta, se quidem paratos esse ad omnia, & velle abolere concionatores cum doctrina, & suscipere aliam ordinationem. In eandem quoque sententiam scribunt ad *Johannem Electorem* (cujus filius *Johannes Fridericus*, duxerat in uxorem *Clivensis Principis Johannis filiam Sybillam* ante triennium) & per legatos petunt in causa Evangelii, ipsius intercessionem, quam cum impetrarent, miserunt eandem in aulam *Clivensem*, & ita aliquandiu pace sanam eis reliquit religionem veram aula.

In Dominica Latate Anno 1533. Postquam Superintendenti concionanti in Ecclesia collegiata deponeretur charta repleta pulvere bombardico, conqueritur de ea re publicè addens quam seigniter agitur cum Pontificiis: Ita excitatur tumultus, & ibi de novo compellitur à civibus Senatus, cur frena laxet Pontificiis, & ipsis tot mala & scelera indulgeat. Sed Senatus uterque ut plebem sedarent, prorsus ferunt quidem omnem diligentiam, atque simul permiserunt Superintendenti & concionatoribus, quoniam non cessabant Pontificii turpi-



ter loqui de vera doctrina, ut tertio post illam Dominicam die, hoc est 24. Martii coram Senatu utroque citatos Canonicos & Vicarios examinarent coram utroque Senatu & tribunitia potestate. Ibi alter post alterum interrogatur, quid habeant reprehensione dignum in doctrina Evangelii, & nuper suscepta ordinatione atque ceremoniis pie circa Sacramenta in Ecclesiis institutis ac assumptis, & omnes fatentur se nihil in eis reprehendere. Quare ex communi deliberatione sic pronunciat Consul *Johannes Esbeckius*: Postquam nemo vestrum reprehendat, vel etiam calumniari possit doctrinam Evangelii & ceremonias publicè superiori anno susceptas, meritò vos decet ex suffragio utriusque Senatus & Tribunitiæ potestatis suscipere illam doctrinam & formam rituum susceptorum: Ideo proponet vobis D. Superintendens formam vivendi, eamque de scripto præleget, quam & vos diligenter audire atque reverenter suscipere debetis. Istius Reformationis summa hæc erat: Ut piè, sanctè & honestè viverent, item abolita superstitione tantum aliquot Psalmos Davidis canerent, veluti in ordinatione præscriptum esset. Deinde abrogata fornicatione & vita concubinaria, matrimonium inirent, vel caste in cœlibatu viverent absque offenculo. Tertio ne quisquam Monachorum, Canonicorum, Vicariorum vel Nonnarum ordinationi susceptæ reclamaret. Hanc à Superintendente propositam Reformationem an velint suscipere quærit à Pontificiis prædictus Consul, & simul jurare in audita & prælecta scripta cum ipsis, ut ita tandem pax, concordia & tranquillitas possit restitui urbi & Reipubl. & omnes, hoc est Senatus uterque, Tribuni cives, concionatores & collegiati simul concorditer commodè & honestè vitam in *urbe Susatensi* transigerent. Hic illi omnia illa proposita cum certa obligatione & promissione susceperunt observanda: Et ita dimissi sunt: Postridie revocatos à Senatu, orat eos Superintendens, quoniam consenserant in unam religionem, ut igitur dignentur venire in templum, quo possint confirmari in pio proposito, & ita quoque innotescat toti Ecclesiæ, collegiatorum consensus cum concionatoribus & omnibus piis in vera doctrina initus: Sed cum id fieri debebat, isti Canonici plerumque omnes, & præcipui Vicarii aufugerunt, & aliqui *Coloniæ*, aliqui in vicinas se receperunt urbes: Sed mirum in modum literit & verbis traduxerunt *Susatenses* tam in aula Archiepiscopi *Coloniensis* quam *Ducis Clivensis Johannis*, & contra proprium juramentum blasphema & varia mendacia de ipsis commentati sunt: Pro  
his



his igitur minaciter recipiendis & suæ religione restituendis scripti *Johannes, Dux Clivensis & Juliacensis*. Mox responderunt suo Principi demisse Senatus cives & tribunitia potestas. Ipsos quidem Canonicos & Monachos jam antea confessos esse, quod nihil in doctrina Evangelii reprehenderent, sed eam veram esse confiterentur, nihil quoque eis impositum aut injunctum esse, quam ut de propria ipsorum Confessione venirent Evangelico more hac solum de causa ut concedita retineretur in *urbe Susatensi*: Ipsos igitur non aliter aut alia conditione recipi posse, quam ea, in quam ipsi consenserant antea, videlicet eam omnibus incolis receptam ordinationem & Confessionem Augusti Cæsari exhibitam à quibusdam Imperii Principibus comprobarent.

Eodem anno die Mercurii post Festum Paschatis excitatus est tumultus in cœnopolio, quo die solent elocare libras civitatis à quibusdam à quinque civibus propterea quod olim illo tempore iussent cives liberi à solutione & immunes convivæ, nunc vero à singulis solutio exigeretur vini præter morem. Nomina illorum hæc erant: *Joh. Schachtorpium*, fullo, *Johannes Armersterus*, *Johannes Jacobus*, sator, *Georgius Petrus*, & *Johannes Dyricius*, sator, quorum posterior fuit præcipuus autor istius motus, qui primo morosius austeris verbis adoritur urbis & ærarii Quæstorem *Johannem Cabeckenum*, post illum ceperunt aliquot quatuor quoque jam vino calefacti paululum immoderate agere. Quamquam nemo ex omnibus convivis in illa confusione læderetur aut vulneraretur præter *Johannem Dyricium*, qui non nihil incommodum sensit in uno digito, tamen clam hoc agunt capita urbis imprimis acceperunt ut nunc animadvertant in *Schachtorpium*, cui imprimis iniuriæ erant propter Evangelii promotionem ab ipso valde adjunctam, & quod crederent eum prioribus ob religionem tumultibus aut intercessisse, aut consiliis & occasione clam præfuisse. Ideo tandem die Martis post Dominicam Misericordias Domini, vocatur Senatus uterque, Tribunitia potestas utriusque lateris. In illorum congregatione graviter exaggeratur ille tumultus, quid jam inde futurum sit, cogitate, inquit Consules, si hæc ita seramus deinceps, nullum amplius post hæc locum celebrare convivium aut conventum, vidistis quoties jam hujusmodi tumultus sint excitati. Jam enim putabant justam causam persecutos, ut tumultuatores punirent, postquam illis quinque non religionis, sed exiguæ pecuniæ causa talem motum excitasset, quoniam propter priores tumultus propter religionis causa excitatos neminem punirent.



punire audebant propter plebem. Ita demum communi suffragio statuitur illos omnes gravius plectendos cæteris civibus in terrorem. Et cum jam huic decreto interfuisset, ut unus ex ordine Tribunitio *Schachtorpius*, ingressus domum suam, mox promptam pecuniam tradidit marsupio, & exire urbem cogitavit, verum interim aliud mox mente voluit consilium, videlicet tale, quod si semel exieris urbem, nunquam forte in eam redeundi potestas concederetur. Si igitur maximè capiaris, poteris te aliqua summa pecuniæ redimere. Nam nihil minus cogitavit quam supplicium fore Capitale. Ita bonus vir sua opinione & simul aliorum, quos super hac re consuluerat persuasione seducitur. Die enim sequenti, qui fuit Mercurii capiuntur prædicti quatuor cives, sed *Schachtorpius* primum die Jovis. Die autem veneris fit frequens Senatus, & colliguntur Tribunitiæ cohortes summo mane: Ibi post longam deliberationem tandem concluditur ipsos illo die capite plectendos. Erant multi etenim ex procerum ordinibus valdè infensi doctrinæ Evangelii & ejus promotoribus (ex quibus præcipui hi quinque erant, imprimis vero *Johannes Schachtorpius* reliquis ditior & celebrior) & sanè illi ipsi inter ordines prædictos Pontificii, qui cupiissent omnes Evangelii promotores ita potuisse è medio tolli. Sed cum in omnes se ita vindicare non possent, nunc saltem suum rancorem & acerbiteratem in hos arrepta vel oblata occasione declarare videbantur. Mox illud decretum indicatur captivis, ut si quid vellent adhuc in conscientia causa aut in rebus œconomicis constitutum, id breviter perficerent, mox enim se judicio capitali sistendos & forsàn capite plectendos. Hæc sententia & illos & concionatores & totam urbem valde terruit. Captivi igitur celeriter curant advocari duos Evangelii Doctores *Johannem Molnærum*, *Burensem* & *Johannem Kelbergium*, & cum his contulerunt de conscientia rebus, & quæ in œconomia de uxori- bus fieri petebant, à quibus læti etiam consolationem de vera in Christum fiducia & de ea morte patienter ferenda accipiebant, dehinc confessi delicta, accepta jam absolutione reverenter accipiunt Eucharistiam, & ita sese patienter in Christo ad mortem præparant. Tandem vincti producuntur coram tribunali, quod Senatus & tribunitia potestas (quoniam & isti in ordinibus plerique omnes erant Pontificii) civibus armatis cinxerant, sed iis tantum quos sciebant papales esse & valdè inimicos Evangelii doctrinæ. Hic petiverunt vincti, prostrati & supplices à Judice & Senatu veniam sui delicti, & vini calorem con-



questi fatentur à se quidem tumultuose acta, quæ deberent vino de ebrietati assignari, horum se nunc valdè pœnitere: Præterea quoque tunc in illa turbatione nullum hominem fuisse læsum: Tum etiam multi pii viri & honestæ fœminæ jam aliquoties tentaverant pro eis intercedere. Sed illi nihil aliud responsi tulerant, quam ipsi moriendum esse. Ibi coram iudicio exaggeratus motus in magistratum eructatus ab illis quinque, qui ibi ita accusantur quasi obliça Evangelicæ doctrinæ, qui magistratui resistit, Dei ordinationi resistit, non frustra gerit gladium &c. etsi titulos tenus hæc tenus Evangelicos se nominaverant, reos ita sese fecissent capitalis sententiæ atque criminis majestatis commississent. Ipsi iterum deprecantur supplices veniam. Verum *Schlachtornius* cum videret se cum sociis frustra orare pro delicti venia, prorupit in hæc verba: Scio multos esse *Susani* qui sæpe plus deliquerunt, & sanè nonnulli forte inter eos, qui nunc de nostro sanguine pronunciant in magistratu, quam nos, & tamen tam lenera nec in eos nec in quenquam, qui nihil de ipso facto tentavit nec violenter cuiquam nocuit nisi forte verbis, lata est sententia. Et qui vos Evangelicam, quæ vobis inservit contra nos sententiam protestis, cogitate quoque Evangelicum esse dictum: Estote misericordes sicut & pater vester, &c. Remittite & remittetur vobis: Omni peccati remittite, &c. Imo omnes illi quinque cum cognoscerent se morti adjuvati expostulant cum Iudice, & de iniquo iudicio conqueruntur palam. Ideo illorum querimoniis lachrymæ multorum oculis excutuntur, & magnus auditur fletus: Sed contra magnus Pontificiorum civium Senatorum & Tribunorum fremitus. Ut tamen videretur rectè in iudicio procedere Pontificii, legitur ibi palam confessio quam emisserant in tortura hi vincti, ubi inter alia profertur, quando confessi essent, quod ex privata confœderatione & malo proposito & studio atque de consilio prius inito ita tumultum excitaverint: Itaque nunc frustra eos effugia quærere, quasi id ebrii fecissent colore vini permoti. Sed hic omnes illi quinque unanimiter conqueruntur confiteri, id sibi multis propositis quæstionibus & magnis cruciatibus extortum esse, alioquin id fatentur ex nulla præcedente præsumptione factum fuisse, nec ullo studio ita ipsos tumultuose egisse (si tamen illiusmodi strepitus certis de causis prolatus, & tantum voce & clamore peractus dici deberet tumultus) sed ebrios aliquantulum ex non potata & immodica vini potatione, ad quam non fuerant assueti, præ-



prudentius & importunius sive incivilius aliquid egisse, quod ipsos etiamnum hodie male haberet: Ideo tertio orare supplices per Christum veniam: Si vero ea non posset impetrari, quia viderent omnia ad supplicium ornata, & nullam invenire posse gratiam aut misericordiam, sed patienter laturus mortem, cum Christus piissimus & purissimus pro ipsis sit passus. Interim admonent Judicem & assessores & reliquos ex Senatu & tribunos hinc inde stantes, vel equites ut ipsi videant an rectè judicent. Dominus autem ait *Schachtorpius*, nobis ignoscat, si quid ex privata invidia in hac causa contra nos ex vobis proficiscitur. Lata mortis sententia in forum producuntur. Ibi conversus *Schachtorpius* ad plebem, ad cives, ad pias matronas multis profusis lachrymis & ploratu eorum casum deplorantes: Etsi inquit, optimi fratres & sorores sapius peccavimus, & mortem tam temporalem quam æternam pro meriti sumus, tamen in Christum credentes, ab æterna redimuntur: Verum de temporali sic loquitur scriptura, quacunque morte præoccupatus fuerit justus, tamen est in manu Dei, & quiete fruitur. Item, beati mortui qui in Domino moriuntur à modo. Interim nos vincti non scimus tam grave delictum nos commississe, ut propterea à Magistratu mortem commeriti essemus, sed propter doctrinam Evangelii ita potissimum nobis, & imprimis mihi infensi plerique qui rerum potiuntur fuere, & quasi vère causam. Jam illam adepti, ut ita me & hos socios morti tradant, volumus alacriter in Christo mori: Ideo etiam lubenti animo audiemus in hoc nostro agone consolationem à veris Christi ministris & Evangelii doctoribus, quos hoc exitu ita appellamus & vocamus, testamurque. Ut vero videant adversarii, qualem adferat morituris consolationem doctrina Evangelii, quæ hic sonat, & nos esse in Christo bene animatos (quod in nullo papista morituro consideratur) atque ut quoque videatis vos pii fratres & sorores, nos ita nostra morte & pacata conscientia discedere ex hac vita vobiscum alacres jam canemus suavissimum Simeonis cantum: *Mit Fried und Freud ich fahr dahin / zc.* Hic breviter ad plebem valdè plorantem & ad illos morituros habuere uterque concionator gravem orationem, eamque brevem, sed consolationem suavem, qua finita præcinunt concionatores & omnes canunt prædictam cantionem, quam etiam alta voce unanimiter necandi comprobant: Et jam cum carnifices, quorum ibi duo erant, dicerent, quis vestrum vult primo collum ferendum exhibere. Ibi omnes quidem æquè prompti erant, & alius alio paratior:



Tandem *Schachtorpius* inquit: Ego primus fui productus ad iudicium merito quoque ego primus supplicium subeo. Valet igitur omnia in Christo, cui me commendo. Detracto igitur indutio cum federet, carnifex properat ad mactationem, & cum vellet ei amputare caput ex decreto iudicii, ferit ejus dorsum, ex quo vulnere cadit *Schachtorpius* in terram graviter quidem latus, sed non ei caput auferunt, itaque alter carnifex apprehendit caput *Schachtorpii* (ut ovis qui mactatur corripitur solet) quod ipsi & alter volebat ita abscindere, ibi mox ab altero carnifice erectus, ut feriretur iterum *Schachtorpius* viridis quidem manibus mirabiliter apprehendit gladium acutissimum, eumque tenet tanta fortitudine, ut uterque carnifex conjuncta opera hoc ei ex manibus eripere nequiret: Illi vero pessundando vinculum & vulneratum, atque ipsum verberando & trahendo multum laborant, interim is apprehensum semel gladium noluit dimittere, ideo desistere ceptis isti cogebantur carnifices: Is mox dentes ligaturam adhibuit, & funem manibus circumdatam dentibus contrivit. Solutis manibus, quia jam alter alium gladium evaginatum, quo *Schachtorpius* adhuc ferire iterum presumebat, interim is vibrando & movendo gladium carnificibus ereptum adeo movet circa caput, & ita sese defendit, ut ictum facere non auderet alter, veritus tertiam ignominiam. Postremo voluit prior carnifex evaginato pugione cor ejus pungere, sed ubi strepere ceperunt cives hoc impediens, & quod ille subinde lamentabiliter protulerat rauca voce & repetierat, se jam tertio quidem iudicio capitali satisfacisse, & tamen adhuc nondum liberari, jam magno clamore idem quoque saepius asserunt astantes. Inter istam tamen luctam & pugnam mole sua & pedibus misere ita pectus & intestina apudenda *Schachtorpii* laeserant carnifices spectantibus Senatoribus & viribus Pontificiis, qui in armis erant, ut postredie, non tam ex illo vulnere, quam ex coagulato sanguine periret. Verum cum viderent iustum Dei iudicium, & audirent fremitum civium astantium, cum multi eorum in armis essent, tamen omnes terrentur, ita quoque tertium Quæstores urbis mandant carnificibus, ut desistant. Satis enim esse quia ajunt ipsum Cæsari iurique Cæsareo satisfacisse, ipsumque liberum pronunciant. Alii vero quatuor jam quoque morti adjudicantur, adducuntur ad carcerem. *Schachtorpius* tamen dimittere, licet interceptus, ereptum carnificibus gladium noluit, sed retinens eum in manibus ab aliis piis domum suam defertur, ubi mox adhibuit vulneribus



manuum digitorumque medicum Chyrgum, speravitque se posse sanitati restitui: Restitutum vero dixit se aliquando coram civitatis Principe acturum contra *Susatenses* & simul allaturum gladium ita legitima victoria partum, quod profecto bonus vir, quia vulnera nulla letalia habuit, fecisset, nisi ita pressus fuisset & pessundatus, qua violentia pectus, pudenda & intestina ei omnino lacerata & rupta erant, adeo ut alterius diei mane ex sanguine coagulato extingueretur moriens in Domino. Is fuit dies Sabbati. Profecto constantia & animositas est maximopere prædicanda in eo homine, quod etiam in mediis mortis periculis & ultima hora eum induisset animum. Sancti autem martyris corpus defertur hora 5. pomeridiana ad cœmiterium & funeri vel loculo sive feretro cui inclusum erat corpus *Schachtorpii*, ut jusserat adhuc vivus imponi gladium quem carnificibus ipsis ademerat, & quo verberatus erat curat uxor. Ibi omnes pii tam viri quam foeminae non minus juvenes, pueri, & adolescentes quam senes, anus & decrepiti viri, imo etiam homines qui hastæ inhærebant, claudi & simul multi ex Pontificiis, qui hoc facto non leviter perculsi erant, & animo suo turbati, deducunt ad sepulturam funus, atque ibi talis hominum luctus, tot facies tristes, & tot oculi madentes lachrymis visi sunt, tot lamentationes, genitus, suspicia & querimoniae auditæ, ut nunquam *Susati* antea talis & tam frequens fuerit peracta sepultura, omnes tam Pontificii quam Evangelici etenim cupiebant victum & arreptum carnificibus gladium videre, adde quod plurimi justum in eo casu Dei iudicium in adversarios invidia contra *Schachtorpium* ardentem & sanguinem piorum sitientes mirarentur, & apertè dicerent frustraneos esse impiorum conatus, hominem quidem proponere, sed Deum disporre: Alii lamentabantur propter duritiem & tyrannidem Magistratus & impiorum, qui tam diu spectatores esse potuerant ad tot luctas, & tam multas pessundationes & oppressiones, quibus erat miser ille suffocatus: Alii de ipsius constantia commentabantur, nonnulli segnitiam plebis spectantis illam luctam, quod videlicet per dimidiam horam ita opprimeretur & debilitaretur martir, & non prius carnificum conatus impediens detestabantur: Quidam de Pontificiorum tyrannide, nonnulli de iniqua sententiâ iudicum inter se communicabant. Sed omnes casum & mortem viri deplorabant.

Eo ipso die post horam primam convenerant trecentæ virgines & matronæ virtute & forma præstantes cum concionatoribus atque simul



ducenti cives morte & factio *Schachtorpii* commoti. Hi omnes portu-  
 liquis captivis fiebant Senatui supplices verba faciente Superintende-  
 deute. In gratiam quidem illorum sunt quatuor illi vita donati, sed ea  
 lege, ut urbis commertio in perpetuum privarentur, quod etiam ipsi  
 cogebantur juramento promittere sequenti die Lunæ proximæ Domini-  
 ca Jubilate coram iudice *Theodoro Eslingo*, & sigillo iudicii compro-  
 bare & obfirmare, &c. Postquam vero hic casus valde turbaret Con-  
 titificios & confirmaret Evangelicos (quoniam impiorum erentum in-  
 stitutum non ita successerat) diu meditati sunt Consules & Senatores  
 Pontificii quomodo aufugerent clam, quod etiam forte illorum mala  
 conscientia dictavit, quia præsumperant cives novo onerare juramen-  
 to: Id cum non ita succederet eis, ut speraverant, & interea plebs  
 urgeret ut cohiberetur petulantia sacrificulorum, quod nomine etiam  
 iterum in Oenopolio oriebatur tumultus in Festis Pentecostes: Ideo  
 ipsi aliud capiunt consilium tunc præsertim postquam viderent à suo  
 Principe *Clivensi* & *Juliano Johanne* & simul *Comite Lippio Simone*, civi-  
 tati vicinæ *Lippia* propter Evangelii doctrinam itinera intercepta esse,  
 ut nihil adferri posset commeatus in eam urbem. Id quoque existima-  
 bant futurum urbi *Susatensi*, in qua re cogitabant forte operam suam  
 Duci & Principi suo navare. Exeunt igitur urbem die *Jovis* post diem  
*Panthaleonis*, hoc est, sexto *Julii* Consules & quidam alii Senatores  
 deserentes suam stationem, qui equites profecti sunt in vicinam urbem  
*Hammonem*. Hi erant nomine tales ex jurato Senatu, *Johannes Eberhardus*  
*Antonius Mengius*, Consules, quorum posteriorem duo filii *Dobmarus* &  
*Albertus* Comitatus sunt: *Georgius Schluterus* Judex. Ex veteri autem  
 Senatu *Johannes Gropperus* (pater *Johannis Gropperi* Jureconsulti & Theo-  
 logi magni illius *Papistæ*, & trium fratrum *Doctorum Godefridi* & *Paro-*  
*culi* Jureconsultorum laicorum & conjugatorum: Atque *Casperus* (ob-  
 neficiarii) evocatus à filio *Johanne Groppero*, & *Albertus Grevenius* cum  
 filio *Johanne* in jurato Senatu pensionario & Senatore: Item *Paroco-*  
*lus Bastwinderus* Quæstor & Senator urbis: *Johannes Grunmuthius* Pre-  
 fectus, & *Antonius Dolphius*, Senator. Illi inquam etsi triplici jura-  
 mento se obstrinxissent, videlicet & Principi & Reipubl. ac Evangelii  
 negotio atque causæ, tamen deserentes officium fugiunt ad urbem  
*Hammonensem*. Cum vero reliqui Senatores utriusque Senatus & Te-  
 buni plebis ab utraque ala permanentes in urbe olefacerent, ita illi  
 aufugisse, ne in posterum redirent in suum officium, scripserunt in  
 primis



primò petentes causam fugæ, deinde admonentes eos sui officii & gravissimi juramenti, tertio etiam obnixè petentes, ut ad suam stationem & gradum redire dignarentur. Ipsi iterum per literas respondent, non fore eis tutum redire, quia jam dudum sibi infidias structas, & quidem in eos conspiratum esse à multis, asserunt. Sed oppidani petunt id probari, & rotunde significant, si nominentur tales, in eos animadvertendum esse. Profugi ergo quendam assignant nomine *Bernhardum Copum*, Pyncernam, qui verba talia effuderat. His literis acceptis citatur coram oppidanis adhuc permanentibus Senatoribus & Tribunis, is *Bernhardus*, qui comparebat, & de istis criminibus honeste excusabat, petebatque ut certus dies, & sibi & suis accusatoribus assignaretur, in quo se eis sistere posset, fore enim se paratum & ad defensionem & sui simul sufficientem defensorem. Ideo ei petenti aut absolutionem, aut si convinceretur criminis alicujus, damnationem, certus denunciatur dies, & quid in responsis dederit, & quis dies ei assignatus sit, significatur profugis, addita petitione, ut dignentur redire, & suam ibi præsentem causam agere statuto tempore. Sed ad statutum diem etsi aliquoties vocati & tandem citati, venire recusant profugi. Ideo *Bernhardus* ille ab intentato crimine absolvitur & innocens pronuntiatur. Tertio profugis iterum perscribitur cum nemo ex ipsis advenerit, ut institutam accusationem contra *Bernhardum Copum* persequeretur, se coactos esse ratione juris illum absolvere. Cum igitur eos profugos, forsitan vel falsus rumor vel varia quorundam relatio teruerit, se quidem oppidanos amanter adhuc petere, ut dignarentur redire omnes etenim promittere ipsos debitum honorem & obedientiam, &c. Sed quia detinuit suum patrem *Johannes Gropperus*, Doctor *Coloniae*, qui etiam ibi permansit ad finem vitæ, & decreverat uxore mortua adhuc presbyterii gradum suscipere, sed impediabatur à filiis, qui nolebant appellari *Ysaffen-Rinder*. Unde lector cognoscit, quod ipsos Pontificios pudeat sui nominis & actionis. Ideo cum *Johannes Gropperus*, Consul non rediret, puduit etiam alios redire ita omnes in exilio mansere voluntariò. Interim gravissimæ accusationes per *D. Gropperum* & alios contra urbem & Remp. *Susatensem* in aula *Clivensi* quotidie & diu multumque fiebant, quasi profugi essent vi ejecti, & aliquoties seditione commota ad hoc coacti fuissent, ut discederent, nec quoque propter tumultuantem plebem & disturbatam confusionem fore eis tutum redire, sese similiter abhorrere ab illa secta & hæresi

Luthe-



Lutheranorum. Cum in aula etiam antea suffudissent frigidum Canonici, & nunc profugi Consules & Senatores de eodem jam conque-  
 tur, graviter succenset urbi *Susatensi Dux Clivensis Johannis*, & miri  
 ad oppidanos unum ex suis Secretariis qui diligenter causam ejectionis  
 inquireret & *Susatensibus* indicaret, Principem inclementer & gravi-  
 ter admodum illorum ferre conatum. Sed aliter instructus & de tota  
 actione edoctus, redit Secretarius ad Principem. Illius Secretarii re-  
 latione vehementi, & deinde malo, quod circumdati erant *Lippenses*  
 oppidani, cognito, terrentur, & ad fugam adornandam excitantur  
 adhuc tres Senatores, qui quoque aufugiunt ex urbe *Susatensi*. Inter  
 illi, qui permanebant, cum viderent de profugis reverentiam nullam esse  
 spem, ipsosque nihil magis quam urbis interitum conari & spirare, sese  
 collegerunt & novo juramento sese mutuo obstrinxerunt, atque in-  
 terim cum similiter discerent variis calumniis & mendaciis diffamari &  
 traduci à profugis oppidanos, non incommodum censebant, si istorum  
 quoque vitia & maleficia colligerent, & in unum conferrent, ubi in-  
 ter alia politica multa & hæc annotata erant, quod multos pios igno-  
 miniose tractassent propter doctrinam Evangelii, eosque immerito:  
 Deinde quod quendam collegiatum *Georgium Eppinkium*, propter sus-  
 ceptam doctrinam Evangelii sua opera & suffragio jussissent privari  
 sua præbenda, & postea eundem persecuti essent: Tertiò quod per-  
 mississent Satrapæ arcis *Markæ* prope *Hammonem* contra jus & privile-  
 gia civitatis & *Dominii Susatensium* armatam turbam adducere in pa-  
 gum urbi addictum, ut inde Evangelicum turbaret pastorem, &c. Hæc  
 multaque alia quæ in hanc historiam non spectant eo studio college-  
 rant contra profugorum mendacia, ut defensionis capita ad manum  
 haberent. Interim manentes in urbe & novos Consules & alios Sena-  
 tores in profugorum locum assumpserunt, & inter illos *Johannem He-  
 beckium* ad officium consulatus. *Johannem vero Holtium* ad judiciæ offi-  
 cium, viros Evangelio addictissimos. Interim multis minis, laceris  
 mandatis & scriptis contra illos egit *Princeps Clivensis* & alii. Verum illi  
 perfliterunt in sua sententia hærentes in spe & metu.

Anno 1534. prodiit & per plateas dispersum & valvis templorum &  
 portis affixum & acerbissimum scriptum sub nomine pasquilli vel *Da-  
 nielis à Soist* rithmis Germanicis exaratum, quod erat & in præ-  
 cipuos Evangelii promotores cives & concionatores, qui omnes ibi ce-  
 sine reconferunt, congestum, plenum omnibus convitiis & extremis  
 cal.



calumniis, virulentia & blasphemia refertissimum. Simile scriptum eisdem formis & rithmis scriptum sub eodem titulo prodiit quoque postea anno 1537. & publicabatur hæc scripta per typos, quod tunc putabatur *Groppeorum* opera factum esse. Summa istius scripti erat, quod essent seditiosi cives Evangelici & contradicentes magistratui: Deinde quod concionatores plerumque essent Apostatae, & ex Monachis facti Lutherani & sui similes uxores infestuosas videlicet Nonnas, sorores & Bigittas duxissent: Multaque crimina hæreses & scelera in eo scripto piis civibus & concinatoribus affinguntur turpiter & mendaciter. Sed quia hæc est fors piorum, ideo æquo animo tulerunt. Quanquam anno 1534. ad primum pasquillum *Danielis à Söest*/ responderit gravissime *Johannes Pollius*, Germanico scripto, quo omnes concionatores & cives imprimis prædictum Consulem & alios defendit. Appellat autem illud scriptum noctuam, & de ea hujusmodi lusit Epigramma:

Noctua quid sero gemibundum succinis ore,  
Infaustum ne audes prodere luce caput?

Ah misera & nuper tristi velata cuculla  
Nocturnosque ideo flebilis inter aves.

Tenatura jubet lumen vitare diurnum  
Cum face collustras climata phæbe tuo?

Præterea futili quod te intrusere cucullæ  
Te gravat infelix noctua pœna duplex.

Quod natura tulit facile est sufferre Cynedi,  
Quod Monachi cogunt est tolerare grave.

Quid juvat infelix mendaces edere rithmos?  
Quid cœca querulos fundere nocte sonos?

Nil tua *Susato* vox est nocitura, videto  
Ne jugulo noceat vox male sana tuo:

Urbs sermone Dei, claris quoque splendida gestis  
Sera cucullatæ nostræ timebit avis?

Eodem anno venerunt quoque illi octo concionatores emissarii à Rege & suis ex *Urbe Monasteriensi Susatum*, & hi ingressi urbem, cum intelligerent Senatum convocatum esse, recta se ad Senatum conferunt. Ibi loquitur *Johannes Thausenschurius*, Propheta, aitque nos octo à patre ad vos *Susatenses* sumus missi, ut Evangelium pacis vobis annunciemus. Ideo vos serio hortamur, ne patris mandato repugnetis:

Bbbb bbb,

Re-



Respondit Senatus post brevem deliberationem & egit gratias pro oblato ipsorum ministerio, dicens se jam istorum opera & ministerio non indigere. Habere etenim se idoneos concionatores, quibus sit contenti. Hic mox *Tauschenschurius* dejecto pallio ad pedes Consulis finientis sermonem, coram omnium conspectu, projecit aureum nummum continentem numisma & insignia novi regis in Sion, in signum inobedientiæ, quod oblatam pacem patris non suscepissent. *Sylvestrius*: Ecce ergo nos à vobis convertimur ad plebem, ut illis significetur patris voluntas, ait Pseudopropheta, & ita sanguis interim vestre inobedientiæ redundet in caput vestrum. Hinc mox ad forum declinantes octo illi emissarii, ut ibi concionarentur, cum vix loqui incepissent, intercipiuntur à ministris & licitoribus urbis, qui ita vinculis traditi & torturæ subiecti varia fatentur (de quibus egimus in *Monasterii* historia) cum vero nolent admittere ullam admonitionem, nec quoque cuperent conferre cum concionatoribus, sed perstarent in sua sententia pertinaces, sunt gladio puniti. Erant inter cives aliqui eis adherentes, sed illi aut se abdebant, aut diffitebantur errorem, aut se continebant, vel dissimulabant.

Anno 1535. rursus quædam opuscula offerebantur concionatoribus, in quibus scriptum erat, quod multa Lutherus & ejus discipuli concessissent, quæ tamen piaculi loco haberentur apud concionatores *Susatenses*. Ideo sequi plane ipsos novum aliquod genus doctrinæ quale institutum fuit eorum, qui *Monasterii* turbas dabant, suscipere, idque à nemine hæcenus probatum. Sub isto quoque prætextu graviter denuo ad Principem delati erant, qui iterum propterea toti unitimaciter & graviter succensebat. Ideo omnes erant in summo periculo. Itaque ex communi deliberatione concionatores etiam de consilio pii Senatus & civium, mittunt articulos ad Lutherum, & petunt ejus opem atque consolationem. Hic mox Lutherus eis respondet prolixo scripto, quod extat in *Wiebergensi* tomo Germanico in sectione 6. (ubi legitur *Brixius thom Berde* / sed debebat legi *Brixius thom Berde*) cujus summa hæc est: Se, Lutherum, quidem papæ suam pompam & nomen indulgere posse, modo ille vellet Evangelio suam quoque cursum relinquere. Verum cum id non fiat, se quoque non posse quiescere vel cessare, quin ipsum insectetur. Jam vero aliqui Augustæ papistis concessum propter infirmos, sed ita ut tamen corporis doctrinæ veræ & ipsius scripturæ inviolabilis autoritas manserit & maneat.



neat semper. Itaque hortatur *Susatenses* ministros & pios cives ne terreantur, quod futilia & falsa à Pontificiis objiciantur, cum habeant conscientiaè testimonium, quod flent immoti in agnita veritate.

### Quid tempore Interim acciderit Susati circa ministerium Evangelii.

**A**Nte tempus Interim cum in omnibus Ecclesiis essent Evangelici Doctores, Dominicis diebus pomeridiana concio fiebat in summo templo (dem Münster) à Superintendente, quæ hodie fit in veteri Ecclesia, in qua nunc ordine omnes concionatores docent ista hora. Sed quia tunc fuit pulchra harmonia inter ministros, & usque ad hæc tempora mediocriter tranquille docuerant. Verum cum Princeps mitteret eis Interim librum: Libellus quidem est oblatus concionatoribus & ordinibus civium, sed nulla adhuc mutatio fiebat. Ideo *Johannes Gropperus*, hoc impetrat à Cæsare ut peculiari mandato sibi committatur, ut eam reformet Ecclesiam juxta doctrinam Interim, utque committatur *Duci Clivensi* & *Juliacensi Wilhelmo* istius rei executio. Ita tandem venit *Gropperus* ad portas urbis *Susatensis* munitus & stipatus præsidio & potentia *Ducis Clivensis* & *Juliacensis Wilhelmi*, verum ingredi noluit, quamdiu concionatores *Susatenses* essent ejecti. Hæsit enim apud Vestales collegii dicti paradyfus quod non procul distat ab urbe. Ideo in urbe astutissimè actum est cum Evangelii ministris. Orabantur ut exire dignarentur de mandato Principis & cedere *Groppero*. Possent enim alibi eos latere donec redierit ad suos *Colonienses Gropperus*, tunc illos revocatos iri debere. Jam vero aliter fieri non posse. Hi autem quamvis invitati à suis ovibus dimoverentur, tandem tamen persuasi urbem egrediuntur. Et quanquam promissio ipsis esset facta in urbem redeundi, tantum discederent, modò in gratiam Principis id severè mandantis. Tantum tamen abfuit, ut illis redeundi potestas sit permessa, ut etiam eodem die sub vesperam eorum uxores urbe similiter excluderentur & ejicerentur. Quid dico urbe? Omni *Susatensium* territorio & jurisdictione, adeo etiam severe, ut si quis ex pagis *Susatensium* illas hospicio suscepisset gravissime mulctatus sit postea. Imo dicitur etiam rusticus quidam suam filiam, quæ erat cuidam concionatori elocata, in unam noctam excepisse, eamque ob causam à Senatu mulctatum esse: Et quod magis est, sunt etiam ejectæ uxores concionatorum nonnullæ, quæ in puerperio erant. Ibi miseræ mulier-



culæ suam suppellectilem tam subito transferre non potuerunt, multa eis distrahebantur, multa peribant, multa clam auferebantur: hi cum parvis liberis vagari sub noctem bis misere cogebantur, eorum sollicitæ de maritis, quos alibi timebant intercipi ab aduersariis: Certè illa truculenta ejectio multis piis excussit lachrymas, & multi condolebant, sed nemo propter metum audebat ferehiscere vel eis opem ferre. Ita ab omnibus derelictæ erant, &c.

Remotis autem piis viris concionatoribus, & turpiter eiectionis ipsorum uxoribus, istis, ut dixerat *Gropperus Doctor*, scortis: Quia tunc omnia de ipsius consilio fiebant, ingreditur urbem, sciens jam neminem esse, qui suum institutum vel impedire, vel eidem contradicere posset: Et si postea gloriaretur ille, & omnes Pontifici, quare auergerent concionatores, & non mansissent, ut cum ipso disputassent. Sed facilis est responsio, ne quidem *Gropperus* ingredi voluit urbem, nisi illi amotis. Deinde sæpè dixit, ita fiet & fieri debet. Nam hoc vult *Caesar Princeps Clivensis* & ego. Ideo ibi stetit pro ratione voluntas. Ispitius eos ad placidum vocasset colloquium. Sed ille putabat se nunc vindicem manum patriæ adhibiturum esse. Sunt autem hi ex urbe eiectioni, *Brieltius Nordanus*, *Superintendens*, qui quantum vi tuent, ex una ejus Epistola ad *Gerhardum Cotium* scripta, quam hic subiiciam, apparebit.

Optimo atque pio Viro  
Domino GERHARDO COTIO,  
ECCLESIAE DEI in Lemgow CONCIONATORI,  
Suo in Christo fratri.

**G**ratiam, pacem & misericordiam à Deo patre nostro per Jesum Christum. Accepimus hisce diebus chariss. frater valde mihi nuncium, videlicet novum illud incendium novasque turbas per furiosos illos homines à Principe Dæmoniorum obsessos Anabaptistas apud vos exortas. Accepimus inquam non sine magno dolore. Dolent omnes fratres optime *Gerhârde* tuam tuorumque vicem. Dolent omnes pii, pacem Ecclesiæ vestræ sublatam, quam nos difficile etiam multo labore & sudore vix restituere potestis, nec facile quantum doloris quantumque laboris in hac contagione Anabaptista ad omnes verbi ministros redibit, quæ vos omnia charissime frater, præfenti animo capefcere decet pro Christi grege ex tam pestifera infectione



fectione redimenda memores illius Apostoli. Attendite vobis & cuncto gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus Episcopos ad regendam Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Ego enim hoc quod ingressuri sint post discessum meum lupi graves in vos non parentes gregi: Ac ò nimium veracem Apostoli admonitionem, nec cogitandum optime *Gerharde* hæc de futuris esse interpretanda, quum coram (dolor) cernimus quotidie compleri. Verum tibi, nobis omnibus cum Apostolo dicendum erit: Nihil me movet, neque vita mea chara est mihi ipsi, ut consumam cursum meum cum gaudio, & ministerium quod accepi à Domino JESU ad testificandum Evangelium gratiæ Dei. Hæc nostra suavissime *Gerharde* dispensatorumque omnium mysteriorum Dei fortuna, hoc nobis perpetuo cogitandum ac imo pectore seponendum, hæc lege in hanc Domini nostri vineam conducti sumus, hanc crucem optime frater cum crucifixo & omnibus membris ejus nos ferre maximè convenit. Siquidem certus sermo, nam si commortui sumus & convivemus, si sufferimus & conregnabimus. Hæc spes mihi *Gerharde* dilecte in Christo frater reposita est in sinu nostro, quæ nunquam in ullis adversis nos frangi sinet. Hanc spem jam dudum de vobis omnibus concepi certusque sum in Domino vos magis (Domino propitio) perfituros quam audeam sperare, Dominus vos fulciat roboretque in suam gloriam & Ecclesiæ suæ edificationem Amen. Insuper precamur tuam Humanitatem omnes humanissime *Gerharde*, ut pluribus etiam nobis significare velis Reip. tum etiam Ecclesiæ vestræ statum: Tum quibus initiis hæc secta apud vos creverit, quomodo se gesserit, quibus legibus & ritibus usa sit. Nam sui dissimiles esse nemini dubium est. Aliud Anabaptistæ sapiunt *Monasterienses*, aliud *Hollandi*, aliud alii: Quare etiam atque etiam precamur te frater, ne graveris perferibere, quos articulos maximè urserunt hi, qui apud vos has turbas movere, tum etiam ad quantum numerum creverit Synagoga illa malignantium: Quæ capita habuerit, & quos Principes secuta sit: Et perstringere nonnullos nominatim illorum advenarum & peregrinorum quos aufugisse percepimus, ut luce tuarum literarum detecti atque agniti è nobis pellerentur, ne nostram quoque turbent Ecclesiam. His nostris tam piis tamque necessariis precationibus tuam humanitatem facile adnuere nihil dubitamus. Superest optime frater de hac muliercula, quæ multum rogavit, ut eam tibi meis literis commendarem, habet fortassis filiulam, quam ad servitium apud pios ho-



mines cloeatam velit, qua in re, ut illi ad sis pro viribus, iterum atque iterum te rogo frater. Salutant te, tuosque omnes fratres. Saluta te, tuamque comparem mea uxor quam officiosissime. Salutabis eam quoque meis verbis pro omni servitio olim in me collato. Vale. Anno Domini 1538. Octob. 4. Ut rescribas de omnibus per hanc mulierem precantur omnes fratres.

BRICTIUS NORDANUS Tuus totus.

Hic *BRICTIUS* nomine *Susatensis Ecclesie* scripsit, qui etiam fuit anno 1538. in conventu *Smalkaldico*, & subscripsit etiam istis articulis, atque in ea confessione perstitit ad finem vitæ. *Monasterii* cum ibi acriter pugnaret contra Anabaptistas, transtulit ex superioris lingue idiomate acta & disputata habita Argentorati cum *Melchiore Hoffmanno*, in *Wolphalicam linguam*, & edidit in lucem Anno 1533.

Hic inquam *Brixius* est eiectus, deinde & hi sequentes reliqui concionatores, *Hermannus Suawenus*: *Johannes Kelbergius*, *Johannes Frijus* vel *Liberius*, *Anthonius Koltbosius*, *Johannes Lemekenus*, & quidam *Wilhelmus*, Concionator ad *S. Walpurgam* in urbe *Susatensi*. Ex dominio & territorio eiecti sunt *Stephanus Hutinckhusius*, *Albertus de Dalt*, *Johannes Kramerus*, *Sibertus Knopius*, *Cyriacus Hornensis*, *Thiomas Gerkenus*, *Johannes Hangelschennus*, & *Georgius*, Concionator in cano-bio *Welveræ*. Hi omnes turmatim & subito ejiciuntur. Sed ipsi Dominus alibi & hospitium & locum prospexit. *Lubeca* promovit ad conditionem ministerii *Brixium* & *Kelbergium*, *M. Hermannus Bonnus*, *Johannes Frijus*, consequitur in *Luneburgica* urbe conditionem: Is fuit *Erasmi Roterodami* convictor, vir doctus. Alii omnes partim in *Holsatia* quidam in *Dithmaria*, alii alibi locum consequuntur.

*Doctor Gropperus* degens in urbe, mox in Collegio, ubi Decanus erat instauravit papistica sacra omnia, & collapsa papalia renovata imagines undique colligit, & suis locis restituit. *S. Patrochi*, qui dicitur præses & patronus summi templi & urbis statuum ex armario, ubi multos annos bombardas & alias machinas bellicas instrumentaque custodierat, iterum in medium templi cum suo gladio, quem strictum tenebat, collocavit, adductos quoque ex *Colonia* nonnullos sacrificulos inter quos erat *Johannes Kritius* (quem ea lege secum *Susatam* adduxit ut postea eum promoveret ad *Suffraganei Monasteriensis* dignitatem) aliis parochiis præfecit: Ipse in summo templo gravissimas conciones habuit.



habuit ad populum, quibus eos hortatus est, ut doctrinæ Pontificiæ se totos consecrent, & liberum Interim suscipiant, nisi vellent venire in discrimen vitæ & fortunarum: Das wil Kaiserliche Majestät / mein gnädiger Fürst und Herz von Cleff / und ich auch also haben / und nicht anders. Hæc aliquoties erant ejus verba pro concione. Hortatus est etiam aliquoties pro concione, ut qui Lutheranæ doctrinæ studiosi essent adhuc, ut se privatim convenirent: Ego enim, ait, facile illos in viam reducam, & errores crassos ostendam, in quos per seductores illos imprudenter immerfi sunt. Hinc quidam doctiores & peritiores allatis secum Sacris Bibliis venerunt ad *Gropperum*, sed nihil nisi vulgata Pontificiorum argumenta audiebant: Ibi illi mox ex ipsis Bibliis pleraque *Gropperiana* falsa esse docebant, & sua in Bibliis quærentes aliter habere comperiebant. Sed cum ejus sermonem non tanquam numen susciperent, respuit illos, & dixit, induratos esse hæreticos.

Quam benè autem sibi conscius fuerit *Gropperus* ex eo liquet, quod cum rabidus canis vagaretur passim in urbe & cives hinc inde arreptis fustibus & baculis ac furcis, aliisque armis qualibuscunque illum canem insequerentur, ut perderent, accidit, ut canis per summum templum interea, dum concionaretur *Gropperus*, cursitaret, civesque ut interficeretur, vociferarentur, ipse verò *Gropperus* forte non videns canem, de se putans ista dici, præsertim cum videret multos fustibus: furcis & armis procedere & prodire, ideo egrè suggestu se proripuit, & in munitum templi locum, qui chorus est, abdidit. Cum verò ad se rediisset rogabatur à suis, qui hoc factum esset, non quidem ad formam respondit, sed sic loquitur: *Sehet / schwiße ich nicht roth Blut.* Adeo enim horrore percussus erat, ut cum sudorem nativum & solitum abstergeret, putaret se sanguinem emisisse. Sed postea aliter edoctus, quia indignè hoc tulit, & ad Senatum ea de re graviter conquestus est, puduit hominem sui horroris, &c. Tandem ille relictis ibi aliquot indoctis sacrificulis redit *Coloniam*. Duravit ita *Susati* papatus per septem annos, quo tempore misera vastatio & distractio plebis vita est.

Tandem cives Anno 1552. graviter instant apud Senatum (quia *Susati* semper cives magis religionis veræ studio promovendæ tenentur, quàm proceres) ut unus & alter eis concedatur Evangelicus Doctor, quo nomine etiam ipsi ad suum *Principem Clivensem Wilhelmum* scribunt, & sæpius instant, ad quem quoque invitus Magistratus literas dat, ut

tran-



tranquillitatis causa unus mittatur. Mittitur igitur à Principe ad istum annum 1553. vir senex *Walterus* nomine, qui cum esset præsens, nullum ei templum patuit. Aliquoties igitur inter cives deliberatio facta est, interim aliis aliud dicentibus, tandem unus quasi vaticinans dicit: Optimi cives, si vos contenti parvo quodam sacello, nec ullum templum invadamus propter adversarios, ne eis detur calumniandi occasio scio & verè seio fore adhuc ante meum obitum, ut excluso ab omnibus parochiis papatu citra ullum tumultum Christus oves suas sit recuperaturus & recollecturus per idoneos ministros in singulis templis: Quod quidem consilium sunt secuti & istius viri vaticinium, verum fuisse eventus docuit.

*Walterus* autem ille docuit in sacello, & sacelli ejusdem hortu: Et ibidem communicavit multos Evangelii doctrina & sacramentis, tandem anno 1554. peste moritur, quæ ibi tum graviter grassabatur. Eo mortuo dum vehementer laborant cives pro alio pio concionatore, ecce offertur *Erasmus Wegenhorstius*, quem ex urbe *Lampyrus* evocatum præficiunt ministerio, qui aliquandiu solus docuit Evangelium, ægrotantes invisit, Sacramenta distribuit: Interim ejus consilio & multorum civium sententia pedetentim sine ullis seditionibus & tumultu omnes successivè Ecclesias & templa parochialia recuperant: sed etiam etsi semper visus sit Senatus alienior à religione: Quoniam aut mutabantur & se Evangelio dabant, veluti *Hermannus Cocleus* fecit, atque utro cedebant Pontificii ex parochiis.

Interim Collegiati Canonici vehementer laborabant pro papæ religione retinenda, ideo ipsis operam suam adhuc navant: *Antonius Bermannus* & *Theodorus Werlensis*. Sed cum aliqua parochia erat aperta Evangelicis, instabant cives reliqui ut quod uni in communi concessum esset, alteri quoque concederetur: Ita sunt *Bermannus* & *Theodorus* exclusi ex parochiis, imprimis anno 1565. *Bermannus* acceptæ suæ operæ bravio videlicet præbenda, statim moritur. Docuit autem in Collegiata Ecclesia usque ad annum 1567. *Theodorus Werlensis* iisdem beneficio donatus, & sese Evangelicis concionatoribus opposuit calumniis & mendaciis palam in concione prolatis. Ideo urgentibus Tribunalis non solum ei concio in posterum habenda interdicitur, sed etiam urbem exire jubetur. Ita quoque schola Pontificiorum, quæ aliquandiu erat frequentior, ocluditur ex mandato & instantia Tribunalis. Et schola Evangelicorum, quæ iterum erigebatur circa annum 1558. floret, de qua postea.



Fuerunt ergo primo *Erasmus Wegenhorstius*, (quime, *Hamelmannum* sane libentissimè collegam habuisset, & ex *Ecclesia Bilveldensi* & deinde ex *Ecclesia Lemgovienſi* vocavit, missis ad me duobus civibus cum literis &c.) collegæ fuere *Thomas Niger*, *Franciscus Westencatenus* & *Gerhardus Surckmannus*: sed cum fortè controversia de levi causa incideret inter *Erasmum* & *Franciscum*, volebant sese interponere *Thomas Niger* & *Surckmannus*, sed propterea & *Franciscus* & *Surckmannus* sunt dimissi. Fuisse etiam & *Thomas Niger* dimissus, nisi eum in officio detinuissent sui cognati, quia est civitatis filius. Quomodo autem disposita sint ministeria, nunc breviter referam. *Erasmus Wegenhorstius* docet ad *S. Georgium*, *Thomas Niger* ad *S. Paulum*, *Johannes Licaula* in altis zur *Höden* / *Hermannus Coclaus*, *Recklinckhusensis*, (qui ex papistico concionatore factus est evangelicus, & edidit Grammaticam & pleraque alia,) docet ad *S. Thomam* in Parochia, quæ à prato nomen habet zur *Wese* / sub paucis annis multos ministros habuere cives: ad ejus ministerium mittebatur à principe *M. Hermannus Hollandus*, artium Magister & Baccalarius Theologiæ, qui *Wesalia* quoq; Evangelium docuerat, vir doctus & senex, cui mortuo succedit *Johannes Merckius*, *Erverveldensis*, qui *Hermanno* sacellanus erat, (hic *Merckius* edidit scriptum contra vitium ebrietatis & ebriosos, &c.) *Merckio* Anno 1566. mortuo succedit civitatis filius, *Antonius Helseherus*, *Susatensis*, qui statim anno sequenti moritur, & ei hoc anno succedit *Johannes Spengius*, quoque civitatis filius. Ad veteris Ecclesiæ pastorem mittebatur postremò quidam, *Paulus*, à Principe Clivensi, veluti & antea ad ejus Ecclesiæ ministerium missus erat *Georgius Reulwinckel Hammonensis*. Post interim, celebrem scholam crexit senatus ex multa petitione civium, & ei præfectus est *M. Henricus Betulejus*, vir artibus & linguis excellenter doctus, qui antea scholis *Tremoniensi*, *Essendiensi*, & aliis inservierat laudabiliter: cui inter alios Conrectores etiam erant primarii Synergi, *Engelbertus Copius*: deinde *Bernhardus Orestes*: is vero suspectus de re sacramentaria dimittitur tandem, & in ejus locum anno 1566. assumitur *Bernhardus Orestes*, Græcæ & Hebrææ linguæ peritissimus: interim, dum ille ad regimen scholæ *Martinianæ* vocatur *Brunsvigam* à Doctore *Morlino*, interea subit ejus vicem *M. Lubertus Florinus* &c. Sed revocatur *Orestes* à *Susatensibus* ad pascha instantis anni 1568. Infimæ ibi classi

Cccc ccc

præ-



præfuit *Johannes Dorstenius*, cujus pater per multos annos antea præfuerat. Cum doctissimus *Orestes* non posset redire, vocatur ad regimen scholæ *Moses Hammerbachius*, *Lempvianensis*.

Ego dum viderem, nimium pendere proceres *Susatensis* Theologia *Jesuitarum Colonienſium*, inſcripti eis & ſimul *Hammoneſibus* vicini anno 1563, opusculum, in quo commonſtraveram falſitatem *Jesuitarum Colonienſium* commiſſam ab eorum cenſura articulo 23, ubi eos hortor, ut propter animæ ſuæ ſalutem diligenter conſiderarent falſitatem *Jesuitarum*, malè citantium ſcripturam & patres, & illorum mendacia obſervarent: quoniam demonſtro, iſtos vix unum aut alterum patrem ſincerè citàſſe: ideo admoneo *Susatensis* & *Hammoneſes* Pontificios, ut caveant ſibi, & de veritate inquirenti ſint ſolliciti, ut inquit *Chriſtus*, *ſcrutamini ſcripturas*, &c. Eodem etiam anno, cum contra me ſcripſiſſet *Licentiaſus Theologus Colonienſis*, *Jacobus Horſtius*, & tunc valde gloriati eſſent Pontificii *Suſati* & alibi, ita mihi reſponſum eſſe ab *Horſio*, ut merito vix hiſcere auderem contra ipſum, mox ego partem meam Apologiam in qua recito certas rationes ex patribus & vetuſtate evocata, cui ſit communio utriuſque ſpeciei pro Laicis retinenda, inſcripti eorum utriuſque prædictæ Reipublicæ ſenatui & piis civibus contra illorum Pontificios, ut denuo cognoscerent, quàm falſe citent *Colonienſes* Theologi patres, & qua injuria afficiant antiquitates venerandam.

## HISTORIA ECCLESIASTICA RENATI EVANGELII,

In CIVITATE WESTPHALIE OSNABURGA & per aliam  
*Osnaburgensem*,

Autore

HERMANNŌ HAMELMANNO.

In multis hoc obſervavi historiis, ex ſingulari Dei beneficio otioſum eſſe meæ patriæ urbi *Osnaburgensi* præ reliquis *Westphaliae* urbibus & populis, ut ibi aliquam Eccleſiam ſuo unigenito filio colligeret pius pater, & ubi nominatim aliqui veritatis cœleſtis



fores ante multa tempora sint reperti. Hoc ut brevibus explicem, feliciter in nomine Christi incipiam.

Credibile est, *Caroli M.* temporibus filii Dei invocationem & fiduciam, veramque Ecclesiae antiquae doctrinam nondum fuisse antiquatam, vel ita humanis commentis & traditionibus oppressam, ut postea fieri coepit, cum scholastici Doctores, *Aquinas, Ales, Ossa, Scotus* & alii prodirent, quoniam isto seculo vixere & cum *Carolo* familiariter conversati viri docti & pii, ut *Alcuinus, Bertramus, Egenhardus* & alii, quorum consilio, tum quoque suapte sponte, ut qui Graecae & Latinae linguae doctus erat, & in Theologia bene versatus: qui inquam *Augustini* libros de civitate Dei memoriae commendaverat, in populosa tunc urbe *Osnaburga*, quae, ut *Franciscus Irenicus* scribit in sua Exegesi Germaniae Lib. II. ex *Hermanno Saxonum* scriptorum, à comitibus in *Engeren* est erecta, quanquam alibi dicat, idque ex Annalibus Saxonum idem illam sub *Julio Casare* inceptam esse, forsan à *Bructeris*, unde videtur nomen habere, tempore *Julii* sit incepta, absoluta verò à comitibus in *Engern*, non solum Episcopa-primam sedem, sed etiam, quia locus ipsi placuit collegium & scholam in gratiam totius *Saxoniae* constitueret & ordinaret *Carolus*, in qua non tantum Latinae literae, sed etiam Graecae & Hebraeae linguae erothemata & usus traderentur fideliter, in qua inquam philosophiae ac majorum facultatum, imprimis Theologiae partes tractarentur, ut non solum haberentur in posterum quidam ex isto collegio, quorum usus in legationibus esset cum nomine totius imperii occidentalis aliqui ablegari deberent in *Graciam* ad Constantinopolitanos Imperatores, verum etiam ut ex ipso collegio & Academia nova, non aliter, quam antea in *Galliis* factum erat in *B. Martini* Collegio teste *Severo Sulpitio*, vocarentur per totam Saxoniam viri literis & pietate veraque doctrina exculti & imbuti ad plantationem Christianismi, & ad constituendas Ecclesias. Etsi autem tunc purioris doctrinae Apostolicae inclinatio esset, non dubito tamen, multos fuisse viros pios & doctos, qui in isto novo collegio utiliter de Christo & ejus doctrina disseruerunt, & opinor, tum celebres fuisse per id tempus in illa prima & unica *Saxonum* Academia Doctores, ut isti per totum Occidentem clari & conspiciui fuerint, & multis aliis eruditionis doctrinae, pietatis, aliisque donis praestiterint, inter quos fuit citra controversiam Episcopus



mus *Wihō* haud postremus, sed doctrina, religione & constantia celeberrimus. Quantus etiam vir fuerit istius successor *Meinhardus*, testatur *Kranzius* in Metropoli Lib. I. Cap. 23. cum scribat de illo, quod non solum similibus virtutibus ornatus fuerit, sed etiam a longo viderit ab usum Clericorum secularium, in auro, argento, pellicibus & pompa magna, atque de eo secuturo malo vaticinatus esse, atque tanti viri prophetiam veram fuisse, eventus postea comprobavit. Hic igitur & similes sine dubio pertinebant ad veram Ecclesiam. Floruit enim tunc in ista Academia & Ecclesia pietas, doctrina Christi, & erant verae Ecclesiae membra, cum adhuc tota fere *Saxonia* & *Westphalia* idololatriae dediti essent, ut vix per transennam lumen Christi viderent. Existimo quoque, illum Academiae splendorem & religionis propagationem longo tempore postea etiam permansisse in ista urbe *Osnaburga*, quod vel ex eo collegio, quia sub *Henrico IV.* Imperatore, non comes, non nobilis sed doctus aliquis quærebatur in Episcopum *Osnaburgensem* constitutus, isque erat *Hildesienfis* ludi magister *Bruno*, quem alii *Bernhardum* vocant.

Postquam autem & ibi & alibi principes, comites & potentes invaderent Episcopatus & collegia talia, perit religio, & ut unquam aliqui fuerant antea radii verae Christi cognitionis & doctrinae, illi plane extincti sunt per hujusmodi ventres. Interim tanta caecitate, interdum mica aliqua verae doctrinae *Osnaburga* apparuit. Nam ante annos centum & viginti fuit ibi Decanus *Osnaburgensis* Calendarii ad D. Virginem, nomine *Albertus Suberius*, is scripsit commentaria in *Sequentias* lauda *Sion*, & *ave maris stella* &c. & licet in eo invocare videatur *Mariam* pro recepto tunc ab omnibus more, tamen aliquoties, idque expressis verbis repetit & scribit, non esse aliud nomen, in quo homines possint salvari, quam tantummodo in nomine *Jesu Christi*, filii *Mariae*. Uterque aperte verbo tantummodo, quasi dicere velit: *Et si omnes hodie invocent Mariam*, tamen una salus a solo *Christo* pendet, & inde potius expectanda est, quam ab ea. Postea ab eo tempore, annis jam quadraginta elapsis, cum sacrificuli & monachi omnium hominum animos captivos tenerent, omnesque Laicos ad summam servitutem redegerunt, atque pro arbitrio & libidine omnia agerent ordinatione indulgentiarum, & exequiarum deceptione & purgatione



rui fallaciis simplices fascinent, in luxu viverent, & quilibet clericorum scortum publicè aleret, vestibusque mirum in modum exomaret, en surrexit quidam laicus, nomine *Lenethun*, circa annum Domini 1489. Osnaburgæ, & seditionem movit contra Clerum propter certas causas, inter quas duæ fuere, quod non censeret, honestum esse, tantam Papistarum tyrannidem ferendam & civium oppressionem diutius tolerandam: tum postquam sacrum matrimonium ab ipso Deo esset institutum, sacrumque & honorabile reputandum: contra verò scortatio seriò à Deo prohibita legeretur, non existimaret amplius permittendum in ista urbe, ut publica papistarum scorta & concubinæ magna vestimentorum pompa & sumptu procederent, & splendido ornatu nuptiis & conviviis honestis interessent, & ibi vel alibi pudicis matronis conferri nedum præferri deberent: imo ipse *Lenethun* seriò voluit istas concubinas à piis civium uxoribus sejungendas esse, ut haberi possit ratio turpis scortii & honestæ conjugis: item casti matrimonii, & impuræ scortationis: & nota quadam putavis ignominiosa vestibus vel palliis concubinarum indita & inserta ad differentiam observandam inter laudabilem matrem familias & concubinam papisticam, separandas & depingendas istas esse. Quod quidem, si propter honestatem conjugii, ut credibile est & ad servandum decorum fecit, & ut ita palam heret non esse idem scortum agere, quod est in casto conjugio matronam & uxorem piam agere, profecto hoc ipsum istius *Lenethunii* factum & propositum esset ex Spiritu sancto profectum. De aliis seditionis ejus conatibus, si tamen tale quid tentavit, quod ei imputatur, & quo etiam nomine penas dedit, nihil dicimus, nec quoque seditionem probamus, tantum illa quæ verbo Dei consona sunt in illo, imo ne quidem in *Caipha* improbare possumus. Ego quoque optarem hodie illud *Lenethunii* propositum in effectum esse productum, tum in mea patria tum per alias urbes præsertim *Westphalia*. Hodie enim elata & superba scorta & concubinæ papistarum, multis quoque honestorum civium uxoribus præferuntur & primos habent acubitus in conviviis & nuptiis. Et se adeo vestitu, quod ex reditibus istis elemosinariis facile possunt, ornant, ut civium uxores collatæ ad illas, videantur pedisse quæ esse. Jam pergamus quoque ostendere, quem modo Evangelii doctrina ad *Osnaburgenses* pervenerit.

Postquam filius Dei nostris illis postremis temporibus mitteret



Heliam illum extremi sæculi ve e sanctum illum *Doctorem Martinum Lutherum*, ut is ad verum Dei cultum homines revocaret, et flammæ radii istius tunc feliciter orti & rutilantis luminis Evangelici exasperant penetrare rimas urbis *Osnaburgensis*. Nam circa annum 1521. a nato Christo (quando in abominabilibus superstitionibus in reliquis *Westphalia* locis homines vincti ubique essent, & nulli adhuc *Westphalarum* urbi innotuisset illa doctrinæ Christi lux per *S. Lutherum* extenuata, quæ inquam apud reliquas civitates multo post tempore alto silentio supprimebatur) in sola urbe *Osnaburga* sonitū purior doctrina per Reverendum virum & observandum senem *Gerhardum Heckerum Doctorem Theologiae & Augustinianum* ter provinciam sui ordinis per *Thuringiam & Saxoniam*, quo olim *Erphordia* vultus erat præceptore *Lutherus*, & quem coætaneus *Lutheri Johannes Langus Doctor Erphurdienfis* (ad quem tot extant epistolæ *Lutheri* scriptæ) patrem in quibusdam literis appellat (vide in historia *Horvordienfis* Ecclesiæ) is inquam *Heckerus*, licet cucullatus, tamen magna cum laude & gratia libertateque docuit Evangelium Christi publice in suo cænobio senex & per multos annos: hoc nomine non parvam apud pontificios sustinuit invidiam. Illi autem mox socius laboris factus est *Lucas Horstenius* ordinis prædicatorii lector (quem *Adolphum* vocant) vir egregius, cujus facundiam & libertatem in docendo mirabantur multi. Utrumque vero tota fere civitas assidentem magno cum applausu audivit. Verum cum *Horstenium* respectum haberent reliqui fratres sui ordinis *Dominicaster*, & fortin ei insidiarentur, secessit profectus *Hamburgam*, ubi paulo post mortuus est, non sine suspitione veneni. Incepit autem in summo templo circa idem tempus sincerè prædicare doctrinam Christi vir doctus & facundus *M. Liborius Misfingius* pastor ibidem contra pontificios. Sed interim hoc fecit tertius illic, sed isti *Liborio* libertior erat ibidem sacellanus vir eruditus *Johannes Pollius* poeta *Westphalus*, qui graviter plebem instituit. Opposuit autem se istis *Doctor* quidam *Dominicaster Henricus Humpertus*, sed nihil effecit, imo ipse postea neutralis factus est. Ex *Franciscanis* quoque prodibat tunc *Parvus* *Borlegonus Susatensis*, *Minoritarum* lector, constanter docens Christum, qui postea deposita cuculla factus est primus *Evangelista* in comitatu *Deipholtico* circa annum 1528. ubi Evangelium plantavit Ecclesias constituit, & ibidem diu vixit ad finem usque vite sue.



*Rodolpho* quodam ibidem comite. In eodem cœnobio secutus *Patro-*  
*culum* alius quidam lector *Gerhardus* idem quoque fortiter tentavit,  
 & is in *Holfatiam* profectus est circa annum 30. atque ibi conditio-  
 nem Evangelii suscepit. Cum verò *Johannes Alexander* Meppensis  
 vir excellenter doctus, qui isto sæculo reparator Latinæ linguæ in  
 quibusdam locis habebatur (quo etiam nomine eum celebraverat  
*Murmelius* tunc ad gubernacula scholæ Majoris Ecclesiæ vocatus  
 esset, qui erat initiatus presbyter cœpit quoque docere in Ecclesia  
 Anno 26. post sesquimillesimum, imprimis autem loco *Pollii* in sum-  
 mo templo in feriis Nativitatis bis concionatus est. Postquam vero  
 ille esset luce Evangelii accensus, ita mira libertate locutus est pro  
 concione, quia erat facundus, ut omnes cognoscerent illum Luthera-  
 num & hostem papistarum.

Venerat quoque eo tempore *Adolphus Clarenbachius Lenepensis*,  
 sanctus ille martyr *Osnaburgam*, & ibi in ædibus piæ viduæ, dictæ *die*  
*Warendorpesche* in foro explicuerat *Johannis* Evangelium, deinde in  
 scholis alia quædam successivis horis extraordinariè professus erat,  
 quia Scholæ collega non erat, ut quidam opinati sunt, hic quoque  
 strenuè negotium Evangelii promovit ibi: Ut autem major huic rei  
 fides adhibeatur, subjiciam ipsius verba ex prædicti *Adolphi* proprio  
 Chyrographo tunc publicè *Osnaburga* affixo, quod reperi apud *Hen-*  
*ricum Sibaum Olphenium*, descripta.

### ADOLPHUS CLARENBACH,

*Adolescentibus Christianæ libertatis atque bonarum artium*  
*studiosis à Christo salutem.*

**N**on latet vos adolescentes ingenui præterita æstate meis con-  
 terraneis & Gallis aliquot me à *Wesalia* comitantibus domi  
 nostræ Evangelium *à Johanne & Philippi Melanthonis* Dia-  
 lectica nos prælegisse, quibus exercitiis tametsi undequaque fatise-  
 ci ob temporis angustiam, tum ob ingenii tenuitatem tamen ita ab-  
 soluta sunt, ut nec eos audivisse nec me professum esse poeniteat.  
 Hinc est cur utrique, illi vero ad similia auscultanda ego autem ad  
 profitendum ardentius accendamur. Quando igitur in Evangelio  
 tum *Johannem* de fidei puritate efficaciaque dictum est, visum quo-  
 que est mihi unum vel alterum exemplum charitatis (quæ ex fide  
 sponte sua fluit) vobis proponere, ut conspicuum sit, quam fides



vera & sincera nusquam sine chartitate charitatisque fructibus esse possit. Imprimis igitur epistolam Pauli ad Philemonem, quæ ad hanc rem potissimum facere videtur, quæ etsi verbis sit brevissima, est tamen, quod ad sensum attinet, vel maxime proluxa, id quod re ipsa qui eandem auscultaverint comperient, adjungemus. Hæc ergo cras ad horam nonam ipsis Gallis aliisque adolescentibus, qui mihi ab amicis in hoc commendati sunt, domi dictare, ut calamus excipiant (nam exemplaria seorsim non extant) Christi sermone incipiam, qua interpretata & absoluta (absolvetur nunc brevi) majora Dei & voluntate & virtute dabimus, more nos gerentes illorum, qui quum rem arduam aggressuri sunt, primum in parvis suarum virium faciant periculum. Quare, quodquot Christum sincere amatis, una cum meis auscultaturi accedite, ac in Christo bene valete. Ex Musæo nostro octavo idus Novembris. &c.

Hæc *Clarenbachius Osnaburgæ* scripsit anno 1526. & factum est quod in plerisque libris referatur *Clarenbachius* fuisse Conrector scholæ *Osnaburgensis*, qui tunc fuit *Henricus Sibaus*, *Olphenus* &c. Fuerat antea *Clarenbachius Monasterii ad S. Martinum* & deinde *Wesalia* Conrector. Ille tantum ibi *Osnaburgæ* privatim legit, partim in ædibus prædictæ viduæ, partim in schola extraordinarie. Verum cum *Meppensis* bis concionatus esset coram *Dumheris*, & de doctrina Evangelii contra papistas disseruisset liberè loco *Pollii*, dimittitur *Pollius*, & *Meppensi* regimen scholæ adimere cogitant Capitulares Cathedralis (quorum tunc erat caput Decanus *Suerlagius*, præpositus verò *Nesetravius*) sed *Meppensis* mox mortuus est ibidem cui tunc vix uno interposito, ejusdem sententiæ homo *Rodolphus Mollerus* succedit in regimine scholastico &c. Effecerunt quoque *Dumheri* per Episcopum, ut *Clarenbachius* urbe, loco & jure civitatis privaretur. Cum verò *Osnaburgam* *Clarenbachius* delerere cogeretur, venit in patriam suam, unde *Coloniam* abiit, quid sibi actum sit historia suæ passionis & martyrii indicat. Postquam hoc celestiter *Missingius*, pastor *Dumherorum*, cœpit misere & turpiter sese accommodare ad voluntatem eorum & se subicere Capitulo Cathedrali, multaque in illius gratiam contra conscientiam agere, quam apud amicos semper clanculum *D. Lutheri* doctrinam commendaret, postquam jam antea ad *Lutherum* aliquoties scripserat ejusque responsorias literas recepisset. Et sic miser ille delinens eò delabitur, ut etiam senex concubinam aluerit.



Interim non destitit fortiter pergere Doctor *Heckerus*, cui in parochia *Cathariniana* accedere videbatur *Johannes Hudepollius*, & in æde D. Virginis *Leodigarius Schapenus*, quoniam isti duo ab anno 1525. usque ad finem vitæ fideles & pii Christi precones erant. *Leodigarius* mortuus est peste, misere admodum Anno 1529. *Hudepollius* vero moritur anno 1532.

Fuit *Hudepollio* collega *Henricus Suecampius*, quoque haud segnis Evangelii concionator, qui *Hudepollio* pastori successit vita functo.

Cum autem anno 32. veniret *Osnaburgam* quidam *M. Theodorus Butmannus*, & se in civium familiaritatem insinuaret, est illorum opera promotus ad functionem & ministerium Evangelii in æde D. Virginis Evangelico more exequendum. Is itaque statim civibus est autor, ut etiam reliquas parochias Doctoribus Evangelicis ornarent. Adjunxerunt igitur *Suecampio* *Wilhelmum Santphordium* in *Cathariniano* templo. Advenit quoque quidam vir senex *Theodoricus Lippiensis*, quem ministrum in *Johannitico* Collegio cives collocarunt, quo etiam tempore istum *Theodorum* quidam ibidem *facellanus*, tunc papismum abjiciens *Henricus Weddius* juvit feliciter, venit etiam *Suecampius* *Wilhelmum Santphordium* in *Cathariniano* templo. Illi igitur omnes usque in annum 1533. docuerunt *Osnaburgæ* Christum, tandem imminente motu *Monasteriensi*, cum ipsis immineret quoque periculum jussi deinde discedere, abierunt eorum plerique manente tamen in pristino officio *Osnaburgæ* *Henrico Suecampio* & Doctore *Heckero* in suo cœnobio, qui jam senio confectus erat, & raro concionabatur, interim permansit constans in asserenda vera religione usque in annum 36. quo mortuus est. *Suecampius* propter *Pontificiorum* tyrannidem nihil efficere potuit, nisi quod modeste & pie concionaretur. Verum & ille fere eodem tempore, hoc est anno sequenti post *Heckerum* mortuus est *hydropisi* alioqui *florens* annis: & ita mortuis istis duobus redierunt *papisticae tenebræ* in urbem & in monasterium ab *Heckero* reformatum: quoniam isto mortuo etiam *Literas Lutheri* ad ipsum scriptas & ejus collectanea abjecerunt in flumen *Halam*.

### DE CERTAMINIBUS,

*Sub Evangelii publicatione habitis, & perpeffis periculis.*

**N**on dicam nunc, quot certamina sustinuerit D. *Heckerus* cum aliis pro Evangelii doctrina, alioqui referre possem, quomodo

Ddãd d dd

do



do Doctor *Henricus Humpertus* Dominicanus deinde præpositus *Agidianus Monasterii*. *M. Otto Beckmannus*, quondam Canonici & professor *Wittebergensis* (qui olim charus *Philippo & Lubero* fuerat) atque ab eis turpiter defecerat & *Wittebergam* deseruerat) disputaverit in aliquot conventibus contra *Heckerum & Missingum* pro papatu subtilissime (erat enim *Beckmannus* homo ingeniosus, facundus & eleganter doctus) Anno Domini 1528. Adduxerat *Beckmannus Humpertus* Doctor qui tunc Concionator summi templi *Monasteriensis* erat, & videbatur istius conventionis autor esse Doctor *Everhardus Volilage* præpositus, in cujus aliquoties convenerat, quia autem multiloquus erat *Beckmannus*, utpote in scholis exercitatus, videbatur eloquio vincere *Heckerum* senio confectum & natura tardiloquum, quamvis disertum facis. Quo nomine non parum gloriabantur papistæ, & si serie disputationis & re ipsa omnino non vinceret &c. Sed ad alia his omissis tendo.

Cum rustici seditiosi ubique anno 1525. seditionem moverent, ita contra clerum quoque excitabantur eodem tempore cives, plebsque omnis *Osnaburgæ*. Qui autem autores vel capita videbantur esse istius tragœdiæ, sine dubio nihil aliud hic spectarunt quam papisticæ turbæ & religionis oppressionem ex zelo intempetivo. Fuisse interim hi præcipui *Johannes de Oberck*; *Otto Spiker* (qui postea susceptus in gratiam, ab Episcopo Gogrevius factus est) *Johannes Ertman* prudentis *Ertuvini* filius. Hi per *Henricum Lurman* aliosque ex plebe aliquid de facto contra papistas tentarunt collecta cohortes sed male cessit ipsis hoc propositum, quia tota urbs ab Episcopo *Erco de Grubenhagen*, pœna pecuniaria mulctabatur ista de causa. *Theodoricus Bushmannus* veniens *Osnaburgam* affixit publice thesaurata contra pontificiorum doctrinam, ipsosque ad disputationem provocavit. Sed nemo ex eis venit in curiam senatus (qui locus erat destinatus disputationi) nisi unus vicarius *Johannicus M. Dornardus Lintlage*, homo simplex, qui non sine risu dimissus est.

Isto facto non parvam inivit gratiam apud plebejos *Burmannos* qui quoque mire instruxit linguam & aptavit verba, ut placeret populo. Cum autem in amicitiam matronarum se insinuaret, ipsarum nimium gratificari studeret, vitæque esset dissolutior, non leve illi ministerio & sibi & collegis intussit notam ignominie & sursum conflavit invidiam. Denique postquam sub prætextu Evangelii



cordiam videretur seminare in urbe, & expressis verbis excitare populum contra Clerum, eoque rem perducere conaretur, ut ali- quid aperto Marte tentarent, est illi & reliquis omnibus Evangeli- cis silentium à Senatu impositum serio hoc ita volentibus & urgen- tibus Canonicis per Episcopum, quod commodius videbatur fieri à magistratu, postquam citra suffragium ejus essent ad ministeria as- sumpti à plebe.

Manfit tamen *Wilhelmus Santphurdus* in urbe, & factus est privatus *Martini* ab *Horsten* & aliorum Senatorum ac civium piorum filii pædagogus, quorum etiam protectione servabatur à periculo & ejectione. Interim ille non malè docuerat nec impie vixerat, nisi quod semel de extremo judicio nimis præcise concionatus erat. *Henricus Weddus*, cum semel esset *Lutheranus* factus, non fereba- tur quoque amplius in Collegio Johannitico, sed discessit in Phri- siam ad ditionem Jeverensem jam dimissus vel potius ejectus. *Buth- mannus* clam evasit. *Theodoricus Lippiensis* qui pie vixerat & serio ad pœnitentiam hortatus erat populum, post impetratum silentium, urbem egreditur, & in itinere capitur atque in *Bevergerden* abduci- tur, ubi anno 1534. 9. Februarii propterea decollatus est, quod abs- que consensu Pastoris ad *S. Johannem* suggestum ascendisset. Alii tamen aliter de ipso referunt, nempe illum anno 1533. abiisse *Monas- terium*, postquam ex *Osnaburgensi* urbe dimissus esset, atque ibidem suscepisse provinciam docendi in æde *Servatiana*, ad quam legitime vocatus erat (quæ provincia paulo ante oblata erat *M. Gerharo Co- tio*.) Cum igitur bonus senex cum reliquis piis urbem *Monasteriensem*, fugiens furorem Anabaptistarum, exiisset, & coactus suum mini- sterium deseruisset, nolens se factioni Anabaptisticæ dare, interce- ptus dicitur ab Episcopo tum occupante vias regias, & inclusus est carceri *Bevergerdiano*. Postquam verò damnari debebat, non potuit hoc nomine reus accusari, quod legitime vocatus juxta *Augustanam* confessionem *Monasterii* docuisset, & se Anabaptistis opposuisset, quia hoc jam erat ab Episcopo permissum. Ea igitur causa damna- tus est, quod superiori anno docuisset *Osnaburga* citra pastoris & Ca- pituli consensum in æde *D. Johannis* promotus à furiosa plebe. Hoc cum diceretur spectare ad tumultum, seditionis damnatus, ca- pite plexus est 9. Februarii, quanquam ille placidè responderet, se ex sacris literis & patribus demonstrare posse, plebem elegisse & vo-



casse semper in Ecclesia Doctores, tamen hoc ei non profuit: ita placidè in ortem subivit. Tandem iussit illius cadaver ex loco supplicii Episcopus *Monasteriensis Franciscus à Waldech* anno 1543, exiit terra, & deferri reverenter ad Cœmiterium in *Bevergeru*.

Anno 1534. *Monasterio* emissi sunt ab Anabaptistis viri octo & viginti numero in aliquot urbes, ex quibus sex venerunt *Oshobergam*, qui excitato clamore cœperunt de regno novi cœlestis & Israeliticæ Hierusalem prædicare, atque comparentes coram consule majori & Gogrevio, *Ottone Spikers*, in testimonium futuri interitus & exitii sempiterni, nisi susciperet istorum doctrinam, projecit aureum nummum, qui insignia regis, *Johanni Leidenfis*, continebat, & vestitum lacerabant, imo per plateas videbantur sese quasi in signum futuræ internitionis in lutum præcipientes dare, ut ita populum commoverent, tandem convocata multitudo ad forum, cœperunt ibi latius de sua doctrina differere. Verum isto tumultu illico commoti convocantur per consules reliqui Senatores tribuneque omnes, qui collecti simul ex curia clamantes, jusserunt cives suos, præsertim qui vellent esse sui juramenti memores, & habere rationem urbis suorumque bonorum, discedere illico ex foro domum: Senatum enim curatorum, ut & reipublicæ & religionis consulatur optimè. His ita publicatis, mox non sine summo periculo ex decreto & mandato senatus, à ministris publicis apprehenduntur in foro isti sex, & vinculis traduntur. Isti autem obstinatis jam capti ibant, vel potius se ire fingebant, gaudentes & canentes ad carcerem: plebs vero lætitia & cantu eorum non leviter movebatur, quia adeo concitabatur, ut vellet omnino eos dimittendos & restituendos libertati. Interim prudentes viri, *Conradus de Horne*, *Ertuinus Erdmann junior*, Consules, & Quæstor urbis, *Martinus de Horsten*, alique, cum viderent furere plebem, postmodum jusserunt rumorem spargi in vulgo per urbem à suis quasi vellent vincetos Episcopo tradere ante portam Johanniticam. Hoc rumore audito, magno numero accurrunt plebeji ad illam portam, ut eriperent ex eorum manibus vincetos, verum ita concurrente plebe, ipsi clam per ferretiorem locum deducunt impostores ex urbe, nemine hoc præter senatum sciente, quos deinde impositos cubus tradidère Episcopo adjuncto uno aut altero ex suis, quos habebant autores dissidii. Itaque tandem cum se videret vana luciani



spe, regressus est ex plebe quisque in domum suam. Istitis autem omnibus, quos victos Episcopo tradiderunt, caput amputatum est excepto uno, de quo dicemus in Historia Ecclesiastica Urbis *Monasteriensis*, &c. Sed audito isto motu *Wichmannus Bramescanus*, Secretarius supremus illustrissimi & piissimi Herois *Ernesti*, Ducis *Lüneburgensis*, rogavit *D. Urbanum Rhegium*, ut refutationem Germanicam institueret contra *Monasterienses*, eamque suis *Osnaburgensibus* dedicaret, quod factum est Anno 1534. Imo hoc non solum *Wichmannus* petiit à *Doctore Urbano*, sed etiam ipsi proceres in republica *Osnaburgensi*, veluti ipse testatur in Epistolis ad *Gerhardum Cotium* & *Johannem Montanum* scriptis Anno 35. vehementer petiverant. Quo etiam Anno emisit idem *Doctor Urbanus Rhegius* scriptum latinum, cujus hic est titulus, de restitutione regni Israelitici contra omnes omnium seculorum Chiliaftas, imprimis tamen contra *Millitianos Monasterienses* disputatio *D. Urbani Rhegii*. Hoc scriptum dedicavit *Wichmanno Bramescano Secretario Ducali*, ea lege, veluti expresse in dedicatione scribit ut illa *Osnaburgensi Ecclesiæ Monasteriensibus* vicinæ velit nomine utriusque transmittere *Wichmannus*, quò perspecta fidei *Cartholica* veritate facilius queat vitare vicinæ urbis errores & mendacia &c. Ideo certè multum debet *Ecclesiæ Osnaburgensis* hoc nomine *Doctori Urbano Rhegio*, & deinde isti *Wichmanno* suo alumno, veluti & *Antonio Corvino*, qui admonitionis causa quoque anno sequenti hoc est 36. ad eosdem *Osnaburgenses* misit acta totius historiæ cum rege & captivis tranfactæ edita, quæ etiam ipsis inscripsit reverenter. Vide in Tomo 2. *Luth. Ger: Wirebergensi*.

Postea circa annum Domini 1538 & 39. cœpit eadem Secta vires recipere, *Doctoribus* quibusdam peregrinis, & ex civibus quibusdam *Gosmanno*, qui aufugit, & *Francisco Ottingio*, qui postea egit poenitentiam. In ista factione erat quoque cujusdam consulis uxor, qui propterea vincula sustinuit. Anno quoque 41. sunt etiam quidam ejecti, qui eandem Anabaptiscam hæresin fovebant, ex urbe.

DE

## RESTAURATIONE EVANGELII DEI CHRISTI,

Facta Osnaburga Anno Christi 1543.

Cum ab anno 1534. caruisset aperta luce & prædicatione Evangelii *Osnaburga* civitas, en tandem accidit ex singulari miseri-

Dddd dddz

cor-



cordia Dei, ut ab Episcopo *Osnaburgensi* *Francisco de Waldico*, Comite, veræ religioni dedito principe, qui ob expugnatam urbem *Monasteriensem* à fanaticis hominibus occupatam, perpetuam laudem est meritus, de quo suo loco in *Historia Monasteriensi* dicimus prolixius) & à senatu urbis (cujus tunc præcipua capita erant viri pii & prudentes *Martinus ab Horsten*, *Henricus Storck* Consules, *M. Jodocus Hedlag* Quæstor ærarii, qui postea factus est consul; *Jodocus Wesseling*, *Hermannus Lübbeking*, *Theodorus Bremerus* & alii quidam Senatores &c.) simul ad Reformationem Ecclesiarum reverendus & eruditissimus Theologus *M. Hermannus Bonnus Quakenburgensis*, ditionis *Osnaburgensis* alumnus per *M. Georgium Bari* vocatur. Is igitur cum ex inclyta *Lübeka*, ubi erat Ecclesiarum inspector, venisset, reformavit pacificè & modestè Ecclesias tam in urbe, quam in ditione, & disposuit prudenter & ordine ministerium, ipseque suaviter pro concione publice docuit, adde quod etiam latine inciperet Epistolam Pauli ad Romanos prælegere & profiteri publice in Franciscano Cœnobio, ad quam lectionem omnibus patebat auditus. Hic cum pro sua eruditione & eloquentia doctissime Pauli mentem scrutaretur gravissimeque illam epistolam explicaret, confluerunt multi ad ejus auditorium, inter quos interdum regerti sunt *Dumheri*, qui sunt omnes genere nobiles, præcipue vero *Theodorus Eickel* cantor & *Hermannus Bravius Scholasticus*. Disposita autem ita ministeria per ditionem, ut plerique pastores rurales ultra Evangelii doctrinam suscipere obvis ulnis, quibusdam vero semio confectis vel papistis addebantur Sacellani vel collegæ, qui munus Ecclesiæ strenuè obirent, quo omnia diligenter & religiose pericerentur.

DE

## PAPISTARUM CONATU BREVIS RELATIO

*Hoc est de Cathedralis Ecclesiæ Doctoribus.*

**C**irca annum Domini 1539. mortuo *Missingio*, qui olim cum *Pollio* publicè, & postea diu privatim Evangelium Christi docuerat, vocatur, suadente *Arnoldo de Castro* præposito & religio ni papisticæ deditissimo vir doctus *M. Conradus Eckendorpius*, qui patriam, hoc est comitatum *Lippiensem* propterea deseruerat, quod Evangelium, quod *Lutheranismum* appellavit, suscipere nollet. cum



enim pastor *Lagensis*) quare de illo spem summam conceperant Dumberi, cumque in emendis patrum scriptis, sumptibus juvabant. Is quidem antequam *Bonnius* veniret *Osnaburgam* satis pro voto pontificiorum executus est ministerium & munus pastorale; Verum cum *D. Bonnius* audiret docentem in Ecclesia & prælegentem in Cœnobio adeo dextrè Pauli doctrinam, cœpit illi quotidie magis fordescere religio papistica. Nam dixerat sæpe; Etsi multoties audierim Magistros nostros *Colonia* disputantes & prælegentes, multosque docentes in templis, tamen scopæ erant dissolutæ & nugæ ipsorum lectiones collatæ ad Domini *Bonni* explicationes, in quibus ita versatur, ut mihi nunc demum Pauli sensus innotescat. Quod quidem verum est, quoniam argumenta Pauli de justificatione diligentissime pro sua fidelissima diligentia & eximia doctrina, summa tradavit gratia, & modeste refutavit validis & firmis rationibus scripturæque ac patrum testimoniis ita quidem contrarias opiniones, ut nemo ei sese posset objicere. Erat enim *Bonnius* magnus & solertissimus interpres scripturarum, de quo scribit *Erasmus Sacerius*, discipulus *Bonni* in præfatione sui Commentarii in Matthæum, quod doctissimos istius clarissimi & eruditissimi viri *D. Bonni* Commentarios latentes sæpe consuluerit & istis usus sit, ad sua pertexenda. Sed hæc obiter.

Commotus ita *Eckendorpius* petiit privatum *Bonni* colloquium; ad quod admissus cœpit quasdam pontificiorum argutatiunculas (forlan ex *Eccio* petitas) & quædam dicta patrum proferre, & cum illo de toto religionis negotio conferre, ut erat ingeniosus & doctus. Sed *Bonnius* perspicuis scripturæ testimoniis convellebat illius objectiones, atque prolixè autoritatem solius scripturæ ex ipsis patribus & præsertim *Augustino* commonstravit, atque deinde de singulis locis, ut de Papa Romano, de purgatorio, de invocatione sanctorum, imprimis autem de justificatione hominis coram Deo docte & prolixè coram *Eckendorpio* tam ex scripturis quam ex patribus disseruit admodum erudite & dextre. His auditis se quasi victum tradebat *Bonno*, interim regrediens domum & preces studiis miscens vehementer & diligenter magisque cœpit investigando perscrutari illa fere omnia, quæ à *Bonno* ex scripturis & patribus præcipuè *Augustino* citata erant, & cum omnia ita se habere comperiret & ipse quotidie majori cum gaudio *Bonnius* audiret, incipiebat quo-

que



que in suo templo taxare abusus pontificios, & postremo manibus pedibusque intus regente Spiritu sancto corpius ibat in sententiam *Bonni*. Ita deseruit Pontificios, ipsorumque dogma est detestatus & à senatu, suadente *Bonno* vocatus in pastorem *D. Virginis*, ubi ei contigit collega *Johannes Werneking* olim discipulus *Doctois Hebræi*. Vocavit autem in locum *Eckendorpii* Cathedralis Ecclesie Capitulum quendam ex ditione *Monasteriensi* *Johannem Apotecarium*, qui voluit aliquid esse, sed non est ausus prodire contra alios imò is se ipsum aliter post declaravit ut suo dicam tempore.

### Quomodo disposita sint in Evangelicis Ecclesiis Ministeria.

**F**loruit Ecclesia *D. Virginis* sub *Eckendorpio*, in qua, cum bonus ille vir piè per aliquot annos pavisset suas oves, easque sanctè rexisset, placidè in Domino obdormivit, & ei successit *Wilhelmus Santphurtius* rediens ex aula, qui vestigia sui antecessoris optimè ingrediebatur, nisi Interimistica scabies illum turbasset, de quo postea latius.

In æde *D. Catharinæ* suscipitur in pastorem vir clarus & doctus, *Johannes Pollius, Bilveldensis*, (qui olim multa fecerat cum *Misingio* in nostra patria *Osnaburgensi* urbe, pro negotio Evangelicæ & profligatus inde, per comitatum *Teklenburgensem* & *Redensem*, jussu & nomine *Conradi*, Comitis, primus plantaverat Evangelicæ doctrinæ & disposuerat optimè ministeria, atque deinde *Salsæ* fuerat Coadjutor Superintendentis per aliquot annos) cujus eruditissima publicè commendaverat *Eobannus Hefsus*. Erat apud nostrates huic successurus *Johannes Abekingius* primò, deinde *Oliverius Marchius*.

In æde *Johannitarum* novi oppidi constitutus est Pastor Episcopi Concionator Aulicus *Stephanus Kroningius, Dulmonensis*, qui acriter potuit pro suo eloquio perstringere Papistas, cui erat collega *Hericus Weddens*, qui antea cum sancto martyre, *Theodorico Lippio* inceperat docere Evangelium in eadem parochia, ipse tamen tunc vocatus à pastore nunc vero à parochianis & Senatu Neapolitano vocatus.

*Stephanus* cum rediret revocatus ad propriam sibi datam parochiam in *Petershagen*, & esset quoque vita liberioris, facile dimittitur & vocatur in ipsius locum *Antonius Grevensteinius* *Bremæ*, qui etiam post



post biennium rediit ad *Bremenses* (apud quos hodie est *Superintendens*, ideo ad istud munus assumptus, quod probaret *Doctoris Hartenbergii* sententiam) ibi enim in Neapoli valde promovebant religionem *Reinerus Guiltihe*, *Johannes Stegemannus* & *Conradus Hetlagius*, qui successively fuerunt consules ibi omnes. Quorum opera ex scholæ gubernaculis vocatur *M. Christianus Sleibingius* homo docendi dono & facundia instructus ad functionem Johanniticam, qui usque ad Interimisticam tempestatem piè admodum docuit non sine laude pastorq; mansit ibidem. Collegiati autem Canonici & Vicarii templi ejus anno 1543, jussu Episcopi deposuerant omnes superstitiones papisticas & simplices psalmos *Davidis* cum piis collectis cantillabant; quod etiam per id tempus valde probavit vir gravis & doctus *M. Johannes Mellinckhus* ibidem Decanus, qui Evangelii doctrinam amabat, & Canonicus *Johannes ab Horsten*, cum contra multi in illo collegio, quibus hoc admodum displicebat, imprimis *M. Johanni Monnikio* Scholastico ibidem. Dispositis ita ministeriis rediit eodem anno *Lubecam Bonnus* commendata nova Ecclesia *Pollio* & *Eckendorpio*. Erant tunc quoque *Monasteria*, nimirum *Augustinianum*, *Franciscanum* & *Dominicanum*, item *Monialium* reformata & ab omni superstitione purgata, quo tempore *Abbas Johannes Metering* cum monachis suis in *Iborg* fuit etiam bonus Evangelicus. Sed tempore interim omnes mutati sunt.

Floruit tunc pietas in urbe *Osnaburgensi*, floruit tunc sub dulci concionatorum concordia disciplina & decorum. Nam tum omnes imperio senatus subditi excluderentur serio mandato ab impiis Pontificiorum sacris, quæ adhuc fiebant in summo templo, nec cuiquam istis in locis, qui suberant senatui, concedebatur se scortatione polluere vel in cubilibus turpiter versari. Quo etiam tempore pellicibus vel scortis pontificiis quoque nullibi istis, ubi Senatus habebat imperium, concedebatur locus. Vetitum quoque erat, ne pontificiorum concubinæ ad nuptias & ad honesta conjugia civium Christianorumque admitterentur vocarentur. O tempus illud aureum, in quo ita floruit religio, pietas in pretio erat, & disciplina vigeat; quæ nunc ibi neglecta jacet non admodum curantibus eam capitibus urbis, cum hodie concubinæ pontificiorum pene aliis honestis matronis præferantur.



## DE CERTAMINIBUS ECCLESIAE

In restauratione Evangelii per *D. Bonnum* inchoata, obortis.

Cum omnes Pastores cum admiratione audirent *Bonnum* reformatem Ecclesias, unus est ex reliquis omnibus inventus Pastor in *Wellinckthofhusen* / *Johannes Bodekerus*, qui se ei opponere audebat. Nam cum audiret ex *Bonno* aliquem consecrationem in administratione Dominica in ædibus ægrotantium Germanicis & claris etiam verbis ad confirmationem fidei infirmorum uti debere, dixit intempestivè, *Soll man denn in der Bauren Häuser vor den Küh-Ställen consecriren / und die heiligen Wörter also coram stercore prophaniren / cum tamen non sint projicienda margarite coram porcis.* Sed *Bonnus* breviter homini temerario respondit, se quidem omnibus modis suadere & asserere, ut summa reverentia tractetur Eucharistia & consecratio fiat. Interim consecrationem & verba cœnæ lecta plurimum confirmare fidem, erigere animos ægrotantium, qui equidem non porcis sed columbis adogantur in sacris scripturis, & referuntur ad dictum Christi, *venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* *Petrus* hypocritas & Epicureos comparat sui lotæ & redeuntis ad voluntarium, 2 *Pet.* 2. atque istis frustra prædicatur poenitentia & exponitur consolatio Evangelii. De istis igitur dictum Christi intelligitur de infirmis Christianis, reverentiam autem cœnæ non ex loco verbis Domini pendere nec prius adesse Christum nisi in suo sacramento. Ait enim, *accipite, edite, hoc est corpus meum, ergo ante officium sacramenti non vult se nostris verbis alligari ad panem Christi.* Sed agit juxta verba & institutionem suam, quæ Christum prolatis verbis & exhibitio pane accedentibus offert & non prius &c. Hic pastor hærens & attonitus quasi dixit, tamen ita vilescere verbum hoc coram plebe prolata. Sed regessit *Bonnus*, Christum divise Apostolis, ut omni creaturæ prædicarent Evangelium, & Paulum scripturam & commendasse toti Ecclesiæ *Corinthiorum* nullo excepto, cœnæ actionem cœnæ, & postea adjecisse, *Quotiescumque hoc feceritis mortem Domini annunciabitis &c. En, annunciabitis, inquit &c. Substituit autem tunc pastor ille, qui voluit ob istam suam animositate prædicari, quod in tota collectione pastorum ruralium se objicere*



deret *Bonno*, sed cum præ aliis vellet papista insignis videri, homo alioqui leviter doctus, en rubore confunditur coram omnibus.

Gloriose quoque de superando *Bonno* multa retulerat in urbe *Monasteriensi* *Johannes Aquensis*, Observanticus, concionator summi & cathedralis templi, hoc postquam ad aures Episcopi pervenisset, evocavit *Monasterio* monachum *Aquensem* illum, qui veniens *Iburgum* ad Episcopum jubetur pro sua religione disputare contra *Bonnum*; Verum cum hoc recusaret, petitur ejus concio. Interim *Bonnus* prius pro concione docuit, & cum is rejiceret omnia opera superogationis, atque inter cætera referret de ineptiis cucullarum, rasuræ, temporum, ciborum, vestium, unctionum & aliarum ceremoniarum pontificiarum, præclareque de justitia fidei solius differeret, finit orationem admonitione addita, qua videbatur amice monachum funigerum præsentem non tam perstringere, quàm piè hortari ad cognitionem veritatis agnoscendam. Postea à prandio prodiit *Aquensis* ad docendum pro concione, in qua præclaram *Bonni* disputationem de justitia fidei, & pudicis fideisque monachorum operibus atque annexam admonitionem præterit, & sic cum de charitate multa ex diversis scripturis satis tamen consule (interim prolixè, ut erat magniloquus) disseruisset, & de fratrum delictis tegendis, eorumque infirmitate ferenda verba fecisset teste notans *Bonnum*, tandem prorumpit in hæc verba, Meister Herman *Bonnus* hat auf Platten/ Kapffen und anders was in seiner Predigt gescholten/ und läst das ander bleiben/ allein das mir antroffen ist / als Rappen und Platten/ muß ich verantworten / und dar gebe ich diesen Bericht auf. Ein jeder trägt was ihm gefällt/ so gefällt dem Herrn *Magistro Bonno* ein lang gefuttert Rock/ mir eine Mönichskapffe / dir eine kurze Mantel / ihm das Haar wachsen zu lassen/ dir eine schlichte Kolbe/ mir einen Kranz drauf. Das verdammt nicht / &c. & ita finiebat concionem suam quoque. Verum postmodum cum prodiret denuo *Bonnus*, retractavit totam concionem *Aquensis* monachi, & de usu operum fineque ex officio charitatis rectè disseruit, ejusque quædam paradoxa explicuit, addita comoda interpretatione, & cum rectè & eruditè explicuisset, quamdiu & quomodo ferenda esset infirmitas fratrum, & quorum delicta essent tegenda, sic istam priorem insulsam monachi orationem retundendo confutabat, concedito inquit, adiaphora esse posse rasuram, cucullam, restim vel funem. Verum si ista pro adiaphoris ha-



beat *Aguensis*, & libertatem suam ostendat in istis rebus, videlicet ut interdum sine tali cuculla & fune prodeat ad conciones, interdum etiam negligat rasuram capitis, & ita crinitus incipiat docere pro libertate Christiana. Hoc si inquam fiat, non damnabimus. Nunc verò cum id faciat ex decreto *Francisci*, nec mutet impium & superstitiosum habitum, sed in eo perseveret, ostendit, se nisi tam vanis rebus, & ita declarat, istas sibi non esse amplius adiphoras, sed necessarias ad salutem, & hoc pacto detrahit merito Christi, &c. Postea rogatus ab Episcopo monachus velletne ita ad concionem procedere mutata veste? respondit, sibi hoc non esse integrum. Est igitur ita dimissus.

### DE SCHOLIS EVANGELICIS.

Cum videret Senatus inclytus urbis seminarium Ecclesie & Politie esse scholam, honesto ex consensu principis & suaderente *Bonno* aperuerunt piam scholam anno 1534. in canobio *Franciscano* (ex quo ultro exierunt *Gardianus N. Bermannus*, qui ducta uxore factus est Pastor in *Hunteborg* &c. aliique idem lecerunt) cui præfecerunt *Wilhelmum Santphurdium*, ludi magistrum *Johanniteri* collegii, unde transferebatur ad hanc scholam, atque eidem tunc contigerunt collegæ *Hermannus Burinus*, vir Hebrææ linguæ non indoluitus (qui hodie in *Oldenburgico* comitatu functionem Ecclesiasticam obtinet) & *Georgius Suecamp*, qui postea ad scholam *Bilseldensem* eque gubernacula ascendit. Iam vero finito biennio cum *Wilhelmus* animus magis ad functionem Ecclesiasticam inclinaret & propter simplicem probitatem ad aliquam claram scholam aperiendam minus videretur idoneus, etsi vir esset doctus, quod ejus monumenta constantur, vocatur *Hannovera Christianus Sleibingius*, vir gravis, pius & doctus, qui antea *Osnaburgæ* in Joannitico & Cathedrali collegio scholæ præfuerat non sine laude, & deinde *Wicbergam* abiit, & tunc Conrectorem *Henricum Sibæum Olphenium*, & collegam *Eberhardum Barckhusium*, qui fuit pii istius *Antonii* Consulis *Hannoverensis* cujus toties honorificam facit mentionem *D. Urbani Regini*, filii viri Græcæ linguæ admodum doctus & alios quosdam sinceros: fuerit igitur sub illo per aliquot annos schola. *Wilhelmus Santphurdus* tunc fiebat principis aulicus concionator. Tandem anno 1548. deseruit scholam *Christianus Schleibingius* & factus est pastor in *202*



æde *D. Johannis*, cui tunc successit *Henricus Olphenius*, qui Conrectorem deinde habuit prædictum *Hermannum Burinum* tunc ex Academia *Marburgensi* reversum. Floruit mediocriter civium schola & Ecclesiæ ministerium tunc usque ad tempus Interim, quando infeliciter, vi pontificiorum, abrogabatur, &c.

## DE ECCLESIA CATHEDRALI

Et ejus pastoribus, qui ante Interim, sub & post illam Spingin Interim fuerunt.

**D**iximus, quomodo illam pontificiorum speluncam deseruerit *Eckendorpius* & revocarint ex ditione *Monasteriensi* in locum ipsius quendam senem papistam *Johannem Cramerum* vel *Apothekarium*, qui quidem ex *Wicelii* postilla formabat conciones, & papistico more docebat, verum parum profecit. Tantæ quoque non erat eruditionis, ut se auderet aliis opponere, senex aluit concubinam multæ prolis matrem, quam dicitur clam circa annum Domini 1556. duxisse in uxorem, quo etiam tempore ipse quoque cœpit in pontificiorum doctrina languidior fieri. Nam Eucharistiam sub utraque specie petentibus distribuit prolatis verbis Christi, & cœpit quoque abusum Pontificum privatim & publice reprehendere. Quanquam opinor, ipsum nunquam ad solidam purioris doctrinæ cognitionem pervenisse. Legerat aliquid in *Hieronymo*, sed nihil de ipso præterea dicam. Huic mortuo (opinor anno 1559.) *Georgius Vollenper*, qui valde insolenter & intempestivè multa dixit adversus veram Christi doctrinam, quod male habuit Evangelicum concionatorem *Johannem Olthovium*, qui se in publica concione isti *Georgio* satis indocte & rudi graviter opposuit. Cum autem videret se à Dumheris propter ruditatem & crapulam contemni, suscepit iste *Georgius* munus Pastoris in æde *D. Johannis*, quod postea prolixius explicabitur. Semper citabat arrogantia causa ex postilla *Wicelii Theophilactum*, ideoque Flactum appellarunt homines eundem. Interea venit quidem impostor casu *Osnaburgam* nomine, ut dicebat, *Ulricus Sakerus* anno 1564. qui, cum se multis & variis mendaciis insinuaret in amicitiam quorundam Dumherorum, imprimis *Giseberti Buddæi* tunc Cantoris, modo Præpositi, & insignis præ aliis pontificii dogmatis patroni, ita est ad functionem Ecclesiæ promotus. Verum cum ibi per paucas septimanas hæssset & multos argento emunxisset, turpiter discessit.

Eeee eee3

Idem



Idem venit, ut hoc obiter inferam, aliquando anno 1559. *Lemovicum* ad me, & multa quoque tunc mendacia comminifcebatur, dicens sibi nomen esse *Valentino Sallero*. *Bilveldia* similiter eodem tempore multos deceperat idem ardilio vagus & impostor. Sed interim hinc apparet, quanti faciant religionem pontificii cum scurrâ ignotum sulciperent ad tantum munus.

Tandem vocârunt *Colonia* eruditum quidem & præ se ferendum aliquam sanctimoniam Magistrum artium & alumnum ditionis *Osnaburgensis* *M. Jodocum Redekerum*, Jesuitam, ut apparet, qui quemadmodum *Georgius* & *Udalricus* quædam intempestive pro concione proferebant (interdum illud quod videbatur Evangelicum, ut civibus gratificarentur, interdum ista quæ pontificiis grata erant, cum neutrius concio esset ædificationi accommoda) ita quoque suas instituit orationes ut plane papatum stabiliat prolatis sæpe multis patrum sanctorum dictis, quæ etiam ad rem & ædificationem facere non videntur. Quid profecturus sit suo isto conatu videbimus. Certum est, paucos ex *Dumheris* curare pontificiam religionem hodie anno 1565. cum canonicatus emant & vendant magno pretio, & vivant quotidie satis Epicureicè.

Quid tempore Interim acciderit, & quomodo pii Pastores & Ministri Evangelii tunc ejecti sint.

Cum Cæsar versaretur in bello *Engelstadiensis*, & res protestantium minaretur ruinam, primò *Westphalicas* ditiones terrere *Ebersteinus* Comes, & *Christophorus Frisbergius*, nomine *Cæsaris*, qui etiam cœperunt urbi & ditioni *Osnaburgensi* Anno 1547 incutere copiis qualibuscunque collectis terrorem, quem augebat subdita depositio pii *Hermani de Weida*, Archiepiscopi *Coloniensis*. Postremò addidit animum *Osnaburgensibus* Papistis victoria *Catalis* in qua cepit piissimum & sanctissimum Electorem *Saxonia*, *Johannem Fridericum*: ita factum est, ut *Cathedrale capitulum* (cujus tunc capita erant genere nobiles *Arnoldus de Castro*, præpositus, *Heroldus de Baer*, Decanus, *Henricus à Kersbrock Senior*, *Hermannus Bravius*, Scholasticus, *Amelingus de Warendorp*, *Arnoldus Tulcan*, Cantor, &c.) cogeret Episcopum bonum *Franciscum Waldeckianum* suscipere & revocare papisticam religionem, quæ tunc in libro Interim erat comprehensa, voluerunt etiam ut præsul ipse comparere



ret in Synodo, & re ipsa illam comprobaret. Coactus ita praesul, nisi voluisset ad modum Archiepiscopi *Coloniensis*, *Hermanni Pii* à *Weida* ejici, prodire ornatus more Pontificio, & ibi omnibus ruralibus Pastoribus convocatis mandare & imponere, ut pontificiam religionem susciperent, repudiata Evangelii doctrina, quod factum est faciente tunc verba nomine Episcopi ad Pastores in Synodo collectos quodam funigero monacho. Quod in tali principe dolendum erat. Interim, dum ipse cuperet evadere periculum tempore. Interim, postea paucis annis elapsis bellum inferente ei *Philippo Magno* Duce *Brunsvicensi*, excluditur ditione ista, & statim incidens in morbum post bellum moritur in arce *Walbeck*, ditionis *Monasteriensis* &c. Quanquam hoc liberè confiteor, istum tamen praesulem semper fuisse puriori etiam post susceptum Interim additum, tamen coactus & invitus cogeretur aliquam servitutem tempore Interimistico ferre. Nec satis erat Pontificiis ita in suo isto imperio tunc cogere Episcopum, verum voluerunt etiam, ut curaret praesul per Senatum abrogari & ejici serid ab officio in urbe concionatores Evangelii & scholam civium in cœnobio erectam abrogari. Quomodo hoc factum sit, nunc videamus.

In æde *D. Johannis* statim Canonici collegiati eligunt novum Pastorem ex suis Vicariis, *M. Henricum Preckemole*, (qui olim fuerat ex jussu & promotione *Jodoci Hoitfilteri* Doctoris & postea demum creati Episcopi *Libecensis* Notarius Pontificius in colloquio *Wormatiensi* Anno 1541. celebrato) quem opposuerunt Evangelico Pastori *M. Christiano Sleibingio*, sed cum is temerario ausu, nunquam antea exercitatus, prodiret in publicum, & capitulo & sibi malè cessit ille progressus. Nam accurrente multitudine hominum ad novam Pontificii Pastoris concionem, turbatus strepitu eorum & rubore confusus prosiliit ex suggestu & aufugit, & postea nunquam est reversus ad id munus. Idem quoque ante annos triginta suo antecessori Pontificio Pastori *Hermanno Horstio* acciderat. Interim mox decreto Episcopi, qui urgentibus Canonicis propter mandatum imperiale gratificari est coactus, excluduntur ex ministerio *Christianus Sleibingius* Pastor & ejus collega *Henricus Weddeus*, qui postea rursus se in comitatum *Feverensem* recepit, ubi etiam mortuus est. *Christianus* verò, cum per semestre privatim vixisset, vocatur ad scholam *Hervordensem*.

Re-



Receperunt tunc Papismum in collegio isto & missificarent. Imo omnes tunc & Canonici & Vicarii in utroque collegio per aliquot septimanas concubinas abjecerunt, alii eas occultarunt, nonnulli dimiserunt eo pretextu ut novas introducerent. Omnia sacra & ceremoniæ pontificiæ sunt tunc revocata exceptis processionibus publicis, quæ antea fieri solebant. Ex oppido *Widenbruggo* tunc discesserunt concionatores Evangelici, qui ibi per *Bonnum* confirmati erant videlicet anno 48. *Franciscus Hasius* & *Johannes Dattius*, quibus abeuntibus vel potius ejectis substituti sunt papistici Doctores, & cantiones Germanicæ ac usus Sacramentorum legitimus & tota Evangelii doctrina est tibi quoque abrogata hoc tempore Interimistico.

Coacti sunt tunc collegiati ad *D. Johannem Canonicum* vocare *Theodoricum Liliam* Monachum ex *Monasterio Iburgensi*, qui & ibi & in ædē *D. Virginis* aliquamdiu obivit munus Pastoris media via incidens. Tandem cum quidam *Henricus Horstmarus Redlinckhusensis* vocatus est ad pastorem Catharinianum jam abjecto *Pulio* quem, quia eloquio valuit, homo alioqui tenuiter doctus, & potuit suas coniectiones ex *Lutheri* & *Spangenbergii* postilla ita ordinare, ut omnis istis, quibus pontificiorum dogma reprehendebatur, ad verbum idque eleganter recitaret & referret istorum conciones, in choro & coram altari erat insignis papista, in docendo verò referebat Evangelicum concionatorem. Postquam autem simulas oriretur inter capitulum & ipsum, deserit parochiam & secedit in pagum. Interca diversi papistæ sunt hinc inde in istam parochiam vocati ad munus pastorale, sed quia non erant apti ad docendum, sunt dimissi. Accidit etiam, ut quidam *Johannes à Berga* peregrinus anno 1579, admitteretur ad functionem docendi in ista parochia. Is verò admittens incepit statim & magnis clamoribus reprehendere papistas & eorum vitam, doctrinam & ceremonias, idque in magna plebis frequentia intempestive damnare. Gravissime igitur per Canonicos, ibi impia sacra exercentes, delatus ad Episcopum, citatur à præfule is concionator, & ei adjunxit quosdam Senatus, qui starent ab ipsius partibus. Veniens autem ipse coram præfule, qui erat *Johannes comes de Hessa* succedens *Francisco Waldechiano* &c. principe docto, non satis latine nec idoneè respondit, ut quidem puderet suæ partis homines assistere. Jubetur igitur senatus ab Episcopo, dimittere istum, & capi-



pitularibus mandatur, ut alium sedatum & isti muneri idoneum in locum ejus vocarent. Sic revocatur *Henricus Horstmarus*, qui anno 1564. in eo pastoratu mortuus est. *Johannes de Berga* abiit *Susatum*, ubi in pago obtinuisse videtur conditionem. Quidam ex civibus *Casparus Bleker* excitatus per illum *Johannem* & proprio zelo erga religionem commotus post ejectum *Johannem* coepit functionem manuariam (erat enim officio lanio) & per urbem publicis clamoribus voceque stentorea populum, papiculas Epicureosque ad poenitentiam serio vocare, nihilque aliud quod impium esset tentare, nisi quod intempestivo zelo arderet. Videat mea patria. Ego censeo, illum talem fuisse, qualis erat ille *Jesus filius Anani plebejus & rusticus*, qui quadriennio prius quam bellum gereretur, in summa civitatis pace atque opulentia, exclamavit *Hierosolymis* per omnes vicos omentriste prænuncians teste *Josepho, &c.* quanquam multi viderent hominem, & alii sentirent illum *Blekerum* melancholia correptum, tamen eventus docuit, quasdam ex suis prædictionibus re ipsa veras fuisse & etiam ipso mortuo ita accedisse, ut prædixerat. Mortuus est ille anno 1563. in Domino placide. In æde autem *Johannis* successit ut dixi, *Horstmaro Georgius Vollenstet*, qui nunc ad normam Evangelii incipit ibi suas conciones formare & etiam Sacramentum Eucharistiæ sub utraque specie administrare, in choro interim apud suos papifans. Hunc cum propter incitiam dimitterent anno 1566. vocatus in ejus locum vir juvenis *Johannes Bromelkampius* non indoctus homo, sed cum is accederet ad castra *Wilhelmi Vossii*, jubetur de consensu & jussu Episcopi dimitti anno 1567. Sed quendam crassum in ipsius locum vocarunt papistam ex Belgicis oris, qui propter loquelam multis est ludibrio, cui nomen *M. Georgio Regio Embricensi*.

Jam dicendum, quid in reliquis parochiis actum sit tempore Interim. *Wilhelmus Santphurdus* (qui *Borgela*, in vicinia *Antverpiæ* urbis natus erat) cum per annos 30. *Osnaburga* versatus, & jam ex aulico Concionatore Episcopi *Francisci* electus in pastorem Marianum mortuo *Eckendorpio* esset, coeperunt hujus vitæ imprimis insidiari pontificii Cathedrales, cujus odii hæc fuit causa. Postquam Senatus ipsum in cœnobio *Franciscano* vocasset ex schola puerili *Johannitarum* ad ludum literarium celebrem constituendum, proposuit suis auditoribus aliquando carmen scholasticum, quo Episcopum



& Senatum laudavit, Pontificiosque perstrinxit, unde istud octium  
oriebatur. Quædam ex eo carmine verba sunt hæc;

Seriò tandem pia mens triumphet

Et canat lætum supero tonanti

Carmen ac plectro sine fine dulci

Gaudia promat,

Nunc jacent strati, & iterum papa *Cardinalis*

Quicquid & Cleri gerit animosum

Nomen, hoc toto cane pejus orbis

Odit & angue.

Sic prophetavit liquido futurum,

Christus & Christi Daniel repletus

Spiritu, *γῶσι* quibus alta Pauli

Adstipulatur.

Ut sciant orbis populi fideles

Monstra, quæ multos Satanas per annos

Callidus nigris lacubus petita

Foverit atra.

Hinc Papam mundus videt Antichristum

Qui Deum sese (scelus ò nefandum!)

Ore blasphemò malè nominavit

Tristephanus bos.

Ergo vos cordis gelidum timorem

Et graves curas penitus fugate.

Nesciat rugas caperata dudum

Frons quoque vestra.

Atque io pæan & io triumphe,

Non semel læta resonante fronte

*Osnaburgenses*, genus ò vetustum

*Saxonidarum.*

Principem vobis superi dedère

Qui Papæ larvas meritò perosus

Impios ritus abolere templis

Pergit ubique.

Et sacerdotum removet prophanas

Pinguium Missas referens Sinaxin

Integram plebi Monachorum dira

Vota rescindens.



Accidit autem quorundam opera Pontificiorum, ut *Colonia* per *Bernhardum Lingium* cuderetur aliud Sapphicum, quod sub pasquilli nomine apponebatur postea Anno 1544. *Wilhelmi* carminai, cujus pars hæc erat.

Hæresi tandem pia mens repugnet  
Et preces fundat superis benignis,  
Quo sibi præsent subitum juvamen  
Auxiliumque.

Spernitur summus (scelus expiandum)  
Pontifex Christi simul & decorus  
Ordo jam Cleri quatitur maligni  
Dæmonis astu.

*Osnaburgenses*, populus celebris  
Obsecro, quis vos furor occupavit,  
Ut fidem vaftris habeatis ullam  
Vulpibus istis.

Ante doctrina, pietate, vita  
Moribus claros habuistis andros  
Pro quibus regnat modo nescio quis  
*Bunnus & Hunnus.*

*Hunnus & Bunnus* similesque pestes  
*Osnaburgensi* dominantur urbi,  
Quicquid illorum voluit cupido  
Confit ubique.

Hi suis technis variaque fraude  
Præulem, sicut perhibent, edocui  
Impetraverunt, sererent ut illi  
Dogmata falsa.

Ut pios ritus simul abrogarent  
Et sacerdotum sacra præpedirent  
Utque dejectum monumenta patrum  
Funditus irent.

Principis munus fuerat tueri  
Fortiter Clerum furiis repulsis,  
Hic tamen primus labefactat omnem  
Religionem.

O fames auri satiata nunquam!

Ffff fff 2

Au.



Autor est quanti sceleris malique  
Præda fit quicquid pietas avorum

Contulit unquam; &c.

Sed mox elegiaco versu respondit pasquillo *Wilhelmo*, & cum videret notari per *Hunnum*, *Conradum Eckendorpium*, defendit utriusque innocentiam. Volumus quoque ex eo partem audire.

Hac (scilicet doctrina Evangelii) tu perpetuo vives, animose  
*Luthere*,

Hac manet ingenium docte *Philippe* tuum.

*Bonnus*, *Conradus* vivunt tibi *Christe* perennem

Vitam, dum præceps impia turba ruit. &c.

Habet nunc lector, causam, cur adeo odio arderent adversus *Wilhelmum*: itaque tunc, dum viderent, per *Cælorem* & *Papam* sibi suæque impietati januam apertam, scripserunt minaciter admodum ad Episcopum (quarum autor erat *Wilhelmus Nossionis*, bal-latus vel Italicus Doctor tunc Syndicus Capituli, qui postea quoque *Rostochii* turbas dedit) Cathedrales Canonici Anno 1548 die Jovis post Quasimodogeniti Dominicam: & inter alia hæc erant ipsorum verba: Wir haben E. S. G. um Abschaffung desseligen (*Wilhelmi*) wö-len anrufen / welches wir hiemit gnugsam wollen gerhan haben / und die das / also nachmahls wir unverhort leben / will uns wiederum die hohe Wö-dringer anzuruffen / die uns helfen werden / auch das zu thun mächtig seyn / wiewol wir das ungeru (kennen G. Ott) thäten / zu Vollführung dambel-selbigen müssen wir die lieben Carmina (*Wilhelmi*) und die axiomata des Pasquillum (de quo postea) und Extract der Kloster-Schult Dofflin an den Ort bringen / da wir Trosts und Hülffe zu gewarten / da wir in Schutz und Schirm beyde empfangen sind / &c. Ex his & similibus verbis truculentus pontificiorum animus & superba audacia colligi potest. His literis acceptus præsul *Franciscus* percussus (etiam *Wilhelmus* usus fuisset aulico concionatore per aliquot annos) scripsit sermo-natui, ut *Wilhelmum* statim illo ipso die dimitterent & ex urbe deponerent. Sic tandem subito ejectus est & mox abiit *Stadam*, ubi contigit ei conditio, ex qua translatus est *Lüneburgam* ad ministerium in æde *D. Johannis*, quod cum per annos 12. administrasset fideliter, in Christo obdormivit placidè anno 1564. 15. Martii.

*Johannes Wernekingius*, collega in prædicatione Evangelii *Eckendorpio* & deinde *Wilhelmo*, aliquamdiu privatim *Osnaburgæ* vixit & ex-



schola Germanica victum quasivit, donec tandem in ditione ruralem pastoratum susceperet administrandum, ubi in religione neutralitatem exercuit.

Quod ad *Catharinianam* Ecclesiam attinebat tempore Interim, ex ea qua expulsus est celebris pœta *Johannes Pollius*, & hanc non sine discrimine deserere bonus senex est coactus, discedens ad pristinum hospitium *Rheda* sub Comite *Tecklenburgico* revertitur. *Abekingus* antea in ditione conditionem acceperat ruri *Oliverius* mansit in urbe privatim vivens ut valetudinarius.

### Quid sub ista mutatione acciderit passim in templis.

**V**Ocatus est ad *Catharinianam* parochiam *Henricus Horstmarus*, qui mox ad *Johannitas* transfertur, & cum aliquamdiu, isto discedente, clausa esset *Cathariniana* parochia, venit eò quidam *Gerhardus N* qui mox quoque transfertur ad parochiam ruralem in *Dissen*. Cum verò per annum fere templum esset denuo occlusum, nec concio fieret ibi, est tandem hoc longa Parochianorum supplicatione & Senatus intercessione impetratum, ut in eo templo tunc per semestre doceret Anno 1551. *Oliverius Marschius Frandius*, vir pius & doctus, sed impar labori propter malam valetudinem. In aede *D. Virginis* constituebatur ab Episcopo *Paderbornensi Remberto à Kersbrock*, pastore pontificio istius parochiæ sacrificulus quidam *crassus* & papista magnus, qui papistica sacra renovavit, & voluit ibi reparare omnia impia, docuitque multa de circuitu, de aqua lustrali & aliis nugis, sed cum cognosceret, se à civibus contemni, & vix se concionantem decem habere auditores in tam ampla parochia videret, pertœsus raritatis auditorum discessit suscipiens conditionem in amplo pago *Monasteriensis* ditionis *Greven*. Vacante ita illa parochia prædicavit ibi quoque per aliquot menses *Theodoricus Lilius Monachus Iburgicus*, donec tandem in ista parochia *Otto Willenius Wideburgensis* constitueretur Pastor. Tunc quoque tam *Monachorum* quam *Monialium* in ditione receperunt papisticam impietatem: & horribilis illa idololatria in *Monasterio Rulle*, quæ antea abolita erat, cœpit instaurari, ubi homines in die *Philippi & Jacobi* quærunt quem vel cujus sanguinem. *Monasteria* in urbe manserunt vacua, excepto uno *Dominicano*.



## DE RESTAURATIS ECCLESIIS

post Interim in urbe *Osnaburgensi*, &c.

**C**um *Otto Willenius* doctrinam Evangelii lento gradu pedentim introduceret in suam Ecclesiam *D. Virginis* & inciperet eam restaurare juxta puriorem religionem sacra, idque tunc quoque tentaret *Oliverius Marschius* in æde *Cathariniana*, accidit tandem, ut *Pollius* permittente Episcopo *Francisco* ex intercessione diligenti Senatus (cujus tunc adhuc ductor erat *Henricus Storkius* Consul & deinde *Jodocus Rolandus* Doctor V. I. alter Consul, *Balthasar à Stevort*, *Ludolphus* ab *Horsten* Senatores & Quæstores, quibus accessit Senex & vetus Consul suo suffragio *Jodocus Barnesfur*, stemmate nobilis) revocaretur *Rheda* ad nuper desertum suum pastoratum in urbem *Osnaburgam* tertio. Quoniam *Oliverius* propter tenuem valetudinem non potuit provinciam administrare, qui post illud tempus etiam vix biennio elapso vita functus est, deinde anno 1553, venit *Osnaburgam* *Johannes Olshovius* (qui propter veritatis confessionem deleverat *Ortmarschianam* Ecclesiam, & se in exilium voluntariam conjecerat) is promotione *Satii Rodii*, tunc urbis Secretarii, suscipitur in Sacellanum & ministrum Evangelii apud *D. Virginem*, & cum quoque *Pollius* senex peteret similiter collegam, concedentibus parochianis *Olshovius* evocat quendam suorum collegarum *Andream Kronebeck*, nomine ex Ecclesia *Ortmarschiana*, qui veniens *Osnaburgam*, suscipitur in Sacellanum & ministrum ad *D. Catharinam*. Isti igitur quatuor per annos novem reedificaverunt piis concionibus collapsam sub Interim Ecclesiam, & pie administrarunt mysteria Christi.

Moritur autem *Johannes Pollius*, vir variis exagitatus exiliis, & ter ex urbe *Osnaburga* propter doctrinam Evangelii ejectus, jam in extremo senio placide in Christo Anno 62, qui moriturus commendaverat suas oves *M. Christiano Schleibingio*, quem etiam more *Epitaphii*, qui moriturus *Augustinum*, & ipsius *Augustini*, qui sub finem vite *Eradium* nominavit successorem, expectaverat sibi successorem dari: Extant ejus carmina doctissima de tribus monstris Ecclesiam vastantibus, de gratia, fide, spe & charitate, de jejunio & procerumque cruce, epigrammata ad varios varia, Epitome rerum mirabilium. Ecclesiastomoria digesta quatuor sermonibus.

Successit aliquamdiu *Christianus Pollio*, postea conquirens, &



emeritum esse militem, nimisque graves esse labores, tandem eo res est deducta à magistratu, ut quidam *Wilhelmus Vossius* Sacellanus summi templi, (qui amabat quidem Evangelium, & moderatè & testè illud in summo templo propagabat, sed propterea tunc inde dimissus erat, quod Nonnam Vestalem ex vicino virginum Nobilium Monasterio duxisset uxorem) vocaretur in Ecclesiasten *Catharinianum* Anno 1546. *Christianus* vero constitueretur Superintendens Ecclesiæ Evangelicæ. Autores præcipui hujus rei de Christiano evehendo erat *Ludolphus ab Horsten*, Consul, *Rodolphus Hamakerus*, Senator & Quæstor urbis, atque deinde Secretarius, simulq; Senator, *Christophorus Gerenberg*, viri equidem prudentes, pii & boni. Iste ordo aliquamdiu vixit in inçlytæ *Osnaburgensis* urbis Ecclesiis Evangelicis. Docebant enim ita in æde D. Virginis *Otto Willeinius* & *Johannes Olthoff*; in æde D. Catharinæ, *Wilhelmus Vossius* & *Andreas Kronebeck* aliquamdiu.

DE CERTAMINIBUS SUB RESTAURATIONE,  
vel restauratis à tempore Interim Ecclesiis,  
*Osnaburgæ* obortis.

Vivente *Pollio* nulla ferè inter ministros erant certamina, nisi quod interdum se graviter opponeret Papistis *Olthofus*, ut jam antea dictum est. Interim fuit cujusdam Senatoris filia virgo, quæ ex zelo quodam urgebat immersionem in baptismo tanquam necessariam, (quam etiam urgebant Anabaptistæ, ut videmus in confessione eorum edita Anno 1533. die 8. Novembris *Monasterii*.) & videbatur cum illa aliquantulum connivere Dominus *Pollius*, magni faciens antiquam illam consuetudinem immersionis, quæ Ecclesiæ olim fuit usitata, quamque mihi diceret Anno 1523. (quo tempore oriebatur controversia,) se quidem veterem consuetudinem in immergendis baptizandis laudare, interim intinctionem non repudiare. Ipsa vero fidens autoritate *Pollii*, quæ modestis verbis dimiserat virginem, valde urgebat immersionem, sed hanc tamen in gratiam illius puellæ, (quæ erat ex divite familia progenita, ideo etiam generi & propinquis fidebat) ad damnationem intinctionis, noluit baptismo adhibere vir gravis & constans, *Olthovius*, qui D. *Joachimum Westphalum* & me super hac re consuluit. Nos quidem respondimus, utramque consuetudinem, & intinctionis & im-



merfionis, fuisse veteri Ecclesiæ usitatam. *Cyprianum* enim asper-  
 sionem vel intinctionem defendisse & retinuisse. Satis esse, si aqua  
 adesset, non requiri quantitatem aquæ, alioqui & quantitatem ali-  
 quam panis & vini requiri debere in Sacramento altaris, scilicet  
 tantam, quanta ad saturitatem sufficeret propter mysterium. Atque  
 sane verum est, Christum non præcepisse de tingendi, mundandi  
 seu madefaciendi modo, neque explicuisse corpus, ne totum an-  
 ipsius partem abluere vellet. Jam verò ibi satis esse, si adesset panis  
 & vinum, ita & hic sufficere, si aqua adesset, quia Petrus uno die  
 tria hominum millia baptizans non potuit immergere illos. Asper-  
 sionem quoque optimè convenire figuræ legis, qua populus lan-  
 guinis aspersione sanctificabatur, qua in re typus erat ejus munda-  
 tionis, quæ est in sanguine Christi, scripsimus. Et *Emmachi* Actor. 8.  
 dixit ad *Philippum*, en aqua est. Veteres patres dixerunt, duo Ec-  
 clesiæ Sacramenta ex latere Christi effluxisse, ubi per sanguinem  
 Eucharistia, per aquam Baptismus est significatus. Adde, quod  
*Johannes* dicat, Christum venisse per aquam & sanguinem, & ve-  
 luti tres in cælo testimonium ferunt, ita tres in terra, Spiritus, aqua,  
 sanguis. Item: Nisi quis ex aqua & Spiritu Sancto renatus sit, &c.  
 Censebamus igitur ex istis & aliis testimoniis colligi posse, satis esse,  
 aquam adesse, sive illa aspergerentur, sive immergerentur bap-  
 tizandi, quia usus iste, teste *Gregorio*, est indifferens. Vis mundandi  
 animas non proficiscitur ex aqua: ideo perinde est, sive totum cor-  
 pus, sive pars aliqua, ut caput abluatur sive tingatur. Satis est, si  
 observetur spiritualis Baptismi significatio. Verbum autem baptizo  
 non significare, totum hominem immergere, patet ex aliis scriptu-  
 ræ locis, ubi baptizo pro ablutione manuum ponitur. Nam *Matth. 7.*  
 cum dicatur Phariseos & Judæos crebro lavare manus, tandem  
 subditur, à foro venientes nisi loti fuerint, non edunt, ibi verbum  
*βαπτίζω* habetur, quod etiam retinet vetus interpres, nisi bap-  
 tizentur. Sic legitur *Luc. 2.* quod mirabatur Phariseus, quod ille  
 totum non abluisset, ibi quoque idem verbum ponitur *βαπτίζω*, ubi  
 vetus interpres sic habet, quod non baptizatus esset.

Cum autem *Johannes Olthovius* fidelis minister permaneret con-  
 stans in sua, quæ est Ecclesiæ, sententia, nec vellet cedere virginis jam  
 nostra sententia roboratus & munitus, tandem illa jussu fratrum &  
 cognatorum (qui certiores erant facti de contraria doctorum sen-  
 tentia)



tentia & aliter instructi) cessit, nec amplius suam opinionem defendit. Nunc vero ipsa nupsit Senatori cuidam & ipsius pietas à quibusdam celebratur, atque credo istam foeminam zelo ductam esse.

Circa annum 1560. cœperunt quidam peregrini Anabaptisticam Sectam renovare, quibus se adjunxerat quidam *Petrus N.* ex Synergis scholæ majoris Ecclesiæ: Is cum se apud *Rectorem Christianum Schleibingium* aliqua ex parte declarasset, refutatur graviter, & deinde re aperta cum peregrinis urbe ejicitur.

Anno 1562. venit in urbem quidam cœcus nomine *Simon Moller Nürenbergensis* (quanquam alii ipsum ex *Hassia* alii ex ditione *Moguntina* natum esse hominem dicerent) qui apud fontem *Pirmon-tanum* exorcistam primò, & deinde per totam *Westphaliam* exercue-rat (quam artem, ut mihi dixit, didicerat ab *Hermanno*, Pastore in *Solt-koten*) ibique ut antea *Hervordia* & alibi per *Westphaliam*, magno cum applausu vulgi (quia ubique tanquam numen suscipiebatur & mag-nis donabatur muneribus, cœpit Exorcismos & suas in dæmones exe-rationes atque dejuraciones exercere, atque tandem permittente fe-natu ibi sedes figere. Etsi antea nemo volebat hoc concedere cœco ar-delioni, ipseque jam à quibusdam locis esset examinatus & impiæ sententiæ damnatus (quoniam à me & *Gerhardo Cotio* & *Johanne Wil-helmo*, concionatoribus, jussu Comitum de *Lippia*, interrogatus de sua fide Anno 1559 & cujus autoritate id sibi munus sumeret, nihil habuit, quod responderet, nisi planè absurda & inepta) atque locis & ditionibus quibusdam exclusus esset, tamen *Osnaburge* habuit locum & sedes, & inde excurrit in vicinas regiones, magnamque exorcismis pecuniam si-bi collegit: ubi initio multis ex plebe, imò quibusdam etiam ex præci-puis erat admirationi, & magna quoque pompa ibi artem suam exer-cuerat, ideo & in eo loco & *Hervordia* & *Hammona* alibique turmatim ad ipsum deferebant munera homines. Verum concionatores qui-dem restiterunt ei, & prohibuerunt, ne istam suam artem usurparet, sed non satis severè reprehenderunt. Quare suasu meo & nostrorum collegarum sumsit sibi refutandam horribilem superstitionem cœci, quam oculis ipse aliquoties conspexerat meus confrater, *Jodocus Hocker Osnaburgensis*, Pastor tunc apud nos *Lemgovia* ad *S. Johannem*, vir literis & lectione celebris diligentiaque sedulus, ad quod opus perficiendum ego ipsi libros, argumenta & testimonia suppeditabam. Huic refu-tationi indidit nomen *den Wann-Teufel*, atque scriptum istud edidit,

Gggg ggg

ut



ut omnibus impietas, indecori mores, impia forma illius & aliorum Exorcistarum fieret conspicua. In eo autem libro peripicue ostendit ex scriptura & Doctorum veterum recentiumque testimoniis, auli licere sibi munus Exorcismi sumere, tantum precibus pro obsessis orandum esse, & nihil amplius adhibendum. Postquam vero inscripserat Tractatum Senatui *Osnaburgensi*, & eum monuerat *Hockerus* (qui hodie est in Domino mortuus) coeperunt ipsi ex isto libello demum hominis impietatem cognoscere, & cogitare de illo ejiciendo. Verum dum in ista meditatione per id tempus versarentur, & antea torpentes illum tulerant, punitur Anno 1564. in Festo Bacchanaliorum per propriam conjugem caecus, quae ipsum sub vesperam multam, in tabula ducit, sub praetextu quodam, & sic ipsum praecipitat in terram, à conspicuis ad hoc facinus commota diabolis ei sub monachi habitu apparentibus, eamque vi concitantibus (ut ipsa in tormentis erat confessa) quia post praecipitatum virum subito quasi volando descendens, amputat eidem suo viro ita praecipitato caput & alterum brachium, & igni comburendum tradidit. Ex interpestivo illo odore vicini & vigiles excitati & commoti cognoverunt horribile latrocinium: Ita illa à magistratu capta & supplicio debito, hoc est rota & igne, punita est. Cadaver autem reliquum, sive truncum mariti & illius caeci, interea dum caput igni tradit cum brachio, domesticus canis rodendo commaculaverat ac aliquid in collo laceraverat. Omnia haec caeco acciderant, quae *Casparus Biber* ante annum adhuc vivus praedixerat, ajens, tibi, qui non recto cedis cursu, hoc aliquando contiget, ut foemina te occidat, & canis sanguinem tuum lingat. Sic solet Deus horribili judicio punire, ubi videtur magistratus esse segnior. Misero autem illi tunc reperderunt diaboli, in quos sibi citra & extra vocationem suam remane imperium sumserat, velut accidit filiis Scenae Judaei.

Nec tacendum est, quod similitas ibi orta sit inter Evangelicos concionatores aliquoties, Anno 1565. de re Sacramentaria. Nam cum *Wilhelmus Vossius* propter eloquium & grandiloquentiam magis quam propter doctrinam plurimos haberet auditores, & multis gratum sequi, praesertim iis, qui videbantur *Hardenbergii* Doctoris dogmata consona suae opinioni dixerat in privatis colloquiis, en his cogit admonet ipsum Superintendens *Christianus*, ut in hac re se declarare



ret, quid sentiret de dogmate *Cingliano*, is ibi quidem respondet, se idem cum reliquis sentire, verum eo die, quando de isto Sacramento verba facienda erant, non se declarârat coram plebe, sed rem in dubio reliquerat, dicens: *Lutherus & Cinglius* hic dissentiunt. *Lutherus* docet, corpus & sanguinem Christi corporaliter sumi in cœna, *Cinglius* spiritualiter. Meam autem sententiam de ista controversia vix quatuordecim concionibus declarare possem, &c. Hinc magis Superintendenti & reliquis suspectus factus est. Cum etiam plerique in Senatu aliquid peregrini de ejus sententia ofefacerent, jusserat primarius Consul, optimè cupiens patriæ & religioni, *Ludolphus ab Horsten*, paulò ante obitum suum (quod etiam ante mortem suam Secretarius *Christopherus Gerenberg* suaserat, qui non sine jactura Republicæ religionis veræ & deinde omnium piorum & studiosorum, quibus erat patronus, mortuus est) superattendenti & reliquis conscribere confessionem ad retinendam concordiam, cui singuli subscriberent: Quod quidem cum fieret, *Wilhelmus* adhuc subscribere recusavit, & in præsentia fratrum prodiderat indicis certis, se non esse alienum à Sacramentariorum opinione. Summa autem confessionis istius hæc erat, quod verè & essentialiter corpus Christi & sanguis ejus cum pane & vino à sumentibus, tam indignis quam dignis, in cœna corporis ore sumeretur, & aliter sentientes improbandos, &c. Reliqui omnes lati subscripserunt, ille vero recusavit, hoc prætextu, quia alii dicerent, confessionem istam Senatus jussu conscriptam esse, quapropter se quoque non subscripturum, nisi de mandato Senatus. Confidebat enim, se præcipuos quosque sibi applaudentes habere. Cum alii concionatores à me *Hamelmanno* peterent circa Festum Pentecostes in patria agente, ut ego ipsum convenirem, ac amicè cum eo conferrem de toto negotio, præsertim, postquam ipse aliquando expetivisset mecum colloqui, feci ego quidem id libenter, & verbis & postea scriptis hominem satis adhuc dubium in ista controversia & ætate juvenem, admonui, ut cogitaret de pace & concordia in ministerio retinenda, propter adversario-papistas, ne illis occasio calumniandi daretur, deinde etiam propter Epicuræos & Anabaptistas clancularios, imprimis autem ut nunc cogitaret, quomodo in aliis suis collegis traduceretur ministerium. Itaque me per Christum illum admonere ut velit subscribere & suo Superintendenti exigenti rationem fidei ab eo, juxta dictum *Petri*, qui etiam vult sem-



per cuius petenti, non denegandam rationem nostræ confessionis, gratificari. Si vero quædam adhuc desideraret in confessione, me sibi consulturum, si illud apperiret meumque consilium peteret. Cum autem essentialiter vocem, & quod ore corporis tam digni quam indigni sumerent, assequi non posset, dixi ad ista Adverbia, vere & substantialiter in *Augustana* confessione & Apologia haberi, & in Apologia quoque corporalem probari præsentiam corporis Christi in cœna ex veteribus & ex Græca & Latina Ecclesia, & plerosque patres vocibus ferè & corporaliter usos in hoc negotio, quosdam autem explicitè asseruisse, ut *Leonem*, *Gregorium Bernhardum*, corpus Christi ore sumi. *Augustinum* vero, *Chrysostomum*, *Theophylactum* & alios dixisse, hoc sumi in pane, quod pependit in cruce, hoc in calice, quod fluxerat de latere Christi: & ne longior essem, talia quoque reperiri multa ex patribus prolata in scripto *Kemnitii*: quod si maximè nova essent, etiam à nostris excogitata vocabula, vere, substantialiter, essentialiter, tamen ista ferenda (ut olim vocem *quosdam* propter hæreticos in Ecclesia retinuerunt, ad significationem, expressionem rei præsentis. Quod ad communicationem indignorum attinet, dixi, *Paulum* scribere, eos sibi iudicium manducare & bibere, non dijudicantes corpus Domini, quomodo eam id fieri posset, ut corpus Domini dijudicaret & discerneret, nisi non esset præsens? deinde ex *Luca 22* Capite fieri conspicuum *Judam* interfuisse cœnæ, quod etiam *Augustinus*, *Chrysostomus*, *Theodoretus* aliique patres in multis locis tradunt aperte & perspicue, &c. Hic respondet ille, interim alios aliter tradere & de ista controversia de de tota actione, respondi. *Hilarium* videtur conjecturis probare velle, *Judam* non adfuisse, quem etiam sequitur *Ruperius*, *Abbas Tarentensis*, alioqui neminem scio ex veris patribus, qui hoc asserat. Quod ad totam actionem attinet, scio, nullum veterem patrem ita locutum esse, non est corpus Christi in cœna, non ore sumitur, &c. *Leo Iranicus*, *Cyrillus*, & multi alii docent expressam corporis & sanguinis Christi præsentiam in cœna. *Justinus* autem, *Cyprianus*, *Ambrsims*, *Augustinus*, *Chrysostomus*, *Theodoretus*, *Gelasius*, *Leo papa*, & *Enthymius* motum præsentiae corporis Christi in cœna nominatim exemplo copulationis duarum in Christo naturarum declarant & docent, videlicet utrumque & signum, id est panem & vinum, & mysterium, hoc est, corpus & sanguinem Christi simul adesse & ex.



exhiberi verè, sicut in Christi persona duæ naturæ, divina & humana simul unitæ sunt, &c. Hactenus quæ ego cum ipso egi.

Antea quoque ego & *Jodocus Hockerius*, meus tunc collega fidelissimus, piè memoriæ scripseramus jussu reverendorum & clarissimorum Episcoporum Ecclesiæ *Brunsvicensis*, *Doctore Joachimi Morlini* & ejus coadjutoris, *M. Martini Kemniti*, ad Senatum *Osnaburgensem*, monentes eum, ut in tempore istius controversiæ mederetur, ne simile malum illis, quod *Bremensibus*, contingeret. Si vero res ibi non posset componi, satius esse, utriusque partis confessionem exigi, & ad *Rosochianos* Theologos mitti, ut de ista pronunciarent, quam in utramque aurem dormire. Hanc nostram admonitionem plerumque in Senatu indignè acceperant, præsertim *Consul Ericovinus Dumstorp* & alii rudiores, & ipse *Wilhelmus* miserè flagellaverat eam. Cum autem reliqui concionatores multoties monendo & precibus urgerent Senatum pro æqua audiciã, ut tandem vel cogerent *Wilhelmum* ad subscriptionem, vel de negotio controversiæ pronunciarent, sive de Ecclesiæ concordia quærenda & constituenda cogitarent diligenter, sunt demum illi 20. Julii, qui fuit dies Veneris ante Festum *Jacobi* Anno 1565. in curiam vocati, ubi Dominus Superintendens, *M. Christianus Sleibingius*, coram Senatu & utriusque lateris tribunitia potestate quinque causas retulit, cur confessionem conscripissent ipse & concionatores reliqui, & inter alias illam, quod jussi essent à *Consule, Ludolpho ab Horsten* defuncto conscribere talem confessionem, adjuncta etiam ista conquestione, quod iniquè admodum à plebe esset ista confessio excepta, & reliqui ministri miserè traducti, & postquam hæc & hujusmodi alia multa dixerat, tamen non potuit cum collegis impetrare, ne vel *Wilhelmus* exciperet contra exhibitam à reliquis confessionem, aut subscriberet. Quæcunque dicebantur in isto consensu senatorio, videbantur, ut audio, quasi surdo fabulæ narrarentur. Quia ut ante reliquos concionatores erat vocatus *Wilhelmus*, ita pro illo novicio suffragia emissa erant & pronunciaverant fere omnes senatores contra alios suos Doctores, qui per tot annos inculpatè Ecclesiis præfuerant. Id ajunt, instinctu quorundam actum fuisse, non tamen statim, sed postmodum *Wilhelmum* acerrimè admonuissent, ne quid novi tentaret, & ut à Suermerorum contagio quam alienissimum se servaret. Cum verò is ab aliorum confessione provocaret ad *Augustanam*, magistratus discrimen



men istius ab illa percunctatus, tandem tale responsum à bono viro acceperat, se non consentire in illam doctrinam, dignos pariter & indignos manducare corpus Domini & sanguinem bibere. Hoc cum subodorati essent alii, facilis ipsis erat responso, qui deinde petebant, ut Senatus diligenter consideraret, quo se in varias formas transformaret ac *Polybi* mentem obtineret, quoniam nobis (ajunt) in colloquio presentibus damnavit illas phrasas realiter & essentialiter, imprimis corporalem oris manducationem, nunc vero dicit de indignis non sumentibus corpus Christi. Sed frustra hæc dicebantur. Tantum hoc est effectum, ut diu multumque coactus *Wilhelmus*, tandem jussu Magistratus subscriberet *Augustana* confessioni. Hic quidem intulerunt cæteri istam confessionem sibi quidem satisfacere, nec damnaturos esse *Wilhelmi* subscriptionem, si non aliquid dolo fieret. Ipsi enim antesignanum *Wolfgangum Mulsium* etiam isti confessioni *Witeberga* & *Augusta* subscripsisse, & tamen postea se excusasse ac dixisse suis Helvetiis, apud quos *Berna* hospitium usque ad finem vitæ habuit, posse illam confessionem etiam in *Zwinglianorum* dogma flecti. Scribit quoque *Bucerus*, quod *Zwinglius* non improbasset istam confessionem. Et idem facio, hodie *Paltzgravius* Theologi, & fecit *Albertus Harrenbergius* *Brema*. Tales enim subscriptiones suspectis hominibus factæ, sunt cochurni. Hæc & alia cum in multas horas tractata essent, tandem Senatus concluderat *Wilhelmum* isto temporis articulo non debere onerari ultra *Augustanam* confessionem, se tamen in posterum latius super hac deliberaturum &c. Etsi debuissent *Smalkaldici* articuli adhiberi celebriores Doctores Ecclesiarum consuli, tamen hunc ita tolerunt, & postea aliquamdiu ferebant, qui contra *Lutheri* & *Saxoniarum* Ecclesiarum consensum sæpe docuit, videlicet non sumere corpus Christi indignos, qui quoque publicè aliquando docuit, Evangelia Domini nicalia propterea abroganda, quod omnis doctrina sit ad nostram doctrinam scripta, quasi vero ea ratione non esset aliqua certa Evangelii pars prælegenda, nisi forte vellet ille grandiloquus homo uno tempore tota Biblia proponere. Hoc tamen scio, quod præcipui in Senatu non intellexerint negotium & optimi quique non sunt Sacramentariis addicti, tantum quod aliorum vel persuasionibus, vel carnali amore in *Wilhelmum* nimium fuerint rapti. Graviter protestatus erat, ut fama refert, novus Consul, *Rodolphus Hammaerus* de hæc



re & monuerat alios, nequid temere tentaretur, sed ut integritas doctrinæ seruari posset, & nihil Sacramentariæ fecis susceperetur. Recte optimus vir, doctrina & iudicio eximius, sensit, quem Dominus Iesus in sincera fide suæ patriæ seruet incolumem. Quæsierat etiam novus Secretarius, *Georgius Lengerking*, vir doctus & sagax, an liber *Augustana* confessionis, quem *Wilhelmus* obtulit, suspectus esset, qui cum aliis, *Wineberga* editis, collatus esset, depravatus reperitur coram Senatu. Sic enim ab aliis audio.

Postquam vero ante istum diem videret *Christianus Schleibingius* ex suffragiis publicis pronunciatum iri pro *Wilhelmo*, & se frustra Superintendentem agere, libere renunciaverat certis de causis concredutum munus Senatui, qui hoc ei invito fere superiori anno, imposuerat magnis persuasionibus & negotiis, nunc vero propter *Wilhelmum*, cui adeo addicti erant omnes fere, renunciationem benevolè susceperant à Domino *Christiano* autore potissimum Consule *Dumstorphio*, &c. Sed etiam Domini Superintendentis renuntiationem moleste tulerunt alii, & propterea valde turbati sunt.

Hoc ego & concionatoribus antea de *Wilhelmo* prædixeram, & per id tempus verbis & literis significaveram futurum, cum primo ex papatu ille *Wilhelmus* ad pastorem *Catharinianum* transferretur, quia semper videbatur mihi ex certis indicibus suspectus, adde, quod *M. Iohannes Sum*, tunc in patria *Osnaburga* agens, post suam, ex *Bremensi* Ecclesia per seditiosos Sacramentarios factam ejectionem, idem ex primis istius *Wilhelmi* concionibus animadverterat, videlicet, ipsum esse Sacramentarium, itaque illum ad colloquium provocaverat aliquoties, sed ille venire recusaverat, &c. Ego post illum susceptum publico etiam scripto omnes ministros Evangelii & imprimis Superintendentem monui, ut sibi ab illa Secta Sacramentarium, quæ ex *Bremensi* urbe ad ipsos facile promanare posset, caverent, ne in suam urbem irreperet, sperans ego, hoc pacto me mea cautione aliquid effecturum, &c. Quid tunc futurum erat, adhuc ignorabam, interim semper verebar, *Wilhelmum Vossium* (vulpem,) aliquid mali adhuc esse daturum patriæ nostræ, nisi ageret pœnitentiam. Interim sæpe optavi & petii meis gemitibus, ut converteret Dominus Iesus ipsum, & ad sanio rem mentem reduceret, ut in dulci fratrum concordia pie viveret semper & pure doceret. Sed eventus postea diversum docuit. Precor etiamnum hodie patrem Domini nostri Iesu Christi,

ut



ut in vera doctrina illustrem nostram patriam conseruet. Amen. Nam & antea saepe se declarabat hostem *Lutheri* & simul pollicetur. Quomodo verò id antea fecerit, uno declarabo exemplo. *Willelmus* aliquando, audiente hæc *M. Johanne Sum* & Doctore utriusque Juris, *Rodolpho Vogelero*, in explicatione Epistolæ ad Rom. pro concione publica dixerat (prout exceperat verbatim *Sum* calamo ex ipsius ore) de *Luthero* & *Erasmio*. *Wider Lutherum* hat ein ander geschriben/ *Erasmus*, vom freyen Willen/ und ist die Schrifft/ die er eingekuntt nicht in der Ordnunge/ und haben *Erasmus* und *Lutherus* aus Haß und Neid gegen einander geschriben/ und sich nicht wollen verstehen/ der eine hat vom freyen Willen geschriben/ der für der Wiedergeburt gewesen/ der ander von seinem freyen Willen/ der nach der Wiedergeburt. Tam bene sensit de *Luthero*, quid inde colligendum sit, doctioribus & piis in nostra patria relinquo judicandum, cum nos talem habeamus *Lutherum*, qui omnibus patribus, nedum *Erasmio*, præferri debeat, &c. Domine Jesu, tu hominem temerarium converte, Amen, Amen. Quomodo postea *Lutherum* in re Sacramentaria, & postremo in servato usu exorcismi circa baptismum contempserit & neglexerit, jam quoque dicam.

Postquam *Rodolphus Hammakerus*, Consul, eo remperduxisset cura quibusdam aliis piis Senatoribus & ad hoc flexisset animos multorum in senatu, ut in singula *Augustana* confessionis verba non solum sed etiam in dicta *Apologia* ejusdem & simul *Smalkaldicorum* atque confessionem juniorum *Saxonia* Ducum, qui sunt filii præstantissimi *Herrois Johannis Friderici*, Electoris & Martyris æterna memoria dignissimi, atque in articulos, de quibus deliberatio Theologorum ex *Saxonia* inferioris urbibus præcipuis ad hoc deputatorum facta est *Lüneburgæ* Anno 1561. in Julio mense, (sic enim opinor) consentirent & jurerent, & imprimis in istis prædictis scriptis sententiam & declarationem totam de cœna Domini se amplecti dicerent, quibus addita est Epistola *D. Martini Lutheri*, scripta ad *Francofortenses*, adderetque, *Willelmum Vossium* ab ista doctrina alienum esse ex titulo *Augustana* confessionis abuti, cogitatur igitur deinceps de faciendo Senatus consulto. Quare die 24. & 25. Januarii convocatur frequens in curiam & veteris & præparati Senatus ordo, una cum utriusque alæ de tribunitia potestate: ut per totum illud biduum disputatur de concordia in causa religionis & in controversia cœnæ constituenda, & de modo tollendi dissensionem.



tractatur etiam de sublatis & alio relatis imaginibus ex templo *Cathariniano*, in quo *Wilhelmus Vossius* docebat, tandem cum concordii suffragio post longam disputationem in prædicta scripta, & omnium istarum confessionum & scriptorum sententiam de Cœna Domini omnes consentirent & juvarent, (Hic sine dubio acriter expenderunt proceres vicinarum urbium, ut primò *Monasteriensis* deinde *Bremensis* mutationes, quæ ex controversiis religionis ortæ erant) itaque communi suffragio die 28<sup>a</sup> Januarii convocantur rursus omnes, qui paulo ante per totum biduum de toto negotio diu multumque deliberaverant, sed isti jam collecti, mox jubent sibi adesse concionatores, quibus præsentibus *Augustana* Confessio, Apologia ejusdem, *Smalkaldici* articuli: item Confessio juniorum Ducum *Saxonia & Lüneburgica* Synodi acta, & epistola *Lutheri* ad *Francofordenses* data, & mandatur concinatoribus, ut istis scriptis & confessionibus, præcipuè verò & nominatim in articulo de cœna Domini aperte subscribant. Has mox *Otto Willenius*, *Johannes Olshavius*, atque *Andreas Cronebeckius* (quia jam antea *Christianus Sleibingius* se abdicaverat ministerio) pias & *Christianas* (ex quibus dixerunt, suam jam antea confessionem de cœna Domini translata & prolata esse) agnoscunt & læti & sine mora libenter subscribunt. Solus *Wilhelmus Vossius*, qui vulpis nomen habet, tergiversatus est, ac cum instanti magistratui pluribus se opposuisset, tandem ingenuè dixit, se ex animo & illæsa conscientia subscribere non posse. Senatus post tres deliberationes (ad quarum singulas tamen revocatus est *Vossius*, ac ab eo, an mutaverit contumaciam, quæritur) necessitate adductus *Guilhelmum* ministerio Ecclesiastico privat ac munere concinatorio interdicit: Deinde jubetur insuper tertio die exire urbe. Hac lata sententia *Wilhelmus Vossius* animo turbato domum repetit, ac instar male affecti nec bene sani in ædibus suis inque horto aberrat, neque uxoris, neque ullius admonitionibus obtemperat. Cum autem hujusmodi Senatus proscriptio è vestigio divulgata esset, tantasque ubique querelas, tantam mœstitiam, tam subitum ploratum & ejulatun inter omnes peperit, ut vix credi aut scribi possit. Nonnulli hic concionatores reliquos, alii capita Senatus, ubi tutum putant, multis diris execrationibus devovent. Curritur etiam catervatim ad ædes *Wilhelmi*, alii consolationis gratia, alii, ut munera adferant, quæ ad multos taleros & egregiam auri summam excedere dicunt.

Hhhh hhh

cun-



cuntur. Ibi plurimi optimum & præstantissimum virum *Confilent Rodolphum Hammakerum*, ut qui se satis strenuum in hac causa præbuerat; quanquam nihil aliud cordatus & literatus vir in ea re egerat, nisi quod officium & conscientia sua requirebat; gravibus de causis, temerè damnant. Quidam calumniati sunt *M. Christiaan Sleibingium*, quod is ad hanc rem *Hammakero* Consuli suadet fuisset, & quasi ipsius instinctu & consilio omnia facta essent. Cum vero Senatus videret, omnia spectare ad tumultum, ut se suosque tenerentur, partem *Sagittariorum* convocat, qui præter consuetos vigiles nocturnis horis excubias agerent. Tribuni quoque plebis tum cum ministris licitoribusque Senatus hostiatim obedientiam cum modestia singulis jussu Senatus mandant. Hac sunt isto die proscriptionis acta. Postera luce cives & Parochiani, numero ferme septingenti, ut fertur, in templo *D. Catharina* conveniunt, ubi post longam deliberationem viginti deliguntur præcipui viri, qui sequenti die apud Senatum & magistratum pro *Wilhelmo* nomine omnino intercederent. Qui tum quoque auditi à magistratu, adhuc *Wilhelmus Vosius* quatuor dierum spatium ea lege, ut vel istis finitis si non mutet sententiam, exeat urbem, aut communicato cum suis consilio subscribat articulis propositis & imperata faciat, impetrant: nec tamen eos legatos civium prius magistratus dimittit, nisi accuratè & penitus, quomodo & quid actum esset, cum *Wilhelmo* locuisset & ei demonstrasset, ne crederent, ei injuriam esse factam, quod mandavit ad suos deinceps deferri per istos. Quæ quidem res & exortatio multorum animos flexit, ut languidius negotium agerent, & de re illa desperarent, atque multi cogitare inceperunt, quid verus vespere in hoc negotio ferre posset. Cum igitur vulpecula *Wilhelmus* & sui complices nullam gratiam apud Senatum, ut mutaret decretum, si planè non mutaret, impetrare possunt, *Wilhelmus* 4 Februarii antea propositis confessionibus subscripsit tandem, de promissa in proxima Dominica publicè canturum palinodiam quod etiam fecit in Dominica Septuagesimæ coram plebe. Ita tum ibi videbatur ad concordiam spectare, quod lætus cognovit, & iterum oravit, ut autor veræ pacis, *Jesus Christus*, daret patris Ecclesiæ tranquillitatem perpetuam, Amen, & faceret, ut ex amicitia *Wilhelmus Vosius* subscripsisset, quia semper mihi suspectus erat, &



metuebam isti Ecclesiæ ab eo. Ideo cum ego postea essem in Dominica Cantate *Osnaburgæ*, audiui illum miris technis istam opinionem suam de locali sessione Christi ad dextram patris defendentem in explicatione Evangelii istius Dominicæ. Ego cum hominem admonerem per literas amicè, respondit quidem mihi nihil, sed aliis dixerat, se hoc non eo animo & sensu protulisse. Iterum ego optabam, ut Dominus Jesus faceret, ut esset *Wilhelmus* unum nobiscum in vera fidei confessione. Sed meus animus quod prælagiebat, tandem compertum est. Quoniam cum quidam peregrinus sese in urbem gessisset, & forte in susceptorem à quibusdam vocatus esset, improbavit is Exorcismum in Baptismo, propter quem *Andream Kronebeckium* in ipsa actione Baptismi reprehendit: istius mox partes defendendas suscepit in Quadragesima Anno 1567. *Wilhelmus Vossius* contra alios (fretus fortè vulgi & multorum ex primatibus suffragio, & gratia Episcopi, apud quem paulo ante gratiam aliquam invenerat & ei locutus erat) palam aliquoties docens contra Exorcismum damnansque nostras Ecclesias, ut eos, qui Exorcismum ferrent & probarent (de talium argumentis contra Exorcismum prolati diximus & tractavimus in secunda parte Historiæ Ecclesiasticæ renati & iterum turbati Evangelii in urbe *Antverpiensi* &c.) deinde opinionem Sacramentariam etiam in confessione curiculari multis dicebatur *Wilhelmus* inculcasse cum propter suum Chyrographum publicè non auderet quicquam tentare in ea controversia, mox opera piorum defertur hominis institutum & ad Episcopum & ad Senatorem. Jubet igitur Episcopus per literas, cum *Wilhelmus* aliena ab Ecclesiis sinceris *Augustana* Confessionis doceat, earumque ceremoniis & ritibus discedat damnando illas Ecclesias, & simul ea in re totam Ecclesiam Catholicam, dimitti istum *Wilhelmum Vossium*. Id ægre tulerunt quidam in senatu, imprimis Consul *Extorvinus Dumstorpius* (qui eo pertractus erat ad illam persuasionem à *Judice* urbis, viro alioqui literis & sapientia judicioque gravi *Johanne Vorkampio* & aliis) sed prudentia Consulis *Hammakeri*, Syndici Senatus L. L. Licentiatii *Johannis Snideri* & Secretarii *Georgii Lengerkeri*, item omnium fere præcipuorum Senatorum, Quæstorum & Capitem in Tribunitia potestate, eò iterum permotus Consul & ii qui contrarium sentiebant, & cum reliquis consentirent & de *Wilhelmo* dimittendo concluderent. Sic *Wilhelmus* dimittitur. Interim furit plebs & ve-



hementer offenduntur patroni *Wilhelmi*, qui volebat quoque *Adream*, collegam *Wilhelmi* amotum. Sed aliqui ex eis sunt parati a magistratu. Interea me *Hamelmannum* consulunt, quid potissimum facere deberent. Ego monui, petendum esse à nostris *Lemovicibus* *Wildebrandum Grothufium*, ut ille pro suo excellenti docendi dono ad tempus Ecclesiam turbatam ibi placaret. Is verò vocatus propter pestem, quæ ejus familiam tunc occupaverat, venire non potuit, ideo evocatur ex Comitatu *Hoyensi* *Dithmarus Timannus*, qui bonam operam in ea Ecclesia pristinae paci restituenda præstitit, & impetratus est in verum Pastorem per Senatum *Osnaburgensem* à generalibus Dominis Comitibus *Hoyensibus*, & is hodie succedit *Wilhelmo*, qui abiit *Wisebergam*. Multi verò ex plebe adeo per *Wilhelmum* de mentati maluerunt in summo templo audire concionantem Jesuitam, quam *Dithmarum*. Non dicam de controversia illa, quam ego & *Dithmarus Timannus*, Pastor in urbe ibidem habuimus cum *Georgio Rhegio*, puro Papista, propterea quod confessionem Ecclesie urbis *Antverpiensis*, Confessioni *Augustanae* addictæ, damnasset, sed ita effugia quæsitit homo miser, ut dictu mirum sit.

### DE SCHOLA PONTIFICIORUM,

tempore Interim erecta *Osnaburgæ*.

Cum Cathedrale Capitulum satis minaciter institisset, ut schola in cœnobio *Franciscano* abdicaretur, & illa de nova operiunda juxta antiquam *Caroli Magni* privilegium (quanquam ibi non habeatur, quod debeant Canonici in ea schola alere Lectores, ipsi interim otiosi essent ventres, sed ut ipsi essent Lectores & Professores) splendida verba facerent, abdicata est schola illa ipsi cui tunc præfuit *Henricus Sibaus Olphenius*; & isti ad novæ scholæ regimen opera sui officialis, *Francisci Dey Curthifani*, & *Coloniensis* Academia *Hubertum Brinckanerum*, hominem magnæ staturæ, sed qualiscunque eruditionis vocarunt. Hic cum adularetur *Carolo*, edito elencho istos magnis encomiis, præcipue verò *Hermannum Braviam*, *Scholasticum*, celebrabat, quod *Gymnasium* multum quidem Schismatum & Sectarum generibus oppressum restitueret conaretur. Hic cum in Grammaticas regulas peccasset, futurus interim magnus Rector, & flagellasset veros Ecclesie & scholæ Evangelicæ gubernatores Sectariorum & Schismaticorum nomine, prodit in illam



lum jocosus pasquillus hominis inscitiam eludens, & depingens factis falsè, in quo tale quoque exstabat argumentum. Si schola papistarum diu fuit oppressa multis Schismatum & Sectarum generibus, Ergo fuit schismatica & hæretica, & per consequens ipsi sunt hæretici, &c. Ita quoque legimus in vitis Romanorum Pontificum de Paschali Papa, quod *Bruno Sigvinus* Episcopus dixit, recte papam fecisse Paschalem, quod proprio ore privilegium, quod pravitatem & hæresin continet, damnaverit. Hinc mox alius quidam dixit ad eum: Si privilegium continet hæresin, ergo est hæreticus, qui istud fecit, notans ita Romanum Pontificem ut autorem ejus, &c.

Hujus pasquilli autorem faciebant Dumheri suis conjecturis, forsan ex instinctu Syndici *Wilhelmi Novesiani*, *Wilhelmum Santphurdium*, tunc Pastorem Marianum, qui antea scripserat carmina contra Papistas, unde colligebat illum jam quoque hujus autorem, & hinc majorem occasionem ipsum ejiciendi sumpserit, &c. quanquam re vera ab *Henrico Olphenso Sibao* profectus esset, qui etiam adjecerat pasquillo tabulam continentem ad hortatiunculam, qua monuit cives, ne permitterent, ut ipsorum filii, summi templi scholæ Magistris traderentur. Nam hoc pacto futurum esse, ut de novo quasi alteri *Moloch* immolarentur: atque istius tabulæ pasquillique meminerunt Dumheri in sua supplicatione. Cum vero tam crassos errores viderent Pontificii à suo novo Rectore commissos in primo Elencho, quasi rubore perfusi & diffidentes causæ, vocarunt isti in collegam *M. Bernhardum Lingium*, linguarum certè peritum, ut qui diu *Lovanii* versatus erat & per aliquot annos Professore Græcæ linguæ in Academia *Coloniensi* egerat, & tunc istam conditionem propter vitæ dissolutæ & æris alieni gravamen deferere cogebatur. Is igitur coepit pleraque in isto Elencho mutare, quædam etiam corrigere, & alia epistola, eaque eleganti & erudita, sub suo & *Brinckaneri* nomine edita, aureos montes polliceri, quos etiam prælectione sagacissima, ut qui feliciter docet, præstitisset, si præ voluptate studium, laborem & diligentiam felicissimo ingenio, cognitioni linguarum & maturioribus studiis paululum addidisset. Sed frustra isti duo hoc tentarunt, qui postea turpiter dimissi sunt. *Brinckanerus* regressus in patriam est, *Lingius* vero privatim aliquamdiu vixit *Osnaburga*, donec vocaretur Anno 80. in Conrectorem scholæ *Monasteriensis* ab *Hermanno Kersebrochio*, suo olim discipulo. *Lingius*, ut semper fuit



magnus Papista, sic olim *Bonne* anno 1543. adortus erat (ut mihi ipse *Melanchtron* retulit, quod etiam ipse *Lingius* non negavit) *Philippus Melanchtronem*, qua inquiens autoritate tu turbas cum locis tuis Ecclesiam & non potius acquiescis Ecclesie *Romane* statuta? Hic responderat *Philippus* jocosè stomachabundo homini, quæ est causa, ut tu profitearis græcas literas, (nam cognoverat antea illum *Colenia* tunc profiteri græcas literas (interim coram illo pauca de vera Ecclesia disseruerat, sed cum vidisset, se apud illum litus arare, dimiserat hominem.

Dimissis istis duobus ex schola *Osnaburgensi* vocatur insignitus Doctoris *Wilhelmi Novesiani*, Syndici Cathedralis Capituli, *Hermannus Lithodius*, (dictus *Pelser*) ipsius uti dicebant ex forore nepos, qui quidem doctum habuit Conrectorem *M. Adrianum Bredanum*, ipse non admodum doctus. Rector primò adveniens ornavit se alienis plumis, affigens elenchum antea in sua patria ab *Ewaldo Vintio* editum, & aliquoties in profodia regulas in uno Tetractico peccaverat. Cum igitur à me *Hamelmanno* admoneretur & simul à suo Conrectore, ut ista mutaret & corrigeret, ne cederent tunc ad jacturam sui nominis & detrimentum suæ scholæ, non facile tulit admonitiones. Agitatus igitur paululum per nos, scriptis affixis, successit sine magna laude, factus deinde Medicus, qui etiam se Doctorem profitebatur. Huic tunc successit *Adrianus* Conrector, cui nihil aliud deerat, quam autoritas & donum gubernationis. Desperabant igitur de suo instituto Capitulares, & sua frustrati spe jam demum revocabant in memoriam celebris & florentis civium scholæ sub *Christiano Sleibingio*, incrementum & frequentiam, qua ipsorum nimis abrogata & destructa erat, itaque inviti & præter suam opinionem coacti sunt tandem revocare *Christianum Sleibingium Hervordia*, ubi tunc scholæ præerat magna cum laude: & cum isto sub piis conditionibus inire rationem, ut juventutis regimen in schola cathedrali susciperet, in qua re plurimum laborabat *Hermannus Lavivius* Scholasticus, qui officii & zeli sui nomine imprimis cupiebat suam scholam florentem & promotam. *Christiano* ibi tunc scholæ regimen recipiendi contingit Conrector, *Laurentius Hestus*, *Saraburgianus*, vir utriusque linguæ peritus & in arte poetica egregie versatus, qui elegans scribit carmen: Deinde collegæ erant *Christiano Hermannus Quedlenbergius*, *Hannoveranus*, nunc gener urbanus & begis.



docus *Hockeri*, *Iustus Goldingus* &c. sub quibus tum demum floruit schola illa. Tandem cum animam egisset *Bravius*, cupiebant, reliqui capitulares amotum *Christianum* illum *Lutheranum*. Hoc olefaciens ipse statim renunciavit munus Scholasticum Capitulo, & illico *Bremam* vocatur, ubi rursus celebrem erexit scholam. Interea *Osnaburga* succedit *Christiano Laurentius* Conrector. Verum cum se post biennium abdicaret scholastico opere *Brema Christianus* propter diffensiones Concionatorum (quia reliqui Concionatores de Sacramento contra *Hardenbergium* disceptabant) & rediret *Osnaburgam*, ubi domicilium habebat, ut ibi privatim aliquamdiu viveret, en urgente Senatu revocatur ad regimen scholæ *Lutheranus* ille, sub Scholastico, *Giseberto Buddio*, magno tamen Papista, sed talibus conditionibus, quibus antea administraverat scholam, hoc est, salva sibi & suis religione, &c. Hic cum rursus per triennium feliciter & salva conscientia præfuisset cum Conrectore prædicto, *Laurentio*, *Johanne Spletanio* & aliis, jam ingruente senecta, maluit sibi quietem quarere, & ipsi interim Cathedrales, præsertim *Gisebertus Buddius*, (qui tunc Scholastici munus, postea vero cantoris obtinebat, & postremò factus est præpositus) aliquam spem conceperant de quodam civis filio, Magistro Scholæ & Universitatis *Coloniensis*, quod cum *Christianus* olefaceret, jam quoque fatigatus exoneravit se isto officio, & recipitur in ejus locum *Ludolphus Hanemannus*, *Osnaburgensis*, artium Magister. Schola tunc per aliquod tempus ab eodem administrata, nisi columna ejus fuisset eruditus vir & religioni veræ deditus, *Hermannus Scriba*, *Hervordiensis* (qui hodie Secretarium *Hervordia* agit, & olim sub *Christiano Schleibingio*, & deinde *Witeberga* veram doctrinam filii Dei cum initiis artium & politioris literaturæ perceperat (decrevisset, quoniam propter puerilem aspectum & regimen exile tenuis autoritatis erat rector, qui deinde post illum *Hermannum* Anno 1563 eruditum & pium virum, *Simonem Hagemannum*, *Lemgoiensem*, consecutus est Conrectorem, qui ut graviter præest, ita eruditè & piè docet, qui *Witeberga* & *Brunsviga* veram religionem didicit, & jam hætenus benè functus est suo officio non sine laude, cujus est singulare ornamentum. Et hic certè apud cives multos, quorum filios instituebat, cum multorum animi everterentur astutia *Vossii* (vulpeculæ) veritatis doctrinam de Sacramento altaris constanter defendit. De Rectore tamen ajunt, ipsum esse integrum & bonum virum,



rum. Quare id liberè refero, nunquam jam inde ab annis quadraginta habuisse florentem scholam Dumheros, nisi sub Evangelicis gubernatoribus, quia eorum schola floruit sub *Alexandro Johanne Meppensi*, sub *Henrico, Sibao Olphenio, M. Rudolpho Mollero*, & postea aliquoties sub *Christiano Shleibingio & Laurentio Hesse*, &c. Eri unquam floruit sub Rectore hoc, potissimum pii acceptum ferunt illud Evangelicis Conrektoribus. Decevit autem sub pontificis gubernatoribus semper.

Quomodo autem ego ipsos Canonicos majoris Ecclesie & ad *S. Johannem* admonuerim in Editione Chronici *Osnaburgensi*, quod olim scripserat *Ertbwinus Erdmannus*, Consul *Osnaburgensi*, breviter subjungam.

Etsi omnium primò per totam provinciam *Carolus Magnus* Academiam & celeberrimam scholam, in qua non solum linguarum diligenter traditæ sunt, sed etiam Facultates, præcipuè Theologica & Juridica (de Medica nihil dicam) tum quoque artium exercitia egregiè sine ullo dubio mox post primam illam ordinationem D. Imperatoris floruerunt, constitueret in vestro collegio, vii Reverentissimi nobiles & eximii, imò illud ipsam vestrum collegium vellet vel imprimis scholam sive phrontisterium totius esse provinciarum, quo semper Clerici Græcæ non minus quam latinæ linguarum, aliarumque rerum ut privilegium nudicat, docti essent, tamen semper ante aliquot secula in reliquis Cathedralibus Ecclesiis & per *Saxoniam & Westphaliam* fuisse scholas quoque præclaras, & quidem non alias, quam nunc Academiae sunt, in quibus isti Scholastici, & alii ex collegio gubernatores (forsan Episcopi ipsi & præpositi, Decani alique seniores collegiati) docebant publicè, *Krantius* in multis locis suæ *Saxonie* de Metropoli testatur, idque non solum, ut dixi, de vestro collegio, sed etiam de aliis, ut de *Magdeburgensi*, (ubi *Othricus* Episcopus doctissimus & famigeratissimus celebrem auditorum frequentiam habuit) de *Bremensi*, in quo *Ludolphus de Feule* avunculus *Vicelini*, & deinde ipse *Vicelinus*, magna cum laude docuerunt, & de *Paderbornensi* collegio, quod ornavit *Hermannus* ille, qui fuit magni *Vicelini* Preceptor, quem *Helmoldus* Historicus in *Slavorum* Historia nobilem magistrum *Hartmannum* appellat, aitque, sub illo literarum studia egregiè floruisse, ac de *Hildesimensi* collegio, in quo vestrae olim Ecclesie Episcopo *Benno II*, quem rectius alii *Bernhardum* appellant, ha-



cum Scholarcha, quem modo Scholaſticum vocamus, docuit tanta cum laude, ut ejus doctrina & fama etiam Cæſari innotefceret, &c. denique de reliquis collegiis *Meidenſi*, *Verdenſi*, *Lubecenſi*, &c. aperte ſcribit: Adhuc quoque nomen collegii retinetur in Academiis & Univerſitatibus, ubi phrontiſteria diverſa ſtudiorum collegia vocantur, quæ non fruſtra hoc nomen retinuerunt, ita quoque & in facultatibus atque artium ſtudiis habent ſuos etiam Decanos Academiae. Nam ante Univerſitatum uſum erant, teſte ipſo *Krantzio*, loco Academiae quaſi ſtudia generalia, ipſa collegia Canonico- rum cathedralia, &c. Ex his igitur omnibus apparet ſatis, quid in initio Collegia, etiam Clericorum, fuerint, nempe ſcholæ. Et hoc quidem de primo uſu Collegiorum dictum ſit. Quod ad ſecundum attinet, manifeſtum quoque eſt ex *Krantzii* Metropoli, in hujusmodi collegiis, hoc eſt ſcholis, canonicos regulares & communiter vi- ventes, atque ſimul cibum ſumentes cum gratiarum actione, fuiſſe, qui quoque in ſtudiis converſabantur una. Hujus rei indicium extare in urbe *Monasterienſi* ajunt multi, quorum opinio eſt, lectorium quartæ claſſis cathedralis Eccleſiæ fuiſſe reſectorium olim Canonico- rum ſummi templi, nam id ſcama ibidem menſæ & ſedilia ſub- indicare videntur. Utcunque illud ſit, quod in medio relinquo, tamen *Krantzius* fatetur, quod ipſi etiam Epilcopi cum ſuis Presby- teris & Clericis in tali communitate per *Saxoniam* interdum vixe- rint: qui etiam mos antiquiſſimis Epilcopis, ut *Martino*, *Auguſtino* & *Baſilio*, veluti Eccleſiaſticae Hiſtoriae produnt, uſitatus fuit. Vi- demus igitur & ſimul dolemus rem illam, quæ initio adeo pie & ſan- ctè inſtituta fuit, ita in abuſum delapſum, ut nunc in collegiis Ca- thedralibus vel etiam aliis, nullibi Academiae, imo vix aliæ celebri- res ſcholæ exſtent. Et quod dolendum, ubi illi pueriles adhuc lu- di literarii ſunt, ibi hodie conducti magiſtri tales adminiſtrant, ni- hilque habeat rei in ipſis Scholaſtici, Decani, propoſitique collegio- rum, tantum abeſt, ut iſti in eis prælegerent tanquam Doctores, junioresve Clerici diſcerent: namque his temporalibus tam illi Ca- nonici & Clerici, qui debebant docere, quàm diſcentes, hoc ſui putant eſſe officii tantum, ut ſe in choro ad momentum blatteran- tibus interim conductitiis Cantoribus & choralibus, nescio quid, ſi- ſtant & manum porrigant ad accipiendos nummos præſentiales, ut vocant: deinde ut illa, quæ ad tam pium uſum ſunt olim collata,



inutiliter consumant. Perit quoque planè in omnibus ferè collegiis illa communis convivendi consuetudo, quia nunc domi suæ quisque in luxu vivit. Fuit ante annos adhuc plus minus centum in multis collegiis usitatum, ut Doctoribus & Licenciatis in quadam facultate promotis, hoc est, iis qui publicum habebant testimonium Universitatum de suo studio, doctrina & diligentia aliisque doctis viris, ad dignitates & Canonicatus aditus pateret: Sed nunc talibus exclusis tantum secundum seculum nobilibus ad ea officia & beneficia plerumque datur aditus, etsi nullius sæpe virtutis eruditionisve gloria sint nobilitati.

Subjiciam etiam quid ad collegiatos ad *S. Johannem* scripserim. Sed ut interim ad initium vestri collegii revertar, plane mihi persuasit *Theitmarum* illum, qui autor est vestri *plenditi collegii*, fuisse pium & doctum Episcopum, & nihil aliud spectasse in fundatione istius Collegii, quam ut pro more antiquorum Collegiorum ibi flo- reret vera pietas & studia literarum, ut olim in Collegiis consuetum fuit. Nihil equidem aliud fuere Collegia ante annos plus minus sexcentos, quam phrontisteria & seminaria doctrinae & christianae pietatis, ut prolixius alibi ostendi. Quod ad pietatem attinet, specimen aliquod præbuit istius, vestrum collegium superioribus annis, quando reverendissimus & veræ religionis dedicissimus Princeps, Dominus *Franciscus Waldechianus*, Episcopus *Osnaburgensis*, & per *M. Hermannum Bonnum*, doctissimum & clarissimum virum reformaret Ecclesias juxta doctrinam Evangelii, tam in ditione, quam urbe ex suffragio inclyti senatus, quia tunc tantum apud vos præ Psalms canebantur absque omni superstitione. Quod verò vestrum illud splendidum collegium per Interimisticam scabiem ad pontificiam sacra, redactum & retractum postea sit, & in eo manere cogatur, & doleo & sæpe deploravi hactenus, scioque multos ex vobis esse, qui mecum non levi ob eam rem dolore afficiantur, quos etiam spero credere, ut vera religio restituatur & omnis superstitio procul a vestro possit esse collegio: Et tales etiam ab initio in vestro fuere collegii Dominus *Johannes Marcellus* quondam Decanus & Cancellarius *Episcopi* &c. legit diligenter opera & scripta *Lutheri*, ejusque successor *Mellinckhusius*, ut erat doctus, ita amavit veram de *Christo* doctrinam & religionem, & spero plures adhuc apud *V. R.* istis similes esse, qui cuperent ex animo veram reformationem collegiorum &c.



## Quæ sit religio in ditione.

Per ditionem ita florent Ecclesiæ, ut nullibi detur locus apud parochias, nisi illis, qui sunt rasi & uncti papistico more. Multi tamen pastores conniventibus Archidiaconis, qui puriorem doctrinam videntur amare, præsertim qui erant sub præposito *Jodoco Dincklagio* quamdiu ille viveret & sub ipso Episcopo *Johanne de Hoya*, qui optime intelligit negotium religionis, ut princeps est doctus & ingeniosus, sincere docent & Sacramenta rectè administrant, duxeruntque uxores legitimas, nisi quod aliqua servitute pontificia premantur, ut banno illo emunctorio, quo debita emonentur & aliis. Inter eos sunt *Bernhardus Hockerius* Pastor in *Capelen*, *Jodocus*, prior Pastor in *Holte*, *Samson Snerlag* pastor in *Buer*, & quidam alii non noti. Alii pastores, ut pastor in *Wellinckholtshusen* & in *Gesmel* & quidam similes pro suo arbitrio retinent omnia papistica sacra. Sunt etiam qui utrumque retinent & sunt neutrales, quoque per totam diœcesin quam plurimi sunt.

## Qui Evangelici Concionatores orti sint ex nostris Osnaburgensibus.

Ex urbe & ditione diœcesis orti & nati sunt pii & Evangelici Concionatores hi, quos ego novi, *Hermannus Bonnus*, *Quakenburgensis*, *Lübecensis* Ecclesiæ Inspector; *Henricus Glosenkamp*, Concinator *Lüneburgensis*, *M. Eberhardus Obermannus*, cognatus *Bonni*, *Quakenburgensis*, Concinator *Lüneburgensis*, *M. Georgius Bart*, *Osnaburgensis*, Minister ad *D. Egidium Lübeca*, *M. Johannes Sum*, *Osnaburgensis*, educatus in *Livonia* & *Witeberga* per annos septem sustentatus ab avunculo, *Vincenio Glandorpio*, Senatore *Rigenfi*. Iste *Sum* fuit Rector scholæ *Revelensis*, deinde Concinator *Bremensis*, & postea in terra *Brunsvicensi* Pastor ac *Brunsviga*, in ædibus *D. Joachimi Morlini* mortuus est. *Johannes Suickerus*, *Osnaburgensis*, primò *Hamelensis*, deinde *Hildesensis* ad *S. Paulum* Concinator, mortuus est ibidem Anno 1548. *Otto Dumhavius*, *Osnaburgensis*, Ecclesiæ *Hamelensis* Minister. *Jodocus Hockerius*, *Osnaburgensis*, Pastor ad *S. Johannem Lemgovia*, mortuus est Anno 66. *Martinus Meibomius*, *Osnaburgensis* Pastor in *Alverdissen* Comitatus *Lipniensis* oppidi, mortuus ibidem anno 1557. Cui successit *Georgius Suckampius*, *Osnaburgensis*, pastor ibidem. *Henricus Libanus Cappelen-*



sis Pastor in *Bosnckfeld*, *Henricus Neilerus Osnaburgensis*, concionator in oppido *Rinhlen*; *Herbardus Walbeck*, pastor ruralis in Comitatu *Mansfeldensi* primo, deinde in urbe *Quellenborg*, *Hermannus Berinus*, pastor in comitatu *Oldenburgensi* in *Ovelgunnen*; omnes vii pii & Evangelici &c.

### DE BIBLIOTHECIS.

**B**ibliothecæ hic nullæ sunt, nisi quod opera *Hieronymi & Augustini* in sacellis summi & Cathedralis templi lateant. Scio etiam *Tertulliani*, *Augustini*, *Epiphani* & alorum quorundam patrum scripta reperiri in Bibliotheca *M. Christiani Sleibingii* & Domini *Otonis Willens*, & civis cujusdam *Christophori Glasemæri*, qui est piiorum & studiosorum Mœcenas. Hoc quoque hic non est negligendum. Est in ditione nobilis quidam vir nomine *Casparus Schelius*, qui opibus, promotione, pecunia & omnibus beneficiis ornat Ministerium Evangelii, confert sumptus concionatoribus, ut libros emanant studiosis subsidium ad continuanda studia liberaliter præstat, exules fovet, amplectitur & promovet quantum potest, utiles libros curat sua pecunia excudi in usum Ecclesiæ Christi, deinde in pauperes est beneficiis doctrina & cognitione veræ doctrinæ, religionis & pietate præstans, qui ab omni hæretici contagione alienus heretico-rum quovis Christum confitetur. Ita is vere nobilis est in Civitate Jesu. Ego autem *Osnaburgenses* ad publicam Bibliothecam extendendam & exornandam hortatus sum, atque ad ejus ornatum promissi aliquot patrum scripta. Quomodo etiam in edito quodam scripto meis *Osnaburgensibus* inscripto Anno Domini 1554. revocaverim errorem meum de concilio Tridentino evulgatum in quodam *Diabogo*, edito anno 1551 breviter subjungam.

Gratia & pax à Domino Jesu Christo cum omnibus vobis Amen. In quam crasso fuerim errore, non fugit vestram præstantiam, Viri Humanissimi, Dominiq; splendidissimi, eo præsertim tempore, quando apud nostrates illas idolatricas *Missas* non solum præsentis, vel disputationibus privatis defenderem, verum omnem pietatem Christianam in ea collatam esse putarem. Sed ago Deo patri per Dominum Jesum Christum gratias immensas, quod me tandem pro sua singulari misericordia ex illis tenebris eripuerit, mihiq; cum *Cleopha* & socio ejus oculos aperuerit, ut demum Christum & verum



Sacramentorum ejus usum cognoscam, nullamque nunc spem amplius vel in illa Missa, quæ horrenda Cœnæ Dominicæ prophanatio est, vel in aliis externis cæremoniis sive mundi elementis, sive creaturis, ponam. Unica mihi spes proposita Christus est, qui omnium *Christianorum* anchora, asylum, portus & illis tanquam scopus certus præfixus est, qui inquam mediator, advocatus & intercessor noster unicus est, qui perfolvit pro nobis Deo patri, perfecta obedientia nos redemit, sanctificavit & justificavit, misitque in corda nostra Spiritum Sanctum clamantem Abba pater, & nostras conscientias perpetuò per Evangelium consolantem. Et licet multi naufragium faciant, offendiculumque patiantur, quando contemptis omnibus idolatricis papistarum cultibus hunc unum prædicamus Jesum, eundemque crucifixum, tamen nos istorum rabiosa ira non terreat. Scimus enim, quod angusta sit porta & stricta via, quæ ad vitam ducit. Hoc vero mundus agnoscere non potest, qui religionem consistere putat splendore ac externo aliquo pomposoque cultu, & nos talem cultum, qui prorsus fictitius & inanis est, contemnentes non tantum odio prosequitur, verum principis sui opera & potentia prorsus opprimere nititur. Sed hoc nobis certissimè habeamus persuasum, nos, qui libenter Christi solius vocem audimus & sumus oves ejus, ne Diabolum quidem mundi Dominum, aut mundum ipsum, sive omnes illius tyrannos eripere posse ex manibus ejus, qui custodit nos ut pupillum oculi & nostri curam habet maximam. Hac sane consolatione & multis aliis, quibus Evangelica lectio scatet, erigemus animos nostros in tristitia, in afflictione & cruce quæ plerumque Evangelii comes esse solet, & haud dubie consolationem adferet maximam. Dominus noster Jesus Christus omnes, qui *Osnaburga* sunt, & sub vestra protectione existentes Evangelium tam corde quam auribus percipiunt (quod idem aliis cupio) confirmet in vera religione, & Spiritu sancto innovet, ut mundo mortui Deo patri & illi cum omnibus piis serviant in vera obedientia per fidem, semperque nomen ejus & vita & morte sanctificare studeant: aliis vero, qui adhuc cum impio mundo cæremoniis & elementis inhaerent, gratiam suam largiatur, cordaque eorum Spiritu suo perfundat, ut agnoscentes errorem suum poenitentiam agant & Evangelio credant. Quod vero hanc oppellam meam vobis viri ornatissimi, Dominique observandi dedicaverim, non sine singulari causa factum



Num putetis. Volui enim mea patriæ dulcissimæ, cui V. P. fecis-  
 sime præest, aliquam benevolentiam exhibere, ut illa videlicet,  
 quæ mihi vicinissima est, mecum gauderet post drachmam inventam  
 quæ perierat. Deinde meum olim scriptum *Osnaburgensis* nostræ  
 terræ principi dedicaveram, quo me importunè Concilio Tridenti-  
 no subjeceram: quod cum revocare necesse sit, nulli commodius  
 existimavi hanc de Conciliis tractationem licet brevem, tamen uci-  
 lem, dedicandam esse, quam V. P. Domini honorandi quoniam si  
 vestram industriam mihi bene conspectam habeam, vos nulli con-  
 cilio extra verbum Dei concludenti præbituros esse assensum opinor.  
 Nec interim arbitror, quenquam esse tantæ impudentiæ, qui me vel  
 levitatis arguere possit, eo quod nuper conciliorum autoritatem de-  
 fenderim, nunc vero infringere conatus fuerim. Fateor equidem  
 errorem meum fuisse gravissimum (tametsi verorum conciliorum  
 autoritati nunquam detrahā) quem non aliunde quam ex papista-  
 rum libris hauseram, sed ignoranter peccavi. Eo quoque modo fuit  
*Augustinus* diu Manichæus & sæpè contra *Ambrosium* disputavit:  
 quanquam postea summus Ecclesiæ Doctor extiterit. Constat au-  
 tem aliquis piorum superiora mea scripta cum his nostris, & tum de-  
 mum videbit, quantum in Evangelica religione profecerim, cujus  
 equidem fundamentum tam jeci firmum per Christum & in Christo,  
 ut nunquam vel boream vel imbrem aut cujusvis generis turbines  
 destructuras esse hoc meum ædificium sperem. Deus pater cele-  
 stis V. P. zelum in agnitione filii ejus unigeniti Domini nostri Iesu  
 Christi confortet augeatque: Et sincerus ille, qui in vobis est, ani-  
 mi cantor, me meosque cum omnibus veræ pietatis studiosis diligen-  
 ter tueatur, egenis & pupillis opem ferat, & boni Magistratus offi-  
 cio semper fungi pergat, sic demum fiet, ut vos dii id est, sancti  
 velut olim apud *Moysem* Judices & Seniores populi dii dicebantur  
 inter electos Dei reputemini &c. Valetè *Wiesbergæ*  
 Anno Domini 1554. in Julio,



HISTORIÆ RENATI EVANGELII deinde SCHI-  
SMATUM HÆRESIUMq; Anabaptistarum,

exortarum

In *Urbe Monasteriensi* Westphaliæ,

EXPLICATIO,

Quæ continet plenam narrationem & integram Historiam  
totius rei, conscripta & collecta magna fide ex scriptis ho-  
rum sequentium Autorum: ex Libello HENRICI DOR-  
PIL de *Rebus Monasteriensi*: ex Epistola ad GEORGIUM  
SPALATINUM, aliisque actis conscriptis ab ANTONIO  
CORVINO: & deinde ex istis omnibus, quæ in Tomo se-  
cundo *Lutheri* Germanico Witebergenfi de eo negotio  
exstant: tum quoque ex Libris decem Carminum JO-  
HANNIS FABRICII BOLANDI: & HERMANNIKER-  
SENBROKII Libris duobus Carminum & motu *Monaste-  
riensi*, atque ex Annotatis, quæ in SLEIDANI Libro X.  
Rerum sub Carolo V. gestarum exstant: atque ex Libro uno  
LAMBERTI HORTENSII de tumultu Anabaptistarum,  
similiter ex CASPARI HEDIONIS Chronico, atque ex  
BULLINGERI Libris sex Anno 60 editis contra Anaba-  
ptistas, denique ex Cosmographia Doctoris SEBASTIA-  
NI MUNSTERI & Scripto quodam Doctoris ERASMI  
ALBERI contra Sacramentarios & Anabaptistas edito, &  
Collectaneis JOHANNIS MANLII: Postremò ex multa  
experientia & multorum relationibus diligenter  
observata per

HERMANNUM HAMELMANNUM, L.

---

Anno 1709.



HERMANNI HAMELMANNI

## PRÆFATIO,

In istam Historiam, ex qua constabit, *Monasterienses* Anabaptistas id egisse, quod ejusdem farinae homines antea egerint.

**H**orribilibus furoribus fuerunt semper fascinati *Antores Anabaptisticae factionis*, de quibus ut aliquid dicam, ad admonendum pios nequam ad *Monasteriensem Corybantum* veniam relationem, quo probè ab omnibus piis & cordatis *Sectariorum* feces cognoscantur, utile & necessarium esse judico. Nam in his extremis temporibus opus erit diligenti admonitione piis, quoniam non frustra ait *Paulus Coloss. 2.* Dico vobis, ne quis vos decipiat probilitate sermonis, & *Johannes quæq. 1 Joh. 4.* Probate Spiritus, num ex Deo sint, nolite cuius Spiritui credere. Et iterum *Paulus 1 Thessal. 2.* Exhortatio nostra non fuit ex impolluta, neque ex immunditia, neque ex dolo. Item *Propheta Jeremias Cap. 2.* Væ vobis, qui dicitis malum bonum & bonum malum. *Hec Dicta Apostolorum & Propheta si expendimus, facile à falsitate ista cavēbimus.*

Ut autem probem, in istis *Anabaptistis* omnem impietatis larvam visse & esse, & omnes seditiosos *Anabaptistas* unam retinisse opinionem, incipiam à *Thoma Münzero*, & deinde de aliis referam, ut constet postea quomodo, quicquid antea alii *Anabaptista* tentaverint, ab his quæque retatum esse in urbe *Monasteriensi*.

*Thomas Münzerus*, quem alii *Monetarium* vocant, fuit articulus *Magister*, teste *Luthero*, & ut scribit *Melanchthon*, in scripturis profertur versatus, homo quoque doctrina mediocri & facundia præstant, hic profertur in *Zwickoviensi* urbe mediocriter docuit *Evangelium*, de quo etiam sic scribit *M. Cyriacus Spangenberg* / im *Buche wider die böse Eitelkeit ins Teufels Karnoffel-Spiel wider den greulichen Gotteslästerer / Friedrich Staphilum / schier am Ende.* Es mag auch *Münzer* nicht ein schlechter *Prediger* gewesen seyn / wår er also blieben / denn ich mich zu erinnern weiß / daß ich von meinem lieben *Vater* / seligen *M. Johann Spangenberg*, gehört habe / es sey schade gewesen um *Thomas Münzer* / daß er sich dem *Teufel* mit der *Hoffart* und *Ehrgeiz* (darzu auch *Nachgierigkeit* kommen) also hätte einnehmen und besigen lassen / *Lutherum* und andere *Christen*



liche Lehrer zu verachten / und von sich selbst mehr zu halten / und darzu einen solchen schädlichen unchristlichen Aufruhr anzurichten. Denn er vor der Zeit zu Stouberg ehliche nicht wenig gar herrliche schöne und Christliche Predigten von ihm gehöret hätte / darinnen das geringste nicht zu tabelen gewesen / wiewol er zuletzt einmahl auf den Palm-Sonntag eine Predigt gehalten / welche verständigen Leuten allerley Nachdenckens gemacht / sonst wäre er nicht anders denn ein Christlicher Lehrer befunden worden. *Is postea Alstarum veniens, & deinde Mülhausium cœpit ista moliri, qua ad turbas spectarunt, ut annotat Sleidanus Lib. 5. hoc est, excitavit agricolas ad seditionem contra magistratum movendam, & cœpit quoque semina Anabaptistica factionis spargere. Cogitaverat puer de variis rebus perficiendis, in scholis adhuc agens Halæ Saxonum, ut scribit Manlius ex relatione Philippi, inde occasionem seditionis sumserat, quod Stolbergici Comites suspenderant ipsius patrem. Hoc in ipsos ulturus totum ad hoc animum & propositum contulerat, ut ignominiosam patris mortem armis vindicaret. Itaque collecta cohorte primo istum Comitatum invaserat, & ita progressum fecerat usque in Franckenhausen. Scribit autem Manlius, Müntzerum fuisse hominem libidinosissimum, qui etiam puellas ad se vocaverat, indicans ipsis, revelatione sibi indicatum esse, ut ipsarum familiaritate & libidine uteretur, imo cum concionaturus erat, solitus fuerat ad se aliquas matronas eleganti forma vocare, & earum consuetudine & aspectu dixerat, se repleri Spiritu Sancto. Sic quoque scribit de eo Doctor Erasmus Alberus, quod aliquando persuaserit cuidam muliercula, quod faceret opus misericordie erga ipsum, & nullo modo peccatum, si eum admitteret ad concubitum, illa persuasa consensit, sed post ipsum decollatum, adeo isto crimine cruciabatur, ut postea veniret Witebergam petens consolationem. Huic Monetario conjungit in Scripto contra Sta-phylum Philippus Sertorium quendam. Interim ipse Müntzerus uxoratus erat, quia ut in Lutheri Tomo 2. Witeb. legitur, reperta est uxor ejus gravida Mülhusii, cum jam ille pœna capitali è medio sublatus esset. Hujus Præceptor vel saltem ad seditionem movendam hortator fuisse dicitur Nicolaus Pelargus vel Storkius Cygnæus, qui ut Enthusiasta, afflatus cœlestes & colloquia Angelorum jactitaverat, quos dixerat sibi visibili specie revelatos asseruisse Pelargum vel Storkium fore reformatorem Ecclesiarum: imprimis verò gloriatus fuerat Gabrielem sibi promississe regnum Ecclesie, & quanquam artem fulloniam exercuerat Cygnæa in patria, tamen ille primus dicitur erroris Anabaptistarum furiosus auctor, qui postea abjecto of-*



ficio manuário vagatus est clam per Germaniam, & fraudavit homines multos malis, tandem vero cognita infelici clade rusticorum, miserabiliter & magno mœrore vel forsitan desperatione moritur Monaci, quæ est urbs Bavaricæ in Hospitali, teste Philippo in Annotationibus in Matthæum, & juxta annotationem Johannis Manlii. Sæpe etiam singulares fixerat rapus Müntzerus ipse coram hominibus. Postea quasi attonitus ad se reversus dixerat prodigiosa, & ita multos seduxerat. Fuit etiam discipulus & collega Müntzero in oppido Mülhusen Petrus Pfeifferus, quondam tonitruarius, qui rustica cohorte in Eislandicum agrum teste Sleidano delinxit, ibique destructis multis, magna atrocità violenter commiserat, quæ de causa inter reliquos seditiosos post captum Müntzerum & ipsius cervicis caput abscissum. Scribit Bullingerus in Libro I, adversus Anabaptistas in postrema Editione. Qui Tiguri erant, cum viderent & experirent, se disputando nihil posse efficere, quidam eorum salice & teste civili cum Jona clamabant, Tigurum paucis diebus submergendam, ut Tiguro, ut ve, agite pœnitentiam, &c. Item in media disputatione clamabant exultando, latere Sion, latere Hierusalem.

Idem scribit de Melchiore Hoffmanno, quod cum convulsus esset in colloquio à Concionatoribus Argentinensibus, ut Hedio, Cuperone, Bucero anno 1532. II. Junii, & tamen nollet cedere, fuerit tandem incarcerem conjectus, in quo jactitabat, visiones propheticas sibi apparere, quæ etiam in carcere illo mortuus est.

Argentinenses concionatores in scripto misso & edito ad Moravianensem Senatam, Concionatores & cives anabaptistam turbas anno 1533, scribunt in oppido Waldshut, ad Rhenum prope Basileam decipi pro concione quendam Pastorem, Doctorem etiam, non esse parvos lapidandos, & tandem etiam excitasse ad seditionem civem, ut Regi Ferdinando parerent, sed se rusticis seditiosis conjungerent, &c.

Scribit Doctor Urbanus Rhegius in Libro de restitutione regni Israhelici contra Chiliastras, imprimis contra Monasterienles Africanos, quomodo Augustæ olim Anno 1530, multis aliis persuaserit Augustinus Weber, pellicio, se visione à Deo facta esse regem constitutum terra & regnaturum per annos mille. Ille cum suis sociis (quos nominat Urbanus Gallum Fischer / textorem, Johannem Helim, sartorem, Gualtherum Miller, & Olvvaldum, Sacerdotem) & is rex curavit sibi præparari coronam regiam, sceptrum, gladium, diadema, pugionem & cetera, ut munus obundum. Sed captum cum suis & occisum in Ducatu Wirtembergensi, veluti acta demonstrant typis exensa. Hac Urbanus Rhegius.



Justus quoque Menius scribit de Melchiore Rinckio, quod etiam fuerit discipulus Müntzeri, qui adeo extulit præceptorem Müntzerum, ut ipsius conciones præferret totius mundi Doctoribus eorumque orationibus. Verum eo quoque insania delapsus est, ut diceret, jam non amplius existare verbum Dei sincere descriptum puro an certo aliquo idiomate, & integrâ incorruptaque translatione, sed falsè & mendose omnia eaque vitiosa in Bibliis existare & esse corrupta. Itaque Scripturis non amplius credendum esse. Quem sit finem consecutus Rinckius ille horribilis impostor, ignoro. Scribit autem Doctor Erasmus Alberus, Müntzerum quoque rejecisse Biblia, & dixisse, was Bibel / Bibel / Babel / der Geist muß es thun. Item sic dixerat, ich wolte auf GOTT scheissen / wenn er sich nicht wolte offenbahren und reden mit mir / gleich wie er mit Abraham / Isaac / Jacob und Moyses &c. Fuisse quoque Mülhusii collegam & discipulum Müntzeri Johannem Romerum, quondam pellicnem, qui in templo Blasii apud Mülhusenses docuerat, scribit Menius: nec de ipsius sine mihi constat quicquam. Præceptor autem Pfeifferi, Rinckii & Romeri Müntzerus: ipse in Heldern, Comitatus Mansfeldici, primum tortura traditus est, quia aliquoties ad Ernestum, Mansfeldicum Comitem, agentem vitam in Heldern, scripserat epistolam satis imperiose, incipiens ita: an Bruder Ernst zu Heldern. Paulo ante nobilem quendam à principibus ad rusticos ablegatum interfecerat ipse, sibi sumens arma vi quadam. Scribit quoque de eo Doctor Erasmus Alberus, quod scripserit ad Comites vicinos Harciniae sylvæ, ut venirent ad ipsum supplices, aut se venturum ad perdendum omnia. Ita quoque dixerat, se pugnare ense Gideonis, ut non aliter jam atque olim Gideon occideret ipse quoque reges & Principes. Promiserat quoque rusticis, singulos posse tegmine levi pellere globos & ictus bombardarum, unumque pileo posse decem ex hostibus occidere: ex Helderem vero traditus Mülhusium est decollatus, de qua re totam vide Historiam, Tomo 2 Witeberg. Lutheri.

Eodem tempore fuit factionis rusticana Christophorus Schaplerus, Concionator Memmingensis, qui pro rusticorum sodalitia defendendo conscripserat duodecim Articulos de libertate Christiana.

Struthius quoque concionator Isenacensis, tunc vectigalia & Censuum abolere voluit. Qui suum obtulerunt diem, plane ignoro. Ludovicus Herzerus, Anabaptisticae factionis acerrimus defensor, & doctus vir, qui multa ex Hebraica lingua vertit, imprimis Prophetam Esaiam, &c. non propter confessionem doctrinae, sed propter alia



scelera Constantiæ affectus est capitali supplicio. Insinuaverat enim se in amicitiam & familiaritatem honestissimarum matronarum, cum esset concubitor, (sicut mulieres facile decipiuntur simulatione & pretextu religionis) easque deinde stupraverat. Cum afficeretur supplicio, confessus fuerat, se voluisse sapius pœnitentiam agere, sed ita in vinculis Diaboli detentum fuisse, ut non potuisset respicere, sed semper relapsus fuisse. Velle etiam, se jam libenter mori & justo Dei judicio in hac pena obtemperare. De hoc Schaplero, Struthio & Hezlero ex relatione Philippi refert Johannes Manlius. Scribit de Hezlero Erasmus Alberus Doctor, quod huic de vagatus sibi tredecim uxores passim in diversis locis adiungi & concubas fecerit. Struthii meminit in quadam Epistola ad D. Lutherum Elector Johannes Fridericus Dux Saxonix, qua exstat in Tomo Mansfeldicis Lutheri.

Multos hujus farina homines tanquam autores Anabaptistarum reperiret Lector in 2 Tomo Lutheri Witebergeni, quorum vel ipse Lutherus: vel Philippus, vel Menius Corvinusve mentionem facit. Lutherus conqueritur, quomodo quidam Balthasar Hubmeyer Anabaptista, faciat se consortem sua sectæ, & multa habet Bullingerus in Libro I. de illo Balthasare Hubmeyer / qui erat Doctor Theologia. Scribit quoque Justus Mehius de præcipuo Anabaptistarum Præceptore, Joanne Denckio, qui formam rebaptismi suis præscripserat. Meminit quoque Johannes Denckii inter duodecim istos Duces regni Israel, Dorpius in sua Historia, & hunc Denckium institutorem appellat. An idem is fuerit, dubitavi, sed scribit Bullingerus de priori Johanne Denckio, qui per septem annos Germaniam vagatus est, quod vir fuerit doctus & diurnis admodum sermionibus Johannis Oecolampadii sit conversus, & mox vitam finivit. Ita hic, si hoc verum est, cujus sit mentio in Monasterienfi Historia, alius ab illo fuit Denckius.

Jam captum Müntzerum interrogaverant, cur in tantam miserrimam adduxisset miseram plebem, ut periclitati essent de anima salute, quæ quoque vitam perdidissent, responderat subridendo, se tollens se laborare, nec pluris fecit tantam cladem. Quomodo cum his convenerint Moulterienfes Propheta, fascinati Concionatores, rex & alii factiosi, hæc Historia docebit.

Nunc etiam docendum erit aliquid de initio Anabaptisticae Sectæ. Nuper, hoc est, superiori Anno 1564. scripsit de Padobaptismo Georgius Cassander librum, in cujus præfatione asserit de initio hujus Anabaptistæ.



stici erroris, & recenset, Guitmundum monachum Berengario hunc attribuisse errorem, verum Petrus Brusius Gallus & ejus quidam discipulus Henricus latè istum errorem propugnârunt, docentes, pedobaptismum esse damnandum, quibus se opposuit Petrus Abbas Cluniacensis scriptis, qua etiam hodie existant.

Recenset quoq; Cassander præcipuos quosdam patronos ejus erroris nostri seculi, ut Nicolaum Storckium, Thomam Müntzerum, Melchiorum Rinck, Balthasarem Hœbmeier, Michaelum Sateler, tanquam primos. Hos posteriores collegas Müntzeri vocat Doctor Alberus, quibus adjungit Jacobum Kuetz, quem scribit Bullingerus fuisse quondam ministrum Ecclesie Wormatiensis, seductum autem ab Hetzero & Denckio, priore in linguis versato, altero in Bibliis & artibus quoq; docto. Postea inquit circa annum 1532. incepit primo propagare per Belgicam & inferiorem Germaniam & postea Argentine quidam pellio Melchior Hoffmannus (quem Argentinenses Ministri refutârunt publicis scriptis, & contra illum disputârunt, qua omnia deinde anno sequenti transtulit in Westphalicum idioma Monasterii, ediditq; contra Anabaptistas Brixius Nordanus) deinde post Monasteriensem cladem novas excitavit furias Johannes Battenbergius; postea quoq; suscepit defendendas publicis scriptis impias opiniones istas Ubbo Leverensis, Phrisius & Menno Simonis, quibus vita functis hodie successisse ait Theodoricum Philippi, fratrem Ubbonis, virum eruditione eximia, eloquentia & facundia gravem, de quo dolens, inquit Cassander, refero, quod tale ingenium & præclara indoles isti errori sit obnoxia & immersa. Hac ex Cassandri scripto refero, qua alias mihi nota erant, nec tamen quivis existima: et, me ab illo talia suffuratum, liberè confiteor omnia. Theodoricus Philippi hæret prope Dantiscum hodie cum sua farina sociis.

His omnibus annuero Adamum Pastoris, qui post cladem Monasteriensem fuit Anabaptistarum antesignanus in Westphalicis oris perditionem Monasteriensem, Comitatum de Marca, Ducatum de Monte & Coloniensem ditionem, qua est Westphalica. In quibus locis ille diu vagatus est, diciturq; passim sua factionis multos nobiles in prædictis locis habere. Hic refertur mortuus esse Monasterii, & trans aquas sepulturam consecutus. Exstant ejus aliquot libri, quorum etiam nonnulli mihi visi sunt. Ejus præter Anabaptisterium opinio quoque fuit, Christum esse verum hominem, sed esse Deum Patrem priorem suo filio Christo, & majorem esse Christo Ariano more. Apparet autem ex scripto Justi Menii



edito Anno 1570. ad Landgravium contra Anabaptistas, hanc sententiam primo defendisse Melchiorum Rinck. Cum contra rursus Menno Simon præter Anabaptisma Valentianum dogma retineret de Incarnatione Christi, videlicet ipsum non fuisse proprie verum hominem, hoc est, illum non ex Maria Virgine sumfisse carnem, interim verum esse Deum ante secula natum patri coequalem. Propterea Menno Adamum & Adam Mennonem videlicet propter diversum dogma excommunicaverat. Menno autem Novatianorum dogma de non recipiendis lapsis post semel agnitam veritatem retinet cum suis, & quod non sit Christianis deligendum, nec eis rixari vel jurare liceat coram foro, & magistratus vestros esse impios, tum quod Sacramenta sint nuda & pura signa. Videtur autem illi quasi merita constituere, dum omnes alios præ sua secula condemnat, & has posteriores opiniones de meritis & Sacramentis & aliis retinuit quoque Adam Pastoris cum suis, quanquam tamen non sit tam rigidus. Non an quisquam se publicis scriptis opposuerit Adamo clam ad ripam Lippicæ & in Westphalicis locis olim vaganti. Verum impium dogma de Anabaptismate damnavit ex Scripturis apertis & luculenter per baptismum defendit contra Mennonem Gellius Faber, Embdensis minister Ecclesiæ publico libello, veluti quoque istius Mennonis opinionem de Incarnatione Christi refutavit Dominus Johannes à Lasco, in Phrisiâ, & Martinus Micronius. Sed Menno posteriori respondit. Ita quoque contra eum scripsit erudite, at inferiori lingua Bernhardus Buwo, Pastor in Eriusum orientalis Phrisiæ, quem librum superiori idiomate Engelbertus Fabri propter Anabaptistas, &c. Olim Doctor Urbanus Rhegius & Mennius eandem hæresin de Incarnatione Christi contra Monasterienses refutaverant, quorum libri exstant in 2 Tomo Germ. Witteberg. Lutheri Disciplina Adamistarum non est tam rigida quam Memnonistarum. Nunc dicam nunc de Davide Georgio, mirabili impostore, qui primo etiam Anabaptista, & postea se tertium Davidem appellavit, novumque regnum constitutum voluit, idque mysticum, cum de illo & ejus maleficiis ediderit germanicum & latinum scriptum Academia & senatus Basiliensis. Hæc volui præfari, ut videtur Christianus lector, nihil esse tentatum à Monasteriensibus, quod non antea heretici priores nostro etiam tempore tentaverint, deinde ut similiter lector collationem & consensum priorum hæreticorum & seditiosorum, qui antea cladem Monasteriensem vixere & fuerunt, & deinde posteriorum nebulentum atque ita diligenter ex illa collatione atque hoc toto scripto consideret impietatem de hinc corybantum Monasteriensium, ut videant ex collatione, quomodo omnes consenserint & eodem odore & colore semper imbuti fuerint istius farinae.



homines phanatici, qui Ecclesiam turbant, scholas & politias evertunt, & omnia sine ordine miscunt, nihilq; aliud nisi tyrannidem & impietatem spirant. Ut igitur plene exstaret historia Monasteriensis, primo Ecclesia, deinde Secta & turba, & omnia illa, quæ vel habet Sleidanus, quæ item habet Albertus Hortensius in libro tumultuum Anabaptistarum: item quæ habet Lambertus Hortensius in libro tumultuum Anabaptistarum. Item quæ Bullingerus in postremo scripto contra Anabaptistas Anno 1560 edito de Anabaptistis Westphalicis vel Monasteriensibus, vel quæ exstant de istis in Tomo 2. Lutheri Witeberg. & in Epistola Antonii Corvini ad Spalatinum, deinde quæ obviæ venere in scriptis Poëtarum Johannis Fabri Bolandi, cum quo etiam ea de re contuli præsens, & Hermanni Kersbrochii, qui istud bellum carmine descripserunt, & quæ D. Sebastianus Münsterus in Cosmographia, & D. Erasmus Alberus in quodam scripto contra Sacramentarios & Anabaptistas edito &c. de hac re scripta reliquerunt, diligenter contuli, & quæ partim ex certorum hominum relatione & experientia accepi, addidi & recensui, eaq; non omisi, quæ proprie huc referri debent, adjectis quoque aliquot Epistolis Rothmanni & aliorum ad ipsum datis, quæ illustrius facient negotium totum. Ex scriptis hominum Phanaticorum & Corybantum Monasteriensium, hoc est sceleratissimorum Anabaptistarum, quæ ante & sub obsidionem ediderunt, deliria eorum pauca quædam breviter excerpta, unde cognosci potest, cujus fuerint Spiritus, & quo furore perciti. In libro, quem concionatores Rothmannus & alii ediderunt 8. Novembris anno 1533. de duobus Sacramentis, Baptismo et Cæna Domini, defendunt Anabaptiserium, & ajunt frangendum in Cæna panem, eumque significare corpus Christi. In libro, cujus titulus est Restitutio, quem emisere anno 1534. in Octobri, hæc verba leguntur, Gott hat durch die gelarten angefangen/denn durch die ungelehrtesten nach der Welt will er die restitution aufs herrlichste einführen/auf daß er allein den Preis habe. Dem nach sihe an/wie in Erasmo, Luthero, Zwinglio begunnen/aber in Melchior (Hoffman) Johann Matthes/und allhier in unserm Bruder/ Johann von Leida/ die ganz ungelehrt nach der Welt geacht/ die Wahrheit herrlich eingeführet ist. Ibidem mox deinceps defendunt suum errorem de Christi Intarnatione. Nam Capite quarto istius libri textum Johannis, Verbum caro factum est, invertunt imo pervertunt. Ibidem debacchantur in Doctores Ecclesia Argemina, quod propter istam suam doctrinam inique expulerint Melchiorem Hofmannum, fidelissimum ut ajunt, Dei ministrum: sic mutuo se muli fricant. Capite nono docent contra doctrinam Lutheri, bona opera esse ad salutem necessaria, & per ea nos salvari, ubi expresse & nominatim reprehendunt Lutherum. Capite decimo defendunt liberum arbitrium aliq; absurda. Capite decimo quarto probare conantur exemplis, Polygamiam & se-



parationem conjugiorum, quia ajunt ingressis per verum baptismum in novum regnum, novum quoque conjugium permittitur, quia vetera præterierunt, hoc est, ideo licitum uxorem dimittere vetulam, & ducere novam, Polygamiam non solum exemplis veterum & ex permissione Moysi probari, sed ostendunt mulieres post conceptionem non attingendas, ne sorore vel maculetur conceptum, ideo censent, potius à facundis viris aliam quoque ducendas, ut & illa imprægnentur. Addunt, nullibi expresse damnari in scripturis Polygamiam.

In conclusione loquuntur prolixè de suis rebus his verbis. Evangelium quidem literaliter hic Monasterii traditum est per annos tres, & ab hoc tempore sine fructu. Nam pene frustra sunt omnia tentata antea & ad hoc tentarentur, nisi collegissemus sanctos, & novo illos baptismo insignissemus. Quod incepimus facere Anno 1534. quinto Januarii. Cum vero hoc in nobis considerassent & vidissent impii (videlicet Evangelici & Papista) stitabant statim nostrum, hoc est, fidelium fratrum & eorum sanguinem, & conspirarunt contra nos, verum Deus semper nobis revelavit miraculose istorum conatus. Semel etenim cum forte prodicionem aliquam molirentur, quidam puer ex nostris transcurrit & præterit casu campum Ecclesiasticum Cathedralis Ecclesie, & hunc statim arripuit & circumcinctus acculentis ignis de cælo cadens, atque in illo fulgore quasi ex mediis ignis ipsi audita est vox hoc sonitu emissa, *Gehe hin / sage demen Brüdern / daß sie behuten / ich will für sie fechten.* Atque hoc factum est, quoniam istum insultus revelavit nobis Deus hactenus semper & non dubitamus quin Deus istos confundere velit. Hac illi in eo scripto habent expressè.

Item mox sic pergunt scribere ibidem. Nos in foro collegissemus 9. Febr. interim in camiterio trans aquas ad adem D. Virginis concurrebant adversarii nostri videlicet isti impii, & cum papistis monachis & Satrapis conspirarunt, mox aperiunt duos portas, videlicet portam virginis & portam Judesfeldicam intromiserunt Satrapas, rusticos & hostes. Etsi nos primò deposueramus arma & nos preparaveramus ad multitudine sanguinolentas tanquam aves, existimantes, non licere nobis pugnare contra hostes, sed potius omnia pati, tamen aliter docebamur ex revelatione Dei per Prophetam ejus (hic erat Leidensis) qui ex mandato patris respiciendum nobis esse arma ad pugnandum contra hostes. Ita nos fratres Christiani per triduum hesimus in foro, cincti quidem ab hostibus, tamen perfundebamur miris interea & novis gaudiis de cælo, atque sane iactantia exultavimus, ut saltaremus invicem, deinde nobis multa & varia



hibuit Deus spectacula, miracula & signa, per qua nos suos dilectos consolabatur. Visus est nobis per id tempus vir auream gestans coronam, qui dextera sua gerebat gladium, & virgam altera manu tenebat: item aliqua Imago viri conspiciebatur in aëre, cujus manus erant repleta sanguine stillante usque in terram. Visus est quoque albus equus sub aëre, cui insedit vir quispiam. In tanta vero latitia & miraculorum apparitione gaudebant fratres & veri Christiani exultantes & canentes gloriam Dei, idque semper per totum triduum, deinde propheta restabantur & promittebant nobis victoriam. Mox etiam unus ex nostris adversariis optime notus, adiecit hostes & ipsis annuntiavit poenitentiam & remissionem. Quod cum fecisset ex bono proposito, mox isti ceperunt illum. Est post pauca: cum jam impii essent magno numero collecti, & quasi tessera signassent suas & suorum domos, videlicet straminea corona, ut ita nos & nostros facile egerent (nam hic eis erat animus, ut nos omnes occiderent) en perfudit nos Deus nova latitia & incredibili gaudio, adeo ut esset multi ad nos converterentur. Deinde tres soles sunt clara die tunc conspecti, atque ipse aër conspiciebatur undique ignitus. Istitis miraculis nos confirmabamur, illi vero terrebantur: & statim his ita visis & factis petebant à nobis compositionem. Qua inita ipsi sibi male conscii statim excurrerant ex urbe. Ibi in ipsa etiam anxietate nos exultavimus & triumphavimus, & (nota) nostra facies mutabantur in auream formam & fulgebant tanquam aurum, & ipsi etiam lapides fori & domuum ibidem mutabantur in tam elegantem & fulgidum aspectum, ut crederemus, nos quasi in cælum raptos, cui gaudio hoc etiam accessit, quod omnes nos simul gratia Dei perfunderemur affarim & simul cuncti parvi cum majoribus prophetavimus: imo ipsi etiam pueri septem annorum prophetabant nobiscum: & profecto non fuit majus gaudium in terris, quam tunc temporis erat in nobis omnibus. Tandem ut diximus, aufugiunt impii ex urbe & cinxerunt nos obsidione. Sed nunc tempus est & adest dies restitutionis, ideo hodie placet Deo, ut restamus impiis, gladiis, fustibus & armis, ut purgetur terra, & in ea habitet justitia: deinde ut juxta Apocalypsin Cap. 18, ipsis duplo infundatur. Et mox ibidem die Veneris, qui erat 27. Februarii, cum magna esset tempestas, mandatum est à Domino per Prophetam convocare multitudinem & ipsis concionari ex Joelis Cap. 2. Illud equidem diem esse ex indicio certo tempestatis istius demonstrationem verissimam, ut aut impii exeant urbem, aut statim convertantur, & voluntatem Dei esse, ut in illo loco sancto & à Domino delecto, pii tantum habitent. His auditis ad nostram



accesserunt doctrinam multi ex adversariorum castris conversi ad nos: alii vero aufugerunt, sed nolimus permittere fugientibus, ut quicquam locum auferrent istis. Et mox iterum in obsidione porro hac maximas sensimus consolationes habtenus, & gaudiis profecto novis quotidie perfundimur, unde perspectum habemus, nos certissime ab istis hostibus libertos iri. Non possumus equidem gaudium fratrum nostrorum in tanto periculo eloqui, non miracula hic sub obsidione facta recensere, nec quæque literis exprimi potest, quot apparitiones, quot prophetiæ & alia miracula nobis per Prophetas sint revelata, qua quidem vera esse comperissimum est. Quid dicemus de miraculis? primo in conventu fratrum sunt illi Demones, & periculossime agrotantes in totum sanati, & multa alia elata, qua scribere prolixum esset, & quotidie talia & similia hic inter sanctos fratres acciderunt? hæc ibi.

Hactenus ex ipso scripto, quod domi habeo, eorum verba recitari, unde apparet, quomodo omnis ordinis turbatores fuerint, & utrumque ordinem, hoc est, politicum & ecclesiasticum statum, pervertierint, & deserviter Biblia sacra & Christi Evangelium, ad somnia suorum Prophetarum & ficta miracula attenderint, ut ipsi restantur suis verbis. Scribam etiam obidem, quomodo in sumptione Cœna alter alterum expectent & componant dissidia inter fratres. Hæc in illo libro leguntur in Cap. 13. Ex ipsorum compositionem, qua pertinet ad forum & politiam, isti transtulerunt ad Ecclesiam causam.

Sed nunc accingimur ad Historiam ipsam. Quam vera illa ipsorum dicta in Libro Restitutionis vana, falsa & ficta sint, non solum omnes liberi & sacrarum literarum amantes & ordinum (quoniam Deus est amor ordinis & non confusionis) observantes ex verborum illorum recitatione cognoscunt, sed etiam ex ipsa experientia, quia eventus aliud docuit. Perierunt itaque eorum mendacia ex diverso & longe alio, quam illa excitati erant sine. Nam suum, quod prophetabant regnum, diuturnum propeversum est cum Rege & toto regno, veluti & Müntzeri & aliorum. Ideo pius lector consideret, quod ex his omnibus apparet, quomodo cum Müntzero & sociis ejus semper & per omnia fecerint & ejus regnum semper hi corybantes secuti sint, & ita quoque perierint, mendaciaque sint ubique eorum manifesta.



ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ de RENATO  
EVANGELIO ET MOTU,

Postea incepto in urbe *Monasteriensi*, explicatio brevis, sed integra

*Auctore*

HERMANNO HAMELMANNO, L.

Cum circa annum Domini 1523. ageret Ludimagistrum in urbe *Monasteriensi* in schola ad *S. Martinum* apud *Henricum Vruchterum Olphenium*, fungens munere Conrectoris *Adolphus Clarenbach*, sanctus Christi martyr cœperat ibi plurimos cives erudire ad iustitiam, qui deinde emptis *Luberi* libris (erant etiam ibidem quidam mercatores hinc jam inde profecti, qui cœperant cognoscere veram Christi doctrinam) eamque apud suos late sequentibus annis propagarunt, donec tandem susciperet apud *Mauritianum* collegium in suburbio vocationem *Rotmannus*, de quo, antequam ad rem veniam, mox pauca dicam. Deinde ibidem Apocalypsin prælegerent in schola *Ludgeri* apud *D. M. Johannem Glandorpium* conrector *M. Johannes Cobius Alenfis*, Anno 1530. quod etiam apud multos strenue negotium promoverat, ut plurimi in ea urbe arderent zelo Evangelii. Nunc de *Rotmanno*,

*Bernhardus Rotmannus* in urbe *Stalantio* ditionis *Monasteriensi* ab obscuris parentibus, quos *Hermannus Kersbrochius* in suo scripto vel carmine de motu *Monasteriensi* veneficos fuisse scribit) qui primo in patria, postea ut pauper scholasticus, *Monasterii* sub *Timanno* anno 1515. aut circiter literas didicit, & in studiis fecit bonum progressum, tandem abiit *Daventrium*, ubi anno post sesqui millesimum 16 & 17. audivit *Murmeliam* & *Listrium*, scripsitque carmen doctum. Et cum ibi aliquamdiu hæssisset, suscepit demum in scholis trivialibus conditionem pædagogicam (quia propter inopiam *Academias* adire sua ope vel parentum non potuit, fuit etiam *Warendorpii* Ludimagister) Tunc tandem erat in collegio *Mauritiano* Scholasticus, qui hodie est senior & adhuc vivit, *Johannes Droste*, hic familiariter novit *Rothmannum*, & quia vixerat per triennium *Witeberge* adhuc *Luthero* cucullato, semperque amavit doctos, ideo juvit *Rothmannum* (Sic enim dicitur) & suavit ei similiter, ut iret *Moguntiam*, postquam aliquamdiu Ludimagistrum in diversis oppidis egisset, ut ibi Magisterii gradum susciperet. Quod an verum sit, ignoro. Est enim hoc mihi tamen ex fidis hominibus relatum.



Verum scholasticæ functionis, & demum istius vitæ & conditionis pertæsus, & jam sumpto grati Magisterii in *Moguntina* Academia quem ibi facile consequi potuit, cogitavit de ordine Ecclesiastico assumendo. Quem cum assequeretur, egit in diversis locis facillimam donec tandem *Monasterii* promotione ejusdem scholastici *Johannis Drosten* nobilis viri, qui amabat Evangelium & simul *Romanorum* ad *S. Mauritium* in collegio suburbano, quod habet annexam parochiam rusticæ plebis, vocaretur in ministerium circa annum, ut opinor 30. & simul ejusdem opera vicariam in possessionem consequeretur. Ubi iste suscipiens conditionem celebravit papistica sacra & concionatus est accurratè, & dulcibus verbis cum delectare tum movere potuit, ut erat ingeniosus, ejusque tunc vita quoque modesta & probata fuit. Interea quia jam cœperat cognoscere aliquid lucis ex *Lutheri*, *Philippi* & aliorum scriptis, palam is, cujus esset sententia prodidit. Paulatim igitur purius docebat solito, videlicet circa Domini annum 31. post millesimum quingentesimum à nato Christo. Cum autem puriorem doctrinam ita propagaret, & miros colores vivamque picturam sua eloquentia, ut erat facundus, ingeniosus & disertus, concionibus sinceris adderet, tota fere confluit urbs ad ipsius conciones, quas similitudinibus elegantibus & variis stilo exornavit, eleganterque abusus pontificios reprehendit. Cogitarumque cives plerique ipsius concionibus inflammati, & ardore religionis accensi de illo in urbem recipiendo. Verum Pontifici, ut hoc impedirent, mediocrem pecuniæ summam nempe 70. aureos *Romanos* ipsi conferunt, hoc prætextu, ut exercendi sui causa, cum ut cum aliis doctis conferret de religione, proficisceretur in diversas regiones. Discedit ille ( qui diu cupiverat audire & videre doctos in Germania viros ) munitus pecunia & instructus literis commenditiis nobilis & eruditissimi poëtæ *Hermanni Buschii*, tunc reverendi et *Academia Marpurgensi* in patriam ad illos datis, prius tamen pacto cum civibus facti in itaque de suo reditu. Et inde protectus ab quot Academiis & locis, ubi fructum aliquem & culturam ingenii præsertim in vera religione, percipere posset, imprimis *Witbergæ*, *Moguntina*, & urbibus Helvetiorum, præsertim in quibus *Zürich* *Insulanus* floret, perlustratis, redit post semestre in urbem *Monasterii* sub prætextu vicariatus. Nobiles verò Canonici summi tempore alii collegiati omnes, quidam etiam Mauritanici ( quoniam novissimi



ex eis amabant eum propter doctrinam & eloquentiam, & etiam erant puriori doctrinae addictiores) cum quibusdam senatoriis viris, moleste ferebant reditum *Rotmanni*, conabanturque eum remove- re à concionibus, sed id frustra fiebat applaudente populo, cujus suf- fragio ascendit suggestum, reponiturque in pristinum locum. Cum autem diverteretur urbs in diversas partes, & minor in urbem duci cuperet eum, major vero ipsum *Rotmannum* pellendum censeret, consuluerunt in medium viri prudentes, & antequam in urbem de- duceretur, scripsit prius ex sententia *Belholdi* Judicis, *Casparis Scro- derkenii*, Doctoris *Johannis à Wick*, *Johannis Langermanni* Senatoris, optimorum & piissimorum virorum, præcipuorumque gubernato- rum totius actionis ad *Philippum Melanchronem*, & *D. Wolffrangum* Fabricium Capitonem, Argentoratensis Ecclesie Doctorem & simul Lectorem ibidem ordinarium Theologiae, & ipsos consuluit, quid pru- denter in hoc Evangelii negotio faciendum esset, ut sine tumultu Evangelium in urbe Monasteriensi plantaret.

Suscipitur & introducitur in urbem pridie Dominicæ Invocavit *Rotmannus*. Cum vero major pars esset adhuc papistica, ineunt consilia Senatus & præcipui quique, quomodo ejiciant *Rotmannum*, & aliqui deputabantur, qui ex tota ditione *Monasteriensi* educendo *Rotmannum* ejicerent, ad quam collecta etiam erat pecunia: dein- de decernunt multam ab eis sumendam, qui negotium Evangelii promovebant, & illos vel capite plectendos, vel in exilium ejici- endos, qui *Rotmannum* introduxerant, statuebant. Ea res fit palam parti adversæ, quæ Evangelio favebat. Ideo aliqui cœperunt suos convocare & indicare, quid futurum, & cum multi accurrerent, com- moverunt populum ea relatione, quod jam manifestum esset, quid semper Pharisei, Sacerdotes & Pontificii contra Christum & ejus verbum tentaverint & adhuc tentent, videlicet exilia, mortes, cru- ces, gladios & ignes &c. Ea ratione commoverunt multos, qui omnes in templi *Lamberti* cœmiterium muniendi sui causa conve- nerant, ne inopinata opprimerentur à Pontificiis, (existimant quidam tunc aliquam stragem factam, quod ego pro certo non affirmo.) Interim cedunt Pontificii, postquam viderent suis sanguinolentis con- siliis commotam plebem.

Promoverunt plurimum negotium Evangelii viri docti & gra- ves, Doctor *Johannes Wick* (qui fuerat antea procurator Doctoris Jo-



*hannis Reuchlini Roma contra Hochstratum monachum & suos socios*  
 & tunc temporis erat is Doctor Syndicus urbis *Monasteriensis, Arnoldus Belholdus* Judex, *Caspar Schroderkenius, Johanne Langermannus, Caspar Judeveldius* & plerique alii. Tunc quoque illi, qui postea desecerunt ab Evangelio ad Anabaptisterium, ex quibus præcipui erant *Bernhardus Knipperdollingius*, item *Christianus Kerkerius, Hermannus Tilbekius* nobiles; *Gerhardus Kipenbrokiius, Henricus Badigerus*, qui posterior, cum esset postremus in tribunitia potestate (cujus ibi non fuit exigua potestas) quem vocat *Oldeman*, eo pro sua auctoritate ut senex promovit reliquos tribunos plebis & opificum præfides, ut in suam & eorum, qui *Rothmannum* sequebantur irent sententiam. Etsi vero viderent pontificii sua consilia esse irrita, nondum tamen cedere voluerunt. Nam prohibuit pastor *Lamberianus Timannus Cammererus* (qui ibi per annos triginta maxima cum laude scholam tenebat, & habuerat multos doctissimos collegas, inter quos fuerat & *Johannes Murmelius*) custodibus, ne aperirent templum, claves imo ad se claves transtulerat, ita accidit, ut in cœmiterio *Dominica* invocavit Anno 1532, cogeretur *Rothmannus* docere. Mox post duas aut tres conciones habitas in cœmiterio, colligitur multitudo, & perunt præstantiores à pontificiis, ut templum *Rothmanno* patefacerent, tametsi vi patefactum iri. Deligunt igitur Evangelici certos quosdam homines, cui causam Evangelii & apud Senatam, aut ubi res posset, promoveant & sedulo agant, inter quos fuit ille *Rodegerus* senex. In festum coepit (nescio an etiam in cœmiterio) *Zwinglianorum* more libelli communi pane triticio adonare & administrare coenam, & in partem similam dissectam distribuere solitus est. Hinc illi nomen coepit, ut appellarent eum *Stuten Bernih*, quia similia apud *Wesphaliam* dicitur & significat ein *Stute*. Cum hoc jam in initio æstatis fieret, & de hac re ubique fama illa longe lateque spargeretur, *Gerhardus Lamikinus*, qui tunc *Susati* præscribebat ordinationem Ecclesiæ Evangelicis, & *Gerhardus Coccinus Ala*, Doctor *Gerhardus Heckerus Olmuthensis* & *D. Johannes Westermannus Lippia*. Sed cum id frustra fieret, perscriptum hoc est ab illis viris doctis *Witebergam, Marburgam, Lantfrancam* & ad alios. Interim cum jam consecutus esset collegam *Bricium Nordanum*, erat hic ei autor imprimis cum reliquis civibus doctis *Johanne Langermanno Caspare Indefeldio* & imprimis Doctore *Johanne Wioke, Arnoldo Belholte* (quem alii *Bernhold* vocant) &c. ut deponerent.



ret istum morem, quod etiam videbantur urgere primò, qui ex *Haf-*  
*sa* mittebantur, sed ferè illos, ut & *Johannem Glandorpium* sua  
vulpina astutia flexerat ad rem Sacramentariam. Quamvis omnes  
ab illo in ea & aliis rebus desciverunt & defecerunt, postea odo-  
rantes ejus impietatem.

Provocavit deinceps Pontificios & imprimis *Timannum* Pasto-  
rem per affixionem thesium, ubi contra Missam & ejus horrendos  
abusus, & idololatriam, quæ circa Sacramentum Ccenæ Dominicæ  
exercetur à Pontificiis, & contra purgatorium, disputaverat; deinde  
etiam contra consecrationes Papistarum & de mediatore Christo  
contra invocationes sanctorum disseruerat. Et epistola adjuncta de-  
cernitur locus disputationi, domus fratrum (quod circa Pentecostes  
 fiebat Anno 1532.) ibi statuto tempore veniunt ex Pontificiis Deca-  
nus ad *D. Ludgerum* officialis (cujus nomen ignoro) *Timannus Came-*  
*nerus* Pastor, *Lambertinus* Pastor, cum suo olim Conrectore, tunc vero  
successore, *Johanne Aelio* & aliquot facellanis [scripserat autem ille  
*Timannus* paulo ante carmen scholasticum in doctrinam Evangelii,  
cujus erat tale initium: Hæresis postquam remeavit orco &c. sed isti  
opposuit contrarium & valde doctum carmen *Johannes Campanus* ille,  
qui hodie propter errorem de Spiritu Sancto detinetur captivus à  
Principe *Juliaco*, tunc *Witeberga* agens, cujus fuit tale initium: Ve-  
ritas postquam remeavit alto &c. Et sic per omnia istud priori erat  
oppositum. Item duo Concionatores monachi in summo templo  
Doctor *Henricus Humbertus*, *Osnaburgensis Dominicanus*, & *Johannes*  
*de Daventria* observans, ut alii ajunt, *Otto Beckmannus* (olim notus  
*Philippo Melanchihoni* & *Luthero*, cujus is doctrinam non susceperat)  
Canonicus antea & Professor *Witebergensis*, tunc vero præpositus  
*Egidianus Monasterii*, & ex domo fratrum *Johannes Ahusensis*, Pa-  
ter & frater *Theodoricus Bredevorth* cum multa turba Pontificiorum,  
qui sibi victoriam promittebant. Ab altera parte venit ipse *Bernhar-*  
*du Rothmannus*, *Johannes Glandorpius*, *Brixius Nordanus*, *Gerhardus*  
*Cotius*, qui venerat *Ala* salutandi causa fratres. *Buschius* decreverat  
interesse, sed morbo impeditus non potuit venire, & comites ipsi  
erant ac auditores, Doctor *Johannes Wick*, *Arnoldus Belholdus*, *Jo-*  
*hanna Langermannus*. Exorsus ibi *Rothmannus* [ut erat valde facun-  
dus, sive germanice sive latine aliquid proponendum esset] amplif-  
sime de autoritate verbi Dei, edoctus ex scripto doctissimo *Bu-*  
*schii*,



*sobii*, quod Anno 1529, editum erat de autoritate verbi Dei, disse-  
 ruit, & tandem digressus in defensionem suorum thematum, illa  
 prolixè ex scripturis & cæteris testimoniis vetustatis solide confir-  
 mavit, & ita illis amplissime confirmatis provocat Papistas, faciens  
 in illos verbis seriis impetum: post illum quoque cepit verba facere  
*Glandorpius*, in latina lingua mirifice eloquens. Audita oratione illa  
 tam splendida & *Rotmanni* & deinde aliorum, & deinde illius ani-  
 mositate conspecta, consternebantur animo tanquam fulmine quodam  
 Papista & coeperunt alter alterum intueri, ita ut nemo eorum  
 proferre quid auderet [quia jam antea *Otto Beckmannus* commissus  
 fuerat in quodam convivio cum *Hermanno Buschio*, & ita per illum  
 superatus, ut jam sine dubio, si adfuit, timidior fuerit.] Audiverunt  
 igitur turpiter omnes, imprimis *Johannes de Davenaria*, qui omnium  
 maxime contra *Rotmannum* in concionibus summi templi pugnave-  
 rat, qui etiam postea *Hammona* scripsit librum contra Lutheranos &  
 Anabaptistas, & præsertim contra *Rotmannum* & ejus doctrinam.  
 Anno 1533, quod etiam *Colonia* fecit *Johannes Hofius Rombergius Kir-  
 spensis*, ejus scriptum germanicum prodit, ut alterius latinum.  
 Sed cum *Rombergius* scriberet, videlicet Anno 1532, nonum erat  
 Anabaptista *Rotmannus*. Sed iste inquam monachus observans  
 primo fugit, quem deinde secuti sunt cæteri omnes pene. Cum  
 autem & monacho observantico ista fuga aliquando objiceretur, lo-  
 co excusationis dixit ille: cum hæreticis non est disputandum.  
 Deinde non erant ibi æqui judices, sed confusa disputatio à *Ro-  
 manno* incepta. Si quid potuisset, dixit *Rotmannus*, ivisset *Colonia*  
 disputatum. Tantum mansere ibi in loco disputationi designato tri-  
 tres illi, *Abusensis* & *Bredovordius* domi suæ, qui soli nihil tentare  
 voluerunt sine fociliis. Hac quasi parta victoria, cepit mirum in mo-  
 dum inclarescere per urbem, deinde auxit ei autoritatem verborum  
 copia & splendor, quia dono docendi, movendi & delectandi plu-  
 rimum in publicis concionibus valuit. Cum autem venissent duo  
 concionatores, missi ex *Hassia*, *Petrus Wirthemius* & *Godofridus Seab-  
 lep*, & tres adessent *Rotmanno*: deliberant numero sex conciona-  
 tores, ut *Rotmannus*, *Glandorpius*, *Brixius*, (& advenerat tunc rece-  
 ter susceptus post disputationem *Henricus Rullius*) *Wirthemius* & *Seab-  
 lepius*, quomodo Pontificatum inde primo quoque tempore profligent  
 Evangelium majori cum fructu doceri possit. Ad eam rem hæc et



ratio commodissima, de consilio *Buschii* pontificios errores conscribunt, & in triginta capita referunt, eaque Senatui tradunt. Sic interim animo parati, ut, nisi demonstrent ex sacris literis, hæc omnia cum verbo Dei pugnare, nullam pœnam reculent. Hic delectorum & Tribunalium, imprimis vero istius *Redekeri* instantia valde urgebat Senatum. Senatus (cujus tunc erant Consules & capita *Erdwinus Droste* & *Wilbrandus* plenius, qui quidem erant pontificiæ religionis) in curiam venire jubet Pontificios, & ea capita errorum proponit, & quia semper præ se tulissent doctrinam suam esse puram & niti verbo Dei, concionatores autem hoc ipsum pernegent, idque demonstrare velint etiam capitis sui periculo: rogat ex illis, an ea, quæ objiciantur, sacris literis confutare velint. Ad istum modum interpellati, jam antea confusi & turbati non potuerunt amplius hiscere, libere confitentes, se non scripturis, sed ex patribus & decretis posse sua quædam probare: Verum cum magnopere Senatui rem esse cordi viderent propter tribuniciam potestatem, respondet secundo libere & rotunde officialis & Decanus *Ludgerianus* jam absente illo *Johanne de Daventria* observantico (qui fugerat ad *Corbachianum* monasterium observanticum in Comitatu *Waldehiano*) & *Humberto* Doctore fugiente *Osnaburgam* ad Dominicanorum monasterium, nihil habere, quo se suaque defendant, præsertim ex sacris literis. Quod vero huc usque dixerint, suum institutum esse probum atque rectum, id opinione factum & ignorantia. Tunc Senatus quandoquidem erroris & falsæ doctrinæ convicti nihil habeant, quod opponant, & suam ipsi nequitiam agnoscant, jubet, ut in posterum à docendi munere abstineant, novis autem Doctoribus, qui detexissent ipsorum imposturas, locum in templis omnibus permittant. Post de voluntate Senatus atque populi templis singulis attribuuntur, ubi doceant. Sic *Rotmannus* ad S. Lambertum, *Henricus Rullius* ad S. Ægidium cum *Johanne Glandorpio*. *Petrus Wirthemius* ad D. Ludgerum, *Brixius Nordannus* ad S. Mauritium, *Godfridus Stralen* trans aquas. Venit quidam *Theodoricus* (opinor *Lippiensis*) ad S. Servatium constitutus. Eam rem ægre tulerunt & perquam moleste Pontificii, sed imprimis ii, qui primarium templum obtinent, omnes genere nobiles. Hi cum aliud non possent, irati discedunt, & ad ejus urbis Episcopum abeunt, & inito consilio statuunt occupandas esse vias omnes & aditus, nequid in urbem portari

M m m m m m m

pos-



posset annonæ. Nutante sic fortuna & præsentî imminente periculo dividebatur. Senatus & aliqui ad Pontificiorum opinionem accessere, inter quos erant duo Consules, qui comitantibus aliis quibusdam Senatoribus exeunt urbem & ad Pontificios deficiunt. Interea reliqui ex senatoribus & tribunis manentes in urbe, ceperunt consilium de conducendis aliquot militibus, quorum trecenti numero conducuntur muniendi urbem causa. Aliquanto post (circa festum nativitatis) omnibus jam undique viis obsessis, Episcopus & ii, quos diximus, Dumheri & nobiles ditionis atque urbium Capta *Telgetum* amplioris consilii ineundi causa conveniunt, ubi erant M. *Johannes Hovius* Cancellarius, M. *Eberhardus Aëlius*, præcipuus Secretarius & plerique alii. (*Telgetum* est oppidulum ab urbe ad milliare unum) illinc *Tollerabilis* ad Senatum & Tribunos adhue in urbe agentes mittitur cum literis in hæc verba. Desistant ab instituto, pristinumque statum restituant, sin minus, hostium numero futuros. Episcopus erat Comes *Franciscus Waldeccus*. Proxime ante ipsum fuerat Archiepiscopi *Coloniensis Hermannii Pii* Comitis de *Weida*. Frater *Germanus Fridericus*, electus in locum *Erisi Lovrenburgici* demortui, verum is, cum vel iis locis parum uteretur firma valetudine, vel quod aliquid esset odoratus, vel quod non eo loco & eximiatione haberetur, qua debebat, non ita pridem sponte loco decessit. In privata vita contentus in patriam reverterat, observato sibi certo annuo stipendio duorum millium aureorum, qui postea præpositus *Bonnenfis* factus est: sed resignato Episcopatu eligitur *Erisus*, Dux *Brunsvicensis* de *Grubenhagen*, jam tum Episcopus *Osnaburgensis* & *Paderbornensis*, qui cum statim moreretur, est electus nunc post illum demortuum *Franciscus* ille *Waldechianus* (qui erat *Mindensis* jam Episcopus renunciatus post *Franciscum Brunsvicensem*) & hunc quousque Episcopum creant *Osnaburgenses* eo tempore: *Paderbornenses* vero vercant in administratorem Archiepiscopum *Coloniensem*, *Hermannum de Weida*. Sed revertor ad historiam.

*Monasterienses* re deliberata nuncium detinent, & de nocte profecti, quæ natalem Christi præcedit, quidam Senatores & tribunos convocatis opificibus deligunt septingentos ex civibus, quibus ex militibus ducentos addunt, cum ex improvîso venissent, oppidum *Telgetum* capiunt, & occupatis portis per quosdam, ne quis evaderet tibicine flante & pulsatis tympanis incipiunt hostes in hostes



querere, & omnes comprehendunt. Hic quidam vehementiores volebant statim impetum facere in captivos & cogitabant eos occidere. Sed sunt impediti à cordatoribus, qui adornatis & comparatis curribus vinctos præcipuos imposuerunt & mox in urbem captivos adducunt. Episcopus forte pridie discesserat. In his captivis erant primi nominis Pontificii, & ex reliqua nobilitate nonnulli, inter quos erat *Melchior à Buren*, præcipuus vir in Capitulo & *Cellarius* (homo etiam ingeniosus & magnæ autoritatis ac eloquentiæ atque consilii non parvi, sed Papista maximus, & multorum liberorum ex diversis concubinis pater) & *Adolphus de Boswinckel*, ex Capitularibus quoque summus, deinde ex nobilitate *Bernbardum ab Oër* & *Henricum Schenckinck* ceperunt, sic opinor. Alii etiam eximant ex Senatoribus, Episcopi Doctorem *Jodocum Rolandum*, & Licentiatum J. U. *Johannem Marcellum* fuisse simul in numero captivorum. Deductis istis captivis in urbem, & non sine contumelia exceptis, rogant concionatores, quid sit ipsorum voluntatis, & an Evangelii prædicationem cogitent posthac impedire? Libenter illi respondent, se duros operam, ut ea doctrina vigeat, quod de illis mihi facile persuaderi patiar, qui erant ex Senatu Episcopi, *Rolando & Marcello Hessis* &c. Itaque fit de consensu Episcopi & Capituli pactio, verum Senatus & Tribuni mittunt ad Landgravium *Hessia*, orantes, ut Evangelii ac Reipublicæ causa dignetur adesse negotio & suos mittere. Is mittit Dominum *Jacobum de Thaubenheim*, *D. Georgium Nosbickerum* Doctorem, & Doctorem *Walterum N.* qui egerunt inter Senatum, tribunosque & Episcopum & Capitulares: atque horum interventu pactum fuit, ut reconciliatis animis & offensione sublata pacem utrinque colerent, videlicet, in sex templis Evangelium doceatur; quicquid sit impiæ religionis & superstitionis tollatur. In primario templo nihil mutetur, neque civitas quicquam ad se pertinere putet, deinde ut debitam obedientiam Episcopo tanquam ordinario magistratui præstent, & ut redditus annuos & pensiones libenter persolvant quotannis Pontificiis, &c. Hac pacis formula fuit Landgravii *Hessia* & Episcopi & ipsius clientelæ & nobilitatis & Senatus urbis signis ratificata. Hæc acta sunt die 14 Februarii Anno 1531. Interea in urbe paulo ante hunc transactionis diem ordinario more, elegerant in locum profugorum duos novos Consules, *Hermannum Tilbeck*, nobilem patricium (qui postea factus est anabapti-



sta) & ex civibus *Casparum Judefeldicum*. Ita omnes magno zelo audiverunt Evangelium, & erat magna tranquillitas per menses octo in urbe. Interea dedit *Romannus* suo collega *Britio* locum in uxorem & præcipui quique erant in nuptiis.

Octo vero mensibus elapsis venit *Monasterium Sarcinator* Juvenis quispiam Hollandus, *Johannes Boickholt Leidenfis*, Anabaptista de cujus parentibus sic scribit *Bolandus*, & referunt alii: *Johannes Leidenfis* natus est *Leida* in *Hollandia* ex illegitimo thoro: famula enim quædam *Westphala* inserviebat sartori, qui anum uxorem habebat: is igitur concumbens cum famula (quia & anum uxorem sprexit, & ex ea hæredes non expectavit) hunc *Johannem* filium genuit, tandem post septennium elapsum moritur anus uxor, & dicitur dehinc illa antea stuprata & vitiata famula, ex qua postea plures legitimos genuit filios: Scholis deinde tradiderat filium *Johannem* pater, donec & Grammaticos libros & scripta eleganter legere & intelligere, scribereque mediocriter didicisset, & præ ingenii acumen quædam ex latino sermone usu quodam citius perciperet, quam Scholastici plane addicti & traditi latinis literis. Semper fuit elegans adolescens novitatis & subtilitatis studiosus, & jam profectioris ætatis factus, assumitur ad opificium patris: Interim laboribus semper quantum potuit, suffuratur aliquid temporis, quod novis libris perlustrandis impenderet. Ita incidit in Anabaptistarum Sectam & opinionem, & perlectis *Melchioris Hoffmanni*, *Rinckii*, *Moxeri* & aliorum scriptis ita imbibit eam, ut acutissimus esset in illa defendenda. Propter periculum imminens sibi in patria & ubi apud *Belgas* non erat tutum agere, ideo venit in *Westphalia* invens cognatos maternos, ita infert se quoque in urbem *Monasterium*: & præcipuorum hominum clam domi sarcinator erat, in anno 32. fiebat, cum esset forte viginti duos & tres ad summum natus annos. Adolescens longæ ac decoræ statura, plane imberbis, cujus mentum vix pauca lanugo attingebat, homo eleganti & mira ut dixi forma, in sua dictione & idiomate valde facundus & delectabilis, mulierculis propter elegantem corporis dispositionem, faciem formosam & jucundos sermones eosque admodum blandos gratissimus & acceptissimus, qui se obsequio, humilitate, & loquelis omnibus accommodare noverat: Qui istis deinde dotibus adhibitis hoc, quod miram præ se semper videretur ferre sanctitatem. He



cum propter communem patriam, tum etiam formam & dictionem placebat *Johanni Matthæo*, profugo quoque ex *Hollandia*, propter Anabaptistarum furorem (nam is ex oppido *Harlemis*, ubi fuerat pistor, *Monasterium* venerat, ibique erat factus civis, ejusque uxori *Harlemiensi*, quam putant *Mariam dictam*, quæ erat formosa,) suscipiturque ab illo in hospitium. Hic quoque pro sua astutia paulatim insinuavit sese in amicitiam multorum divitum, quibus eleganter vestes adornabat, ut multis ita gratus fieret. Sic etiam contigit ei familiaritas *Bernhardi Knipperdollingii*, qui anno sequenti, videlicet 1533. cum hunc *Leidensem* amare inciperet, & deinde ei elocaret filiam [intellige notham] sic ipse enim rex dixerat in carcere, suxit ab ipso venenum, & simul ipsum *Johannem* & ejus dogma promovit plurimum. Ejus enim opera cœperunt nocturnos conventus agere & multos convocare: ibi sua mysteria docere, Catechismum suum tradere, rebaptizare & omnia pedetentim communia facere: & hujusmodi conventicula durarunt per duos menses, & valde cœperunt crescere numero, quia & *Matthaus* ille & *Leidensis* multos ex patria evocaverant. Quis vero fuerit *Knipperdollingius*, nunc paucis attingemus. *Bernhardus Knipperdollingius* honestis & divitibus fuit *Monasterii* parentibus natus (cujus frater *Johannes Magnus* semper erat *Papista Curthianus* & Decanus veteris templi *Paulini*) vir corpore præstans, fuit glaucis oculis, barba nigra, qui splendidis semper usus est vestibus, homo crassus, inflatus & prodigus, qui duxerat honesto loco natam uxorem (cujus pater erat *Henricus Selemecker*) scemnam piam, in pauperes munificam: is vero ingressu & verbis aliquam præ se ferebat gravitatem, novitatis semper fuit avidus amansque tumultus & petulans, quoniam jam antea propter petulantiam duos senserat carceres. Nam postquam *Fridericum de Weida* Comitem, tunc Episcopum *Monasteriensem* falsis semper jocis raserat & naso adunco suspenderat, amarulentaque scommata in principem suum jecerat, appellans eum *einen Spillen-Dreher* tandem desertur & accusatur ad præsulem, qui ei sruvit insidias, & demum abeuntem *Knipperdollingium* cum sociis *Lübecam*, & per *Osnaburgam* recta *Bremam* tendentem ex medio itinere capi jubet. Captum in oppido *Vechta*, reducunt in arcem *Horsmar*, & vinculis tradunt ministris Episcopi. Ubi detinetur tantisper captivus, donec intercessionem senatus sub certis conditionibus eximeretur vinculis, Rediens



in patriam, mitior videbatur, sed quia jam patrimonium jam erat absumtum cum dote conjugis, & magnum æs alienum contractum, cœpit varia tractare consilia, & apud se inire rationem, quomodo se in officio & pristina dignitate retinere posset. Itaque placidum & erga omnes affabilem sese præstitit ita, ut qui auram popularem aucupari solent, veluti *Absolon* fecit, ideo mirus erat simulator & dissimulator, non admodum eloquens sed subdolos. Cum autem se daret sententiæ *Hollandi*, & secum multos ad istam factionem pertraheret, vocato ad se huic filio dixerat ipsius mater tunc adhuc superstes, *O Bernhard Sohne / so du dich nicht anders richten werst / bes fürchte ich / daß du keines rechten Todes sterben werdest.* Te oro, inquit, ab istis peregrinis sejungere, ne polipragmaticus videaris, si quid æris contraxisti, feram tibi opem, ut solvas, modo tu tranquillus & modestus sis (*Corvinus* illum *Catalina* apud *Salustium* confert & dicit nihil esse de *Catalina* scriptum, quod in hunc non aptissime quadret: Magnam in eo corporis & animi vim, sed ingenium malum & audax est) Dissuaserat etiam frater & opem in solvendis debitis promiserat. Is erat Papista ut dixi, *Carthusianus* Decanus veteris Ecclesiæ *Monasteriensis* nomine *Johannes Knipperdollingus* mihi optime notus. Dissuaserat quoque socer & conjunx atque omnes, sed frustra. Quia cum *Johannes Matthaus* multique ex parte consecuti essent Ducem *Knipperdollingium*, hominem ex patria oriundum, putabant, se jam caput & præcursorem consecuto, ideo illico ad istam Sectam sese conferunt, quotquot erant seditionis æris alieni prolixitate gravati, prodigi, pauperes & tenues, qui aliorum bonis inhiabant, hi sese *Hollando* & *Knipperdollingio* præcipites dabant turmatim. Sed *Leidensis* magna sanctitate rem tractare videbatur, quia cum sibi jam aliquam autoritatem comparasset suavissimis verbis, eisque religione refertissimis & etiam discipulos sermonem miscere, & postquam familiarior ipsis factus esset propter religionem & experientiam in scripturis, astute movit apud illos questionem de Baptismo parvulorum. Sed is concionatorum sententiam de pædobaptismo risit. Qua re intellecta *Bernhardus Romanus* pro concione populum serio hortatur ad precationem, ut per ipsam doctrinam servare liceat, & ea à fanaticis hominibus corruptam defendere, imprimis autem ab Anabaptistis, qui cum



etiam latenter apud ipsos obrepant, & hominum cœtibus aggregentur, quorum opinio si vincatur esse futurum non Reipublicæ modo statum sed & religionis. Sic de suo malo fuit Propheta his, quemadmodum postea latius dicemus. Idem quoque fecerunt & alii Doctores. Quanquam jam iterum relapsus fuerat *Rotmannus*, homo magis quam anguilla lubricus in Sacramentariorum opinionem, ad quam etiam tunc pertrahebat *M. Johannem Glandorpium* & *M. Petrum Mirthenium*. Eodem tempore venit eò *Hermannus Stapreda, Morstensis*, (jam antea clam evocatus à *Leidensi* & suo Præceptore *Henrico Rullio* ex *Hollandia*,) is factus collega *Rotmanni*, mirum in modum laboravit cum *Leidensi*, *Johanne Mattheo*, *Rullio*, *Knipperdollingio*, & aliis apud *Rotmannum*, ut ipsum suæ sententiæ facerent consortem, ob Anabaptismum ut dicemus mox, & is audacior *Rullio* ipso tunc præsentem erat, & in publica etiam concione in parvulorum baptismum invehitur. Et hic quidem fuit alter veluti gradus ad novum istud doctrinæ genus. Vocatur igitur à Senatu *Rotmannus*, qui mox dat fidem chirographo suo, se nunquam suscepturum Anabaptistarum opinionem: Deinde quia jam late progressa erat illa Secta & postquam tunc de eis plurimus esset sermo in urbe, tametsi privatim & occulte res ageretur (nemo enim, qui esset ipsorum Sectæ, admittebatur) deinde nondum profitebantur illa semper palam autores *Stapreda*, *Rullius*, *Leidensis* & *Johannes Mattheus*, qui fuit aliquamdiu hospes *Leidensis* (in cujus ædibus primo conveniebant) neque docebant nisi de nocte, & quando somnum reliqui caperent, tunc demum peragebant mysteria. Sed re patefacta cum plerique cives fremerent & indignum esse clamarent novum dogma clanculum & noctu disseminari, minimèque ferendum esse in *Stapreda*, quod pædobaptismum damnasset, fit senatus consultum, sed frigidum & non admodum serium [ut solet plerumque in rebus divinis & seriis segnior magistratus esse,] ab urbe proficisci. Verum egressi, redibant sub noctem alia via, & mandatum à Deo sibi jactabant, uti permanerent causamque suam graviter & serio perficerent. Ibi *Leidensis* discurrens hinc inde per urbem cinxit sibi illa & magna gravitate & mira sanctitate multis anabaptisma persuasit. Nam dixit, cincturam & restim poenitentiam & serium laborem indicare. Hinc statim nomen Prophetæ apud plebem sortitus est. Cum hoc demum cognosceret *Rotmannus*, majorem



rem plebis partem accedere Anabaptistis, quia apud externos male no-  
diebat, cogitavit, quomodo se multitudini adungerent. Ita quædam  
causam, & tandem is clam conjungitur. Quidam tunc temporis  
vir erat bonus & doctus Secretarius urbis *Monasteriensis*, patria *Lip-  
psensis*, qui favebat cum Syndico urbis D. I. V. *Johanne Wick* religio-  
ni plurimum, & promovit negotium Evangelii vehementer. Itaque  
is religionis & Evangelii causa veluti hominem eloquentem & do-  
ctum sæpe invitavit *Bernhardum Rotmannum*. Interea cum conjunx-  
Scribæ istius, quæ erat pulchritudine mirabilis & corpore decoro,  
ex quotidiano convictu & aspectu insanire inceperat amore *Ro-  
manni* viri eloquio, autoritate & dispositione corporis præstantis (&  
forfan scemina in hac re consentientis) veneno virum interemisset &  
postea à *Rotmanno* ducebatur uxor, cujus etiam rei meminit *Johan-  
nes Bolandus* in Libro 2. motus *Monasteriensis*, sic ajens:

Non ego flagitium loquor exitiale nefandæ

Conjugis, quod ab hoc vir miser arte tulit,

Conjugis arte tulit Stygia sibi propter opacos

Concubitus avidi crimen adulterii.

Qua, inquam scemina jam ducta apparuit intralle in ipsum  
Diabolus, ut scribit *Melanchion*, quia talis rumor spargebatur in  
populo, & præterea jam antea apud multos in odia hominum ve-  
nerat. Itaque sese tanto facilius *Hollando* & aliis fanaticis homini-  
bus adjunxit, & cum eis postea cœpit furere Spiritu & quoque rem  
sacramentariam denuo propagare.

Dum ita redirent Anabaptistæ & eorum numerus augetur  
non parum, movit ea res Senatam & nonnihil etiam periculi ad-  
miracione quadam, itaque majoris vitandi motus & periculi causa  
jubentur in curiam venire tam Anabaptistæ, quam Evangelii Do-  
ctores (nam incipiebant auctiores facti prodire Anabaptistæ) &  
cum his aliquot homines eruditi ex Pontificiis. Cum paulo ante  
disputationem olefecisset *Brixius* suum affinem *Rotmannum*, factam  
Anabaptistam, graviter hominem admonuit de mundo in futurum &  
cum ille nihil proficeret, adoritur fratrem *Rotmannum* uxor *Brixii* &  
verbis, precibus, imo etiam lacrymis obsecrat & deprecatur eum, ut  
discedat ceptis, aut si ita pergas (ait soror) mi frater, te & hanc ur-  
bem perdes, & in exitium duces. Is tamen cum videret, se jam  
abiisse in contemptum apud externos & odiosum multis quasi indur-



tus respondit. Ego sic progrediar, quocunque meæ res cedant. Interea venit *M. Gerhardus Cotius Ala* (de quo alias in *Historia Alensi oppidi*) *Monasterium*, & divertitur apud affinem *Rotmanni, Brixium*, Concionatorem Martinianum, & postquam jam post aliquot septimanas, de qua re postea dicam, petiissent ministerium *Cotii* & quorundam aliorum *Monasterienses*, & interim *Cotius Lemgoviam* vocatus quoque esset, quaesivit veterem amicum *Rotmannum* aliquoties etiam de consilio *Brixii*, exploraturus ejus judicium (quia nondum erat omnibus manifestum, quid sentiret *Rotmannus*) sed is noluit esse *Cotio* domi, tandem cum *Cotii* uxor incidisset casu in *Rotmannum* & exposuisset suam adversitatem ei, deinde adjecisset jam suo marito oblatam conditionem in urbe *Monasteriensi* & simul *Lemgovia* in Comitatu *Lippia*, seque petere nomine mariti, quid illi suadeat, respondit: mi soror, sequatur maritus alteram conditionem, denn es wissst hier nicht gut werden. Ita propria conscientia hominem accusavit. Hæc propterea huc refero, ut ostendatur, hominem istum Israelitico Regi Saulo similem fuisse, qui aliquoties agnovit suum malum conatum, & tamen non respuit vel destitit ab instituto. Admonuerat quoque illum *Rotmannum* Doctor *Johannes Wick*, ac Senator *Johannes Langermannus*, & cum videret se nihil proficere apud *Rotmannum* Doctor *Wick*, & ipse technas ad versutiam inconstantiamque istius *Rotmanni* consideraret, se sectario graviter opposuit. Cum vero consulisset Senatus Theologos *Marburgenses*, illi prolixè responderunt, & plurimis prolatis argumentis pro pædobaptismo, resutarunt opinionem *Rotmanni* & suorum. Sed contrarium scriptum Theologis *Marburgensibus* opposuerunt *Rotmannus* & sui, ut in actis huic Historiæ subjectis demonstratum est à nobis.

Paulo ante disputationem etiam publice declarabat *Rotmannus* suam sententiam, & quod antea occultaverat, ingenium suum prodidit, sperans, se ita in ista disputatione confecturum reliquos concionatores adversarios, ut antea Pontificios vicerat. Itaque ad disputationem alacris erat, & quia cum *Rotmanno* defecerant ex Concionatoribus *Johannes Cloprisus*, qui tunc quoque advenerat, idem *Henricus Rollius* (qui fuit quasi autor istius rei) *Godofridus Stralen*, *Hermannus Strapada* & *Dionysius Vynnen Deistensis*, & jam advenerat *Bernhardus Crechtingius*, *Julius Phrisus*, viri eloquentes & docti, qui evocati erant à *Leidensi*. Ideo sex illorum erant in disputatione, instigatoribus &



animantibus eos *Johanne Leidensi*, *Knipperdollingio*, *Julio*, *Petris Crechtingio* & *Christiano Kerkeringio*, quem posteriorem jam ad se traduxerant ex nobilibus, ut multi referunt. Mox evocatur *Dulmonia* oppido *Hermannus Buschius* [ qui antea amavit vehementer *Rotmannum*, sed jam sectarium graviter confutat, & reliquis sinceris ministris Evangelii adjungitur in disputatione à Senatu, & iis quoque adduntur monachi fratres, quia jam antea abierant, & urbem deseruerant ceteri pontificii Theologi. Sic jam erant in disputatione à parte piorum *Buschius*, *Johannes Glandorpius*, *Petrus Wirtemburgensis* & fratres *Johannes Holtman*, *Abusensis*, & *Theodoricus Bredovius*, *Arnoldus Belholdus*, &c. Dantur Notarii excipientes singula, & ab hac parte *Buschius* potissimum, deinde alii prædicti locuti sunt; ab ista *Rotmannus* deligitur, qui solus verba facit. Disputationem illam & alia multa post finem Historiæ hujus subjiciemus, prout ea coram senatu habita est publice.

De hac disputatione sic scribit *Antonius Corvinus*, in libello de rebus *Monasteriensium*, von der *Münsterischen Handlung* &c. qui liber est insertus Tomo 2. German. Luth. Witeberg. Es hat aber auch ehe denn die Unfern (intellige *Hassiacos* Theologos) gen<sup>de</sup> *Münster* mit den Täufern gehandelt und vor dem Rahte disputiret *Hermannus Buschius*, *Johannes Glandorpius*, *Brixius Nordanus* und *Petrus Wirtemburgensis*, welchen ich zwar Zeugniß geben muß / denn ich ihre Disputation unter andern Actis gefunden und gelesen habe / daß sie sich in diesem Fall nichtlich / Christlich und ehrlich wider die Rottengeister gefesse haben / aber doch nichts mehr bey ihnen erlanget / denn darnach die Unfern haben bey ihnen erlangen mögen / und ist diese Disputation geschehen im drey und dreyßigsten Jahr / am 17 Augusti.

Circa hæc tempora è *Lünaburga D. Urbanus Rhegius* per literas Senatum & Concionatores monuit, ut deponerent hæresin. Sed id frustra fiebat. Isti Concionatores jam omnes Theologos contemnere cœperant; sed facile interim vincebantur, ut judicavit etiam Senatus.

Factum est autem per totam urbem notum jam finito colloquio, quod devicti essent Anabaptistæ in disputatione, ideo hic Senatus decretum publicum, ut quam primum urbe excedant jussit Theologorum *Marburgensium*, qui erroris convicti, & jam quoque ab aliis disputatoribus, ut *Buschio* & reliquis refutati erant. Cum  
actum



autem isti per Episcopi fines sibi non licere tuto proficisci dicerent, Senatus & fidem eis publicam impetrat, & viaticum una dabat: Ipsi vero, qui multo ante constituissent nusquam alio proficisci, clam ad suæ doctrinæ sectatores digressi latitabant aliquamdiu, & interim curaverunt summam suæ doctrinæ de impietate pædobaptismi & Cœnæ Dominicæ usu juxta *Oecolampadii* sententiam recte instituto, excudi, quam inter plebem & alibi late spargebant, & justo scripto, quod miram subtilitatem & sanctitatem præ se ferebat, multum plebis ad sese traduxere. Nam hoc fiebat Anno 33. octavo Novembris, ubi de suo negotio perversissime ex mutilatis scripturæ dictis acute differuerunt (erat autem Germanicum scriptum profectum ex *Rotmanni*, *Clophrisii*, *Julii* & *Leidenfis* officina) & subscripserunt tantum sex, ut *Rotmannus*, *Clophrisus*, *Rollius*, *Dionysius*, *Vinnenius* & *Straleus*, qui se concionatores Evangelicos in urbe *Monasteriensi* appellant & ibi scribunt. Cum hoc olefaceret Senatus, & ei offerretur liber, omnia templa claudit, uno solum aperto ad S. Martinum, in quo *Brixius*, Sororius *Rotmanni*, docebat, cui sperabant pariter *Rotmannum* cum Secta. Nam metus erat de aliis, ne Anabaptistæ, quorum tam magnus erat numerus, qui etiam augescebat indies, comitati suis Doctoribus, reliquos Evangelii præcones ex templis turbaret. Interim & disputationem ipsam & hunc librum Concionatorum Anabaptisticorum atque illam Apologiam, quam *Rotmannus* cum suis opposuerat censuræ Theologorum in Academia *Marburgensi*, ad *Wolfgangum Capitonem* & suos collegas in urbe *Argentoratenfi*, propterea quod *Rotmannus* semper *Capitonem* magni fecerat, mittit Senatus & eorum judicium petit, sed illi eruditissime responderunt edito scripto, quod adfertur serius *Monasterium* in Martio Anni 1534. cum jam ibi omnia turbata essent. Volumus tamen ex isto doctissimo libro annotare breviter summam totius scripti.

Scripti *Argentinenfis* autores ibi exprimuntur; quia subscripserant eidem Doctor *Wolfgangus Fabritius Capito*, *D. Caspar Hedio*, *M. Matthias Zellius*, *M. Martinus Bucerus*, *Symphorianus Pollio*, *M. Deiboltus Schwartzius*: (hic *Deiboltus* dicitur alibi latine *Theobaldus Niger*.) Hi eruditissime defendunt Theologorum *Marburgensium* censuram probantes, quod illi recte contra *Rotmannum* atque suos eorumque perversas opiniones pronunciaverint. De disputatione vero sic scribunt. *Swar unsere lieben Herrn und Brüder Burschius,*



*schius* und die andern/so in eurem Gespräch für dem Kinder auffgerichtet  
 ber/ den wahren Christlichen Grund in dieser Sachen gnugsam dargehen  
 und mügen wahrlich unserer lieben Brüder euer Prediger Einreden damit  
 nicht bestehen/ man hat wol bald neben zu etwas im Schein dargehen/ als  
 ob der Sachen wäre abbrochen/ aber wahrlich/ wenn mans im Grunde be-  
 het und erwegt/ hat man leicht zu sehen/ daß es Worte sind. Item in me-  
 dio libri sic loquuntur, (nam ego illa latina feci) noster dilectus fra-  
 ter, amicus & Dominus *Hermannus Buschius* erudite respondit Do-  
 mino *BernharDO* in hanc sententiam: Hodie foeminis porrigitur Eu-  
 charistia, licet hoc quoque non exprimat in sacris literis certo &  
 explicito præcepto vel exemplo, quia tantum duodecim Apostoli  
 & alii viri leguntur in cœna fuisse. Ibi quidem recte ille *Bernhar-  
 dus* respondet, eas comprehendi sub electorum & fidelium nume-  
 ro, cum in Christo neque mas neque foemina, sed valeat nova crea-  
 tura teste Paulo: sed quia ipse cum suis nascutus est in petendo à no-  
 bis novo & explicato quodam præcepto de puerorum baptismo,  
 quoniam eos non vult comprehendere sub fidelium numero, car-  
 igitur & nos in communionem muliercularum probanda non simili-  
 ter peteremus expressum mandatum? quoniam quod ille locum Pau-  
 li ad Galatas affert, ut ostendat, nullam esse viri & mulieris diffe-  
 rentiam in numero credentium, parum ipsum iuvat, quia ibi Apo-  
 stolus loquitur in Christo nos unum esse, attamen differentiam in-  
 tuit in Ecclesia, quia vult tacere in Ecclesia foeminam Apostoli-  
 idè quædam est differentia. Ita possunt quoque juxta *Rotmannus*  
 conclusionem arceri à Sacramento. Hic profecto nihil aliud respon-  
 dere poterit *Rotmannus*, quam illorum esse Eucharistiam, qui sunt  
 Christi, at foeminae sunt Christi. Ergo & Eucharistia. Item  
 dicimus & nos de pueris, qui cum sint Christi, ergo eis debetur ba-  
 ptismus, & si ætas accesserit, ut se possint probare, competit etiam  
 Eucharistia. Omne verum vero consonat, & ex vero nihil nisi ve-  
 rum sequitur. Si enim in Christo Jesu omnes promissiones Amos  
 2 Corinth. 1. Ergo & Abrahamæ promissio facta, non est ratificata &  
 firma, nisi in Christo. Si vero Abrahamæ filii promissit, se fore eis in  
 Deum, dato sigillo fidei circumcisione, quanto magis adveniente  
 Christo erit nostris filiis in Deum, & vult, ut propterea baptizentur  
 veluti illi circumcidebantur. Quod vero *Rotmannus* dicit, Apo-  
 los, tamen si sæpe loquantur de educatione puerorum, nusquam lo-  
 pan



men loqui de baptismo eorundem, quoque eum parum juvat. Nam cum semel etiam in gratiam essent gentes susceptæ, voluerunt etiam Judæi, ut ad ceremonias legis assueferent gentes & simul circumciderentur: Ergo censebant eas similiter non promissionis participes. Ideo his reclamavit Paulus, ostendens, non circumcidendos esse, quia Christiani habent signum fœderis à Christo acceptum Baptismum. Ipsi quoque salvificant textum Pauli 1 Corinth. 7. Nam soluta, inquit, ea quærit, quæ Domini sunt, ut sit sancta in Spiritu & corpore. In tali significatione antea dixerat, filios nostros esse sanctos. Quia & *Augustinum* sua mater assuefecit ad pietatem, & pro eo oravit, ut esset & fieret sanctus. Sed hic excipiunt adversarii dicentes, multos parentes esse impios, sed potest fieri, ut alter conjugum sit pius. Erat *Nabal* fatuus & ingratus, *Abigail* prudens & grata: deinde promisit Deus, se fore beneficum piis usque in mille generationes. Sint impii parentes, tamen cum Christianis cohabitent. Cogitemus, pios Reges, *Ezechiam* & *Josiam*, impios parentes habuisse, tamen eis benefecit propter *Davidem*, & mox: In omnibus suis argumentis vestri Concionatores ô *Monasterienses*, procedunt ex parte ad totum, atque illud quod secundum quid est, ad dictum simpliciter referunt. Sic Baptismum Christi adferunt. Sic exempla veteris Ecclesiæ adferunt; sic Rom. 6. quod significet mortificationem Baptismus, proferunt. Quod vero censent isti, pueros primum docendos & tum baptizandos, est mirandum, cum etiam id commode possit fieri post Baptismum, veluti in veteri Ecclesia Catechismus proponebant pueris baptizatis, quem cum recitare possent, confirmabantur. Sed multa habent similia in hoc libro *Argentineses* Doctores, quæ a nobis, inquam in disputatis ipsis contra Anabaptistas pro pædobaptismo argumenta prolata sunt. Ideo remittimus lectorem ad illa disputata in fine apposita.

Cum jam ita clam latitarent Anabaptistæ, nec amplius *Rotmannus* doceret publice, vel eorum quisquam, clam tamen concionatus est in ædibus quibusdam noctu *Rotmannus* cum collegis, atque tempus concionis ictu bombardæ indicabatur, & potissimum populus cucurrit ad conciones *Rotmanni*, quem semper ab initio dilexerant, & secuti erant propter eloquentiam. Etsi vero sæpe decrevisset aufugere *Rotmannus*, & mente alta gravissime revolverat hæc & illa, tandem, cum secum statuisset se ibi mansurum, cogitavit de



variis regnis, & ut retineret homines in suo ordine, ne quis fuga sibi salutem quæreret, incepit dementare homines toxico tabuloso. Ajunt enim, ab illo suisq; collegis post secundam intinctionem inficiatos iulle homines haustu potionis ex lagena tenui, in ædibus *Romani* & alibi (cujus rei etiam *Kersbrochius* meminit) homines isto potu inficiati quasi furibundi arma sitiebant omnes, & ad quolibet scelera perpetranda erant paratissimi. Persuadet quoque *Romani* Nymphis & Vestalibus trans aquas, ut ex suo templo & cœnobio omnia transferrent, ruiturum enim templum cum toto edificio cœnobitarum. Istæ persuasæ mira verborum perplexitate *Romani* transierunt magnam suorum bonorum partem ad ædes *Romani* & aliorum, forsitan ea spe id fecerat nebulo, ut illa bona hac ratione occuparetur, & deinceps in posterum occuparet & retineret. Nam existimant quidam, id ita subornatum esse. De utroque enim vellatum virginum monasterio hoc dixerat. Sed *Agidiane* virgines non tam subito sunt motæ, imo ne loco moverunt quicquam.

Mense Novembri mittunt Consules & Senatores ad *Philippum*, Landgravium *Hassie*, & petunt ab illo, viros aliquot doctos ad Sedam illam retundendam sibi mitti: ita ille mittit duos docendi causa *Theodoricum*, *Fabritium* [qui ab eo tempore in hunc sere Æm hæctenus fuit Superintendens *Gervesti* in ditione *Anholdinorum* Principum Doctor Theologus & insignis Hebræus] & *Johannem Melanogerum*, quem in publico scripto *Antonius Corvinus* appellat *Lingium*, & hic posterior, cognita rerum perturbatione, periculo etiam commotus, domum redit, quia propter illos recipiendos erat gravissimus tumultus, & aliquot cædes committebantur. *Fabritium* autem mansit (quanquam *Bolandus* dicat, utrumque propterea regressum esse) & jam inito fœdere ac pace statuta inter utramque partem post longam digladiationem, aperitur isti templum *Lambertinum*, qui strenue monebat cives, ut ab Anabaptistica doctrina diligenter caverent, atque in hoc stadio decurrit ac manit, donec Anabaptistæ, superiores facti, reliquos urbe pellerent, ut postea recitabitur. Cum alter collega *Fabritii* est regressus, vocatur Doctor *Johannes Westermannus* à Senatu in concionatorem Evangelii, quod is tunc ex urbe *Lippia* ejectus erat. Ne quid vero omnino desiderari posset, certam doctrinæ & administrationis Eucharistice formulam conscribit *Fabritius*, quæ probatur etiam ab adveniente Docto



re *Westermanno* & presentibus tantum *Glandorpio* & *Petro Wirthemio*, qui duo etiam in eo laboraverant, atque illa à magistratu & tribunitia potestate recipitur & probatur, quanquam *Redekerus* jam per *Rotmannum* alius esset factus, permissu deinde Senatus incipit rursus docere in aede *Ludgeri Petrus Wirthemius*: sed causabantur Sectarii de idiomate superioris linguæ sibi ignoto, quo *Fabritius* & *Petrus* utebantur: itaque eo pretextu bis convenerant armati in forum, sed interim à Senatu (cujus caput erat *Judefeldius* Consul, qui serio rem egit) & civibus vincebantur & in angustias deducebantur, & mirum cur non ista victoria, vel ex urbe ejecerint, vel ad supplicium duxerint. Sed in tanta turba pacem & mitigationem quærebant sapientes. Ideo cogunt ferre docentem *Petrum Wirthemium*, & *Westermannus* quoque interdum docuit. Sed hic se in omnes vertit partes & omnibus viribus expansis hoc unum agit *Rotmannus*, ut *Wirthemium* & *Fabritium*, *Westermannumque* templis ejiciat. Ita primo *Wirthemium* Anabaptistæ, præeunte *Rotmanno* & *Knipperdollingio* ejiciunt. *Fabritium* vero cum viderent Senatorum & præstantium virorum præsentia munitum, nondum quidem tum ejicere potuerunt, sed ut suam illam vim palliarent, *Fabritium* & *Westermannum* Doctorem & alios in disputationem provocabant. Jam erat mortuus *Buschius Dulmæ* in arce, *Belholdus* exierat urbem, & *Johannes* quoque *Wyck* Doctor & Syndicus, aut jam erat interfectus aut adhuc incarcerationatus. Nam maturius is egrediens urbem, ut se *Bremam* conferret, ubi suam operam Senatui addixerat, intercipitur in itinere de consilio & jussu *Dumherorum Monasteriensium*. Quæ res sic pertractata esse dicitur. Cum enim ille Doctor *Wickius* turbatis omnibus fugeret è *Monasterio Bremam* tendens, interceptus esse à ministris Episcopi ex sententia *Capitularium Monasteriensium*, dicitur circa *Forden*, arcem ditionis *Osnaburgensis*, [cujus quoque erat Præsul ille *Monasteriensis* Episcopus] & deductus in arcem ditionis *Osnaburgensis*, *Gorstenow* / quoniam huic plurimum erant irati Pontificii in urbe *Monasteriensis*, ut dixi, & habebant autorem totius tragediæ, postquam is sua autoritate & eloquio apud Senatum patricios & potentes promovisset Evangelium, & multorum egisset causam contra clerum & rastos sæpe, ita quoque procurator fuerat *Roma Johannis Reuchlini* contra *Jacobum Hochstratum*, *Coloniensem*, & *Lovaniensem* Theologos, ejusque causam strenue & fideliter executus



tus erat, quo nomine etiam omnibus Clericis & monachis infensissimus erat, qui omnes eum extreme persequebantur) veluti *Johannes Baptista* in carcere decollatus dicitur, & postea ejus corpus aggeri est inclusum, quod jussu & petitionibus *Rogeri*, *Smijpi* Decani, & deinde *Cellarii Melchioris à Buren*, per præfulem esse lectum fertur; ajuntque multi, hunc posteriorem *Melchiorum* aliquando tumulo istius Doctoris à *Wick*, dum forte ipse in arce fortissimè ageret, insultasse & dixisse: ò vicinus, vicinus, hic jacet hostis noster: Ita insultatum est mortuo præter naturam. Cum uxor illius Doctoris, quam pauperulam duxerat [nam dixerat sæpe, deceat divites, ducere pauperulas, ne illæ desperent] putaret maritum adhuc superstitem, tantum quod incarceratus esset, impetravit ab illusterrimo Duce *Ernesto Lüneburgico* intercessorias literas, quas cum obtulisset, hoc tulit responsi: Doctorem *Wick* mortuum esse in carcere, & jam sepultum. Hinc sic de eo Doctore scribit *Johannes Dorpius* in suo Libro de actis *Monasteriensium*, qui exstat in 2 Tomo Lutheri germanic. *Witeberg*. Ach das unschuldige Blut des frommen und gelehrten Doctoris *Johannis Wick* schreyet gen Himmel wider die Mörder / &c. Item unter andern der theure und gelehrte Mann Doctor *Johannes Wick*, erbärmlich um sein Leben bracht ist / &c. Ita quoque scribit *Antonius Corvinus* de eodem in suo scripto, quod in eodem Tomo Lutheri germanico *Witeberg*, exstat. Wenn Doctor *Johann von der Wick* noch lebte / solte man von diesen und dergleichen *Rotmanni* Bubenstück gar seltsam Ding hören. Denn ich ja dem gelehrten und frommen Manne / ob er wol umbracht / das Zeugniß geben musste, er außs hefftigste dem *Rotmanno* und seiner Kotten widerstanden / &c. Notetur & hoc testimonium. Sed videat Lector integros locos *Corvini* & *Dorpii* in 2 Tomo german. *Witeberg*, Lutheri. Fuit profecto Doctor ille usu rerum & experientia præstantis vir & pius. Fama quoque referebat, Episcopum istius facti valde poenituisse, & semper conquestum fuisse id *Dumherorum Monasteriensium* instinctu factum. *Johannes Langermannus* jam quoque abierat, qui postea *Hamburgæ* vixit, & sancte ibi mortuus est. Cum igitur illi præstantes viri abessent, & maxima pars plebis & plerique etiam ex patriciis accessissent ad istam Sectam, factus est insolentior & animosior *Rotmannus*, quasi præsentem Doctores Evangelicos contemnens, ideo provocavit istos, inquam, & omnes præ-



fentes doctos viros ad disputationem, in quam ita consensus Senatus, ut ex sacris literis tantum aliisque scriptis horum similibus & consentaneis res ageretur, adhibitis ex vicinis & peregrinis locis aliquot viris literatis atque bonis, velut arbitris, qui partis utriusque sententis & argumentis probe cognitis & investigatis decernerent, & tum quod si statuissent, ratum fore, quo sublatis tandem dissidiis pax restitueretur Ecclesiae. Cum vero Praesides nominaret *Rothmannus*, quos ipse ex sua Sectae hominibus vellet, & interim contra Senatum hoc velle, ut aut ex *Marburgensi* Academia evocarentur aliquot Theologi, aut ex vicinis locis, videlicet *Osnaburga*, Doctor *Gerhardus Heckerus*, *Susato Johannes Pollius*, *Hervordia* Doctor *Johannes Dreyerus*, *Lemgovia* *Gerhardus Oemikenius*, tanquam praesides evocarentur, cogitavit, quomodo disputationem posset evertere. Intellexerat etiam tunc à *Glandorpio* & *Wirthemio*, ad apologiam suam postremam, lectam coram Senatu, responsum esse erudite: & deinde jam videns, *M. Fabricium*, *D. Westermannum*, *Wirthemium*, *Brixium*, *Glandorpium* optime animatos & ad disputationem alacres, & simul doctos, recusavit conditionem, & disputationem cum suis repudiavit *Rothmannus*, inprimis, quod illi arbitri & iudices vocandi non placerent ei. Cum vero tam aequam conditionem subterfugeret, coeperunt iterum à vulgo contemni. Hanc vero maculam ut eluerent, aliam rationem ineunt magis compendiosam. Ex ipsis *Henricus Rollius*, veluti afflatus numine, per urbem discurrit in die innocentium ad finem anni 1533. & poenitentiam, inquit, agite & rebaptizamini: sin minus, ira Dei jam vos obruet. Hic coeptum est vulgo tumultuari, & quicumque rebaptizarentur, eadem quae ille, eodemque loco declamabant: multi quod iram Dei metuerent, quam isti tantopere jactitabant, simplicitate circumventi, homines alioqui non mali, morem iis gerebant, alii, ut in die Domini, quem instare dicebant, sancte subsisterent, terrentur & flectuntur, alii etiam, quo fortunas suas conservarent [adversarios enim Anabaptista possessionibus dejicere conabantur, & hoc factum fuit in diebus 28. 29. & 30. atque sequentibus ultimis mensis Decembris] clamabant ejiciendos impios, & occidendas omnes gentes. Hic incipiunt ex urbe fugere plerique viri prudentes, etiam Concionatores *Glandorpius*, *Fabricius*, *Westermannus* & *Brixius*, *Nonna Vestales*, Pontificii & Sacrificuli reliqui. Mansit ibi adhuc *Wirthemius*, & pauci alii rogatu Senatus.



natus. Ibi ab utraque parte fiunt vigiliae, constituuntur vigiles, & qualibet pars sibi ab insidiis alterius metuit. Ibi Pontifici, & qui erant *Romanni* sententiae, se conjungunt Evangelicis, & difficulter se retinent in suo statu senatorii viri, inter quos nonnulli incipiebant mutare, interim aliqua erat tranquillitas, sed non diu [quamvis templa essent clausa, quod postea eventus docuit. Sectarii vero circa Purificationis Festum muniverant se [quia aliunde huc multi confluxerant] isti omnes iterum ex suis latebris exierunt maximo numero, ut suam potentiam demonstrarent & reliquis terrori essent. Ideo turmatim ad forum facto concursu profiliunt, clamorem tollunt, & omnes non baptizatos jubent interfici tanquam paganos & impios. Deinde tormenta publica & curiam invadunt & multis vim faciunt. Alii autem [Evangelici & Pontificii conjuncti veluti olim Novatiani conjuncti Catholicis pugnarunt contra Arrianos & reliquas Sectas] ut se suosque ab injuria defenderent, locum trans aquas natare & aquis munitum occupant, dictum vernacula lingua *Dormater* / & in his erat *Caspar Judefeldius* Consul, & reliqui aliquot Senatores. Nam alter Consul *Tilbeckius* jam defecerat, mox jussu pii Consulis *Judefeldii* & aliorum Senatorum, pontes undique dejiciuntur, ne Sectariis pateret aditus ad eos opprimendos: deinde aliquos aditus patentes probe muniunt, ut ubique via Anabaptistis *turiosis* ocluderetur, qui in eo toti erant, ut istos e medio tollerent. Interim egressiendi & ingrediendi aditum per portam angustam retinent, quae vulgo dicitur *die Spiegel-Porte* / à speculo nomen habens. Hic mox *arminea* ferta parantur, quae armatis Evangelicis & sociis appenduntur, imo etiam illorum domibus affiguntur, ut discrimen esset inter utramque partem, hoc est, ex culmis lenibus factae coronae erant symbola Evangelicorum, ex quibus cognosci debebant. Ibi semper & singulis pene horis res ad arma spectare videbatur, & ex nostris numero nongenti collecti pii cum obruuntur ab adversariis qui bombardis, globis, fustibus & armis faciunt impetum in Evangelicos, illi iterum gladiis & machinis occurrunt hostibus, & emittunt tela valida potentiaque, & sic ad talem impetum excitantur à Consule *Judefeldio*. Ibi cruenta aliquoties fit pugna, & saepe multitus stetit à parte Evangelicorum, uxor ab Anabaptistarum. Iden conspiciebatur à parentibus & filiis, cognatis & affinis, &c. Haec in fugam nostri sternunt hostes & fugientes insequuntur Cor



Consule *Casparo Judefeldio*, qui dixit, agite boni viri, estote fortes, persequimini impios hostes, promitto adfore cras eos, qui mane auxilium ferant, ideo capiunt etiam aliquos ex ipsis. Noctu enim pugnabatur. Nam paulo ante curaverat tres urbis portas Consul *Judefeldius* invadi & occupari, quas muniunt exquisitis militibus, & tamen sub noctem interea emiserat Senatores *Hieronymum Buschum* & *Johannem Wechlerum* equites, cum famulis ad pagos vicinos, ut sonitu & campanarum pulsu convocarent rusticos, quo illi auxilium ferrent. Ibi excitatus ab istis duobus Satrapa *Walbeckianus*, *Theodorum à Merfeld*, & in multis pagis rustici ad prælium convocati sunt campanis [scripserant quoque suadente *Judefeldio* ad Episcopum pro auxilio] Hinc rusticus quilibet arrepta clava, vel rubiginoso se gladio vel hasta curva procedit. Satrapa prædictus mox famulis jubet quam citissime parari equitatum & adornari equos. Hinc cito præeuntem Satrapam cum delectis quibusdam equitibus & duobus istis Senatoribus, *Buscho* & *Wechlero* sequuntur rustici, qui numero quadringenti intromittuntur mane. Anabaptistæ vero interea aliquanto cecinerant per illam noctem, interdum nostros incitaverant, incusaverant & deriserant, cum vero ad fugam declinaverat, munierunt se in foro catenis & aliis mediis undiquaque, quoniam intelligunt victores suos auctos numero intromissorum, quorum majorem, quam ea per se erat, esse copiam putabant, & cognoscunt rusticos multos à quibusdam introductos esse, itaque re deliberata tandem depositis armis supplices facti hostibus suis, hoc est, à nostris petunt pacem, & tunc datis obsidibus offerunt se ad compositionem, tantum ut religionem suam salvam retineant, precantur, & promittunt large, se nihil amplius tentaturos contra Evangelicos. Ibi *Kerckeringius* & *Knipperdollingius* aliique multi facti sunt obsides, Et pax ita constituta, ut quælibet pars suam religionem libere sequeretur, promittunt etiam Pontificiis in collegiis suam religionem, & magistratui omnem obedientiam. Ideo quisque domum abiit, & dimissi sunt rustici. Hoc tempore dicitur *Rullius* [quod magistratus urserat] & ad *Trajectienses* abiisse, ubi dedit poenas suæ falsæ doctrinæ, ut diximus, relinquens hic *Stapredam*, discipulum, cum aliis. Quamquam sentiant alii, ipsum paulo ante ejectum. Nam imprimis ipsi infensus erat Senatus propter turbas ab illo primum datas. Sed *Judefeldius* & alii fuerunt nimium creduli. Nam statim sequenti ve-



spera sub noctem istius diei, quando dimissi essent rustici & compo-  
 sitio facta, à perfidis & fidei violatoribus [hoc subornante *Leideni*,  
*Rotmanno*, *Knipperdollingio* & aliis] clamatur ad arma, & concurrer-  
 tes omnes illi è machinis tela fera saepe emittunt, & armati in foris  
 & plateis, vociferationibus emissis, turmatim discurrunt, & vigilias  
 per totam noctem ducunt. Nocte vero finita, & ingruente die per  
 totum diem cursitant undique per urbem, & præcunt reliquis Pro-  
 phetae duo, *Johannes Marthaus* [quem se majorem pronunciat] &  
 Prophetam, & quoque divinitus constitutum ante dixerat *Leideni*,  
 & *Johannes Bucholdus, Leidenis*, & omnes ad poenitentiam vocant,  
 in adversarios Evangelicos valde stomachantes. Addidere illi, no-  
 cte præterita varia miracula & spectacula visa, lapides è caelo la-  
 psos, nunc hoc nunc illud spectaculi visum esse. Quod totum erat  
 confictum, lapillos enim sparsim ejecerant ipsi, & qua usi fuerint  
 arte, mox dicitur. Altera die, cum hoc ita molterculis nura-  
 ra credulis persuasissent, & tunc forte per radios solis resplendisset  
 inauratus gallus in pinnaculo turris Lambertini templi, &que inde  
 diversi colores prodire in foro viderentur, quasi ex resplendentibus  
 & rutilantibus radijs solis, [ut solet fieri, si ad aurum purgum splen-  
 deat sol] ecce, videte sorores, inquit, videte inquam prope, vi-  
 dete ignivomos dracones, qui vos omnes, nisi hanc doctrinam ac-  
 ceperitis, perdent: deinde conspersus videbatur sanguis in terra  
 quem dicebant de caelo delapsum, nam præterita nocte quidam de  
 consilio impiorum juveneam mactaverat, & ipsius recentem san-  
 guinem permixtum sale, ne coalesceret, per canales ita ad ædificia  
 fori & per plateas passim & spatiosum forum sparserat. Hæc & alia  
 ita commoverunt foeminas ignaras imposturae, ut omnes, quotquot  
 magno numero adessent, plorarent. Ita illæ ad ejulatum & plora-  
 tum excitatae & dementatae, ex omni urbis loco concurrunt ad fo-  
 rum, clamantes gemibundo ploratu, pater, pater, o pater, o pater  
 parce nobis. Ibi autem in tanto congressu coepit *Romanus* con-  
 cionari de signis & pro sua mira eloquentia summopere homines, &  
 præsertim foeminas, quibus semper gratus erat, commovit & pro-  
 digiorum denotationem exaggeravit, præsertim adducens *Agypte*-  
 rum exemplum, quod illi prodigijs non commoti ad poenitentiam  
 mox in mari periissent: Interim contra quomodo *Ninivite* alta poe-  
 nitentia servati essent: istaque concione ad plebem habita, multum



mam sceminarum partem ad suam opinionem pertraxit. Idem fecerunt duo vates, ut ea arte in suam sententiam pellicerent plebem, Ibi convocato Senatu *Judefeldius*, quia videbat, se in cassum laborare, in medium proponit, quid faciendum sit. Hic quidam censent, rationem habendam patriæ & adhuc pugnandum contra hostes, nec deserendam patriam, & isti habuerunt sui consilii plurimas rationes; alii vero dixerunt, postquam omnis conatus noster videatur irritus, & divites quidam à nobis defecerint ad hostes, & jam Anabaptistæ aucti nos fortitudine superent, & illi nihil aliud stiant, quam bona, vitam & salutem nostram, qui nullam fidem servant, ut hætenus perspectum, nec contractus aliquot ratos habent, qui, inquiunt, sunt extreme perditii, imò se perditos volunt, aut alios perdere: deinceps hoc mali quoque accidit, quod se magis in urbem conserant peregrini, atque deinde omnes, ut dictum est, potentes Pontificii, nobiles & patricii abierint, nihilque nobis spei superfit, nihil itaque est reliquum, quam ut & nos fugiamus cum literis, privilegiis & aliis, quæ Senatus solennia & insignia sunt, ne & illa invadant. Si vero id non fecerimus, mox aderunt isti furiosi, & e medio nos tollent, & statim nos occident, atque omnia, quæ Senatus sunt, occupabunt & perdent. Quæ sententia posterior est comprobata communi suffragio, & ita concluditur, ut omnes urbem deserant. Ideo Senatores deserere urbem cogebantur, etsi non sine periculo corporis sæpe salutem patriæ quasivissent. Quanquam in communi deliberatione inveniebatur, ut evocarentur illorum vates & sponsores, & audirentur, quid causæ proferrent: evocati *Tilbeckius*, *Kerkeringius* & *Knipperdollingius* interrogantur, cur fidem fregissent: isti in responsis dederunt, suos veritos fuisse, ne positis armis incaute opprimerentur horis nocturnis, ideo ipsos vires suas confirmasse, & se jam non amplius posse sedare plebem, cupereque illa obligatione liberari. Cum hæc audiret Senatus, magis se ad fugam adornabant.

Per id tempus omnia dogmata videbantur eversa, & quilibet sibi novum finxit doctrinæ genus. Etsi vero capita urbis exirent, erant tamen illo die ex Evangelicorum & Pontificiorum [qui jam conjuncti erant] numero magna pars in armis contra Anabaptistas, & contra eosdem iterum arma sumebant Sectarii. Ideo nihil aliud quam cruenta expectabantur bella.

Oooo ooo 3

Cum



Cum vero senes viderent & cognoscerent, fugere precipue ipsi singultus & luctuosas edebant voces, & quædam honesta femina, quæ nondum contagione veneni erant inficiata, magnis clamoribus & ploratu suum casum deplorarunt. Tunc omnes studiosi cum magistris, & quotquot adhuc ibi erant saniores ex Pontificis & Evangelicis se coniecerunt in fugam. Et si illa nocte fulgentes & rutilantes faces, vel igneæ flammæ apparerent, quæ sese in nubibus late exeruerant, & tandem dissolutæ per tenues auras visæ essent in culmine summi templi cadere [quod profecto urbis interitum & ruinam præfagebat,] tamen ex istis prodigiis, altera die majorem cupiebant occasionem incitandi plebem, ad suscipiendum dogma fanaticum isti. Interea *Bernhardus Rotmannus* & socii atque impunitus *Bernhardus Knipperdollingius* aliique plures *Ofenburgam*, *Weslalam*, *Warendorpium*, *Susatam*, *Hammonam*, *Cosfeldium* ad homines suæ gentis, & ita emissis literis in vicina oppida sui generis homines monebant, ut fortunis omnibus relictis ad se quamprimum advolarent: quicquid reliquissent, fore, ut cum usura decupli recipiant. His tam magnificis & amplis excitati promissis, & incredibili lætitiæ perussis, speram concipiunt de novo regno suæ impietatis erigendo. Hi erant homines audaces, prompti ad perpetranda flagitia, inhiantes alienis fortunis, otiosi, alieno ære gravati, dissoluti & seditiosi, quæ nullo legum metu coerceri cupiebant. Illi, inquam, maximo numero commigrant viri pariter ac mulieres, & certissima spe consequendi majora, præsertim tenuiores, & qui domi stare non poterant *Monasterium* petunt. Ita quoque multi *Hollandi* & *Perisii* concurrunt in hanc urbem. Ita brevi ingens incenditorum hominum coluvies *Monasterium* ex memoratis oppidis confluentes mox rebarbantur. Ita aucti factiosi isti cœperunt animosius currere per urbem, & multis in locis pavorem horrendis clamoribus faciunt. Oppidani igitur Clerici & præcipui, ut dixi, cum viderent talem epulatum mulierum & urbem compleri externis hominibus, subducunt se quam possunt commodissime, relictis Anabaptistis & promiscua plebe. Fuit hoc sub Bachanalia mense Februario Anno 14. fugientes plerique Evangelici, inciderunt in manus Episcopi, à quo sunt habiti hostium loco, ex iis nonnulli capitis adierunt discrimen. Nam *Theodoricus*, Concionator ad S. Servatium, vir simplex, cum de expectasset meliora tempora in urbe, jam exiens capitur & ple-



tur capite. Opinor id factum in *Bevergerne*, & hunc eundem esse, de quo dixi in *Historia Osnaburgensi*. *Henricus* quidam *Hammonensis* & affinis *Anthoni Guldenarms* est interceptus & *Telgeta* decollatus. Quanquam *Bolandus* referat, istos duos in prima turba Papistarum & Evangelicorum occisos esse, quod non est verum. Periclitabatur quoque *Petrus Wirthemius*, qui profecto vitam perdidisset, nisi dixisset, se à Landgravio in urbem missum, & deinde Landgravii intercessione servatus est. Ea re permoti reliqui oppidani boni homines, qui etiamsi urbem deserere cogitarent, præsens tamen imminere foris sibi periculum videbant, coacti igitur propemodum & invitati sunt regressi ad urbem & ibi remanserunt. Dolendum certe fuit, ita in personas innocentes tumultuatum fuisse sine discrimine, & rationem piorum non habuisse. Antequam veniamus ad Episcopi copias describendas, dicendum prius, quid in urbe actum sit. Debilitatis alterius partis viribus Anabaptistæ novum deligere Senatum cogitant, quod alii die lunæ bachanaliorum [*Bolandus* die Veneris esse factum ait] ibi prius per *Henricum Bedeckerum* senem, qui semper fovebat partes *Rotmanni*, & à quo totus pendebat populus, convocatos cives graviter monet, ut consentiant in novam electionem, quam censet commode fieri à novis duobus prophetis. Ibi proficiens Prophetæ jusserunt populum orare & genua flectere, quod faciebant ipsi primi, dehinc omnes in terram sese præcipites dant, & tandem surgentes istos pronunciant consules, quos ad hoc idoneos quoque judicabat *Rotmannus* & *Redikerus*, videlicet *Bernhardum Knipperdollingium* & *Gerhardum Kypenbrochium*, ætate juvenes & ære alieno gravatos. Nam *Hermannus Tilbeck*, etsi ex priori consulatione ad ipsos defecisset, hic præteritur, quoniam homini non satis fidebant. Ideo istis duobus & viginti duobus Senatoribus etiam de novo electis tradunt ita regim<sup>en</sup>, ne quid illi citra Prophetarum faciant consensum. Interim major Prophetæ jubet omnes esse in armis, ita totum diem & sequentem duxere insomnem. Mox die Martis, jussu Prophetæ minoris, *Johannis à Leiden*, ædem *D. Mauriti* sub urbem invadunt, & cum vicinis omnibus ædificiis incendunt & dejiciunt flatiles molas, deinde templa omnia die *Mercurii* arripiunt, & aurum, argentum, clenodia auferunt. Die *Jovis* vero primariam ædem intus labefactant, vitreas fenestras concutiunt. *Eriaci Lovvenburgici* Episcopi sepulturam splendidam divellunt, organa fun-



funditus frangunt, & quicquid potest dejici, perdunt. Imaginibus adeo infensi fuerunt, ut etiam pictarum in parietibus ac fenestris, facies, oculos, brachia, pedes & ora turpiter foedarent. Die Veneris post Bachanalia erat summa tempestas ex nive, ventis, grandine. Hic *Leidensis* minor Propheta currens per plateas clamavit, ista tempestas est certissimum signum irati patris, quod adhuc gentes & increduli ferantur. Ita currit quoque uterque Propheta per plateas, clamitans, poenitentiam agite, sed interea etiam convocat & jubet convocari omnes major Propheta, *Johannes Matthaeus*, ubi in medio populi in foro variis excipitur honoribus, mox in terram delapsus quasi in exstasi raptus somnatori similis apparuit, subito surgens jussit orare omnes ad patrem, ut hoc eis velit revelare, quod sit ipsis & urbi utile. Ibi varia precationum murmura sunt à diversis audita. Ille confurgens dixit erectus, patris esse voluntatem, ut omnino reliqui, qui non sint suae religionis, pellantur urbe aut occidantur, quia erit unum ovile & unus pastor. Unitas etenim & concordia morabitur hic. Quid tenebris cum luce commune est, quae fors pietati cum impiis, quid Deo patri nostro cum Dæmonio commune est. Hic erit regnum Sionis, placatum, placidum. Hic erit sancta habitatio fratrum, ut dicitur. Ecce, quam bonum & jucundum, habitare fratres in unum. Hac voce commoti omnes incipiunt furere torvumque videre, alii clavas, alii gladios & hastas, alii bipennes, alii ignivomas bombardas gestantes currunt per vicos & plateas, & etiam in aedes Christianorum ingruentes, eijciunt eos homines, qui non sunt de sua Secta, etiam foeminas & pueros, quibus minime pepercerunt, clamantesque dixerunt praevocantibus Prophetis, abripite vos hinc impii increduli, migrate hinc è vestigio vos Ethnici, nisi statim malitis ad unum omnes internecone deleri & mori, nam rebaptizari abnuentes extremo suppliciorum multabimus. Ibi nec precibus nec verbis amicis moventur, sed qui non erant de ipsorum sorte, urbe propellunt, nulla nec aetatis habita ratione neque sexus, ita quidem, ut in hac subita ejectione, & dum sese ante portam in tanto tremore profugi exuere cogebantur coram exploratoribus, ut ubique investigatio fieret, an etiam aliquid secum deferrent ex urbe, & fuga praecipiti, foeminae aliquot gravidae in tanta pressura abortum facerent. Cedite [illi ajunt] reprobi, cedite impii, & auribus obseratis nihil moventur eorum ploratu: ubi etiam



in ipsa densitate, qua ita pellebantur, matres ab infantibus aberrando se jungebantur non sine magno luctu & matrum atque prolium. Multi boni inquam territi talibus mugitibus & urbe turmatim migrant. Hic multi suas opes, domum & cætera bona, suppellectilem aliæque domus commoda deferere cogebantur, quæ postea nunquam recipiebant: matres quædam nudæ & vix exiguo vestitu induto evasere cum pignoribus suis: aliæ interim in tanto tumultu pressuræque, & tam subita ejectione desiderant duas, quædam unam, aliæque omnes proles suas, & tamen ita charissimæ matres avelluntur à pignoribus charissimis, quæ nunquam ab eo tempore conspiciuntur amplius. Quidam viri relictis uxoribus in urbe, aufugerunt: rursum quædam scæminæ, relictis in urbe maritis [nam talis disjunctio conspicietur *Monasterii*] ibi aufugere: Filii fugerunt neglectis parentibus, aut parentes fugam ineunt, & contemptis parentibus filii manent apud Sectam. Imo ibi frater fratrem, soror sororem, pater etiam filium, mater filiam, filia matrem, cognatus cognatum, maritus scæminam uxorem, conjunx maritum, affinis affinem, qui non fuit istius ordinis, fugavit & ejecit, dicens: abi reprobe. Ibi virgines vestales saniores & seniores, quæ vitio & pruriginæ carnis non capiebantur ad Sectam, ejiciebantur à junioribus. Ibi in die Sabbathi post Bachanalia, Deus bone, quantus ploratus, quantus luctus & ejulatus est auditus, quot suspiria, quot lacrymæ sunt ibi visæ, quando pauperes inermes & pene nudi & egeni exire cogebantur sine pecunia, sine subsidio vel viatico, & nihil sumere secum liceret. Nam aut exuere ante portam vestitum cogebantur, ut ubique conquiretetur, si quid forte ab eis in vestibus abditum esset acu & filo insertum manicis vel caligis vel calceis aut indusio & thoraci, imo pileis subtiliter intextum, tam exacte quæsierunt singula, deinde adhuc undique attingebantur ab exploratoribus. Si qui forte cognoscebantur & reperiebantur, qui alibi vel in vestitu, vel in calceis occultaverant paululum pecuniæ, non solum hoc auferrebat, sed etiam verberibus excepti sunt gravissimis. Ibi etiam audiantur quærulæ voces, lamentationes, & calamitas, ploratusque miserorum conspiciatur extrema, tamen contemnantur, deluduntur, & ludibriis, fustibus, pugnis & conculcationibus opprimuntur, vel etiam ad terram usque multi eorum conquatuntur, ita [inquam] furiosis sunt excepti illi, qui ante portam suspensi tenebantur, donec



nec priores per exploratores essent probati, tandem sunt dimissi misere. Mox ex portis egressi bis miseri nive & imbribus gravantur, & in maximo sunt luctu. Hujus truculentæ tyrannidis auctores erant *Johannes Matthæus Harlenius* & *Johannes Leidenfis*, qui se prophetas appellarunt, qui sibi jam ex suis viros militares conjunxerunt *Johannem Geel* & *Jacobum Campensem* centuriones. Ibi quidam eorum ab exercitu Episcopi interficiuntur, quidam turbantur, quidam de novo fugantur, aliqui metu perculti regrediuntur, & ex desperatione redeunt ad urbem, promittunt, se paratos ad suscipiendam eorum fidem & ad rebaptisationem & doctrinam, si intro mittant eos. Ibi habito delectu quidam recipiuntur ad servitium cum conditione. Deinde post omnes ejectos, qui non erant de ordine Anabaptistarum, jubet Propheta minor & patris jussu, ut aliquot delecti, omnes aedes ingrediantur & bona quarant, clausi & claustra securi & ferro reserari præcipit: aurum & argentum, obsonia, siliginem, lardum & alia conquiri & comportari mandat [inquam] minor Propheta. Hic erat fructus Evangelii sui.

Nunc etiam dicendum, quomodo pii & Evangelici concionatores erepti, alibi honestam conditionem consecuti sint. Dominus eripuit *Wirthemium*, ut diximus, qui postea ad Dominum *Tuorvium de Plessia* fit Ecclesiastes, & antea Dominus eduxit *Fabritium*, de quo diximus, quomodo *Gervesti* conditionem honestissimam consecutus sit. Eduxit & *Johannem Glandorpium*, qui postea multis scholis magna cum laude inservivit: fuit is oratorius Professor in schola *Maburgensi*: deinde *Brunsviga*, *Gastaria*, *Hannovera*, *Hamelungæ*, *Emmerich* & postremo *Hervordia* magna cum laude scholas gubernavit, & tandem etiam mortuus est. De *Brixio* dicam in Historia *Susatvianæ* Ecclesiarum. De *Westermanno* in Historia *Lippiensium* Ecclesiarum. Sed nunc ad obsidionem tendo.

Tunc crevit istis duobus Prophetis tanta autoritas, ut nihil illorum jussu fieret. Ideo factum est, ut ex revelatione confiteretur *Leidenfis* in urbe ministros in profugorum locum, inter hos primarium *Julium Phrisum* quasi Episcopum, deinde *Rotmannum*, tertio *Johannem Kloprissum*, quarto *Bernhardum Rechtingium*, quinto *Godefridum*, sexto loco *Dionysium Vynnen* & postremo *Petrum Simen*. *Petrus* quæ ægre tulit se inimum esse, ideo aliquando dixit patrem sibi manum ut esset ibi spiritualis Papa: *Petrus* ille *Simens* duxerat uxorem



dam *Amstelrodamensem* nomine *Alheidam Lysting*, quæ domi marito opibus præpotente relicto *Monasterium* profugerat, & Anabaptistarum focis se adjunxit, ut alteri viro nuberet] qui omnes ita ordinati à Propheta ea lege coram plebe confirmantur per majorem Prophetam præsentati à minori, ut nihil contra prophetas doceant. Hic igitur instruebant homines in domibus, plateis & foro, sed ita, ut obediētes essent prophetis: deinde matrimoniis jungebant quosdam, quorum conjuges auferant. Tunc *Johannes Mattheus* Pistor cum sua uxore, quæ erat eleganti forma & admodum adhuc juvenula [quam paulo ante blandimentis & magnificis promissis, ut erat magnus ostentator, *Harlemia*, *Hollandia* oppido, *Monasterium* abduxerat] invasit quoddam monialium monasterium, ibique habitavit. Sed *Leidensis* mansit adhuc in domo *Knipperdollingii*. Nunc de ob-  
sisione.

Antequam obsideret ad plenum usque urbem, Episcopus convocat Dumheros & totam nobilitatem aliosque ditionis sic satis amplæ, proceres, & de illorum consilio statuit urbem cingere. Itaque convocatis undique vasallis jubet citissime adesse ipsos. Suadent etiam præcipui, ut ad alios Principes legatos mittat, qui ipsis furores istius Sectæ, & carnificinam impiorum diserte exponant, & quæ præstulem necessitas coegerit ad obsidionem, aperte demonstrant & ita exposita prolixè impietate istius Sectæ, opem deinde eorum & auxilium implorent. Hoc quam primum fit, designata & emissa legatione ad Archiepiscopum *Coloniensem* & *Clivensem* Ducem & Landgraviū *Hassiam* spes ampla Episcopo promittitur, quia legati domum redibant & à Principibus istis optimum referant responsum. Mox convocantur Duces & centuriones [cinxerant interea urbem *Dicecesianis* hominibus & promiscua plebe ex tribus ditionibus, *Osnaburgensi*, *Monasteriensi* & *Mindensi* collecta] *Wilkinus Steadingius*, *Johannes Rasfeldius*, *Meinolphus de Hammone*, Duces, item *Johannes Grisius Tcklenburgensis* civis *Osnaburgensis*, *Wilhelmus Aquensis*, *Laurentius Horstenius*, *Hermannus Sithardus*, *Conradus Penningius* & alii centuriones, quibus omnibus datur mandatum, ut illico convocent conscibantque milites. Ita exiguo tempore maximus militum numerus concurrat. Et cum Episcopus audiebat, magno numero Anabaptistas se colligere in *Phrisia* & armare se ad expeditionem, ut juvarent cinctos intra muros, ideo exercitum propius ad urbem



maturare properat, quia tantum antea itinera intercepta erant. Illi milite cingitur urbs, & collecta cohors, quibus oblecta erant via, ex Diocesianis dimittitur. Meruerunt stipendia *Gelari* in oblatione, & quidam ex civibus profugis. Cum autem omnium primo cingerent urbem & obsidere inciperent, dies prima Quadragesima erat, ad quam obsidionem tunc suscipiebant profugi ea lege cives, ut eis parceretur constituto regimine militiae, & obsidionis deliguntur praefecti belli *Johannes Baro a Buren*, *Johannes Rasfeldius*, *Hermanus a Mergersten* & *Godefridus Mortienus*, *Marescallus* ditionis, nobiles genere. Cum autem viderent oppidani, se arctius obsideri peregrino & copioso milite, convocant suos *Knipperdollingius*, & gravissime hortatur, ut omnia, quae in muris & turribus & aggeribus sunt, reficiant quam primum, & deinde in hostem diligenter a muris & urbe propellere cogitent: monet etiam, ut corbes vimineos texant, & tuto compleant eos, ut sub eis tuto lateant. Istos appellant Germani *Schanz-Körbe*. Jubet deinde opera prophetarum, ut validi ad opera fossoria traducerentur, & similiter praecipit ex armamentariis deportari omnes bombardas & munitiones ad moenia, ad turres, ad aggeres. Hic omnes se alacres praebent, & cum tam subito non adessent ad manum equi cum curribus, ipsi viri & foeminae aequae prompti erant, & vehunt & trahunt omnia necessaria ad paratam & petitam defensionem & depulsionem hostium. Ita populus brevi tempore urbi vallum circumduxit, & occultos in vallis cuniculos egit. Interea dum ita in urbe muniunt & reficiunt omnia, adaptantur quoque foris castra, tentoria, propugnacula, protectoria rusticis & militibus cingentibus urbem.

Postea in die Palmarum voluit suarum virium periculum facere *Knipperdollingius*, & egrediens cum valida cohorte urbem noctu, perfiliit in aliquod tentorium vel castrum vicinum urbi, & oculis vigiliantibus, oppidani opprimunt multos dormientes, & cum castrum illud expugnassent pene, nisi ex alio castro opem tulissent, jam protigatis militibus ex priori castro, profecto magnam ex spoliato castris praedam & victoriam retulissent, sed repulsi sunt ad urbem. Jam vero aestate imminente saepe in aggeribus & muris clamant ad milites & lacefferere obsidentes dicendo: o ihr armen Priester und Pfaffen Knechte und Weiber / send Männer. Sed illi responderunt ex suis propugnaculis: Etsi sumus Pontificiorum ministri & quidem Sacrificolam



rum, interim ex vestris corporibus faciemus aliquanto apta sacrificia. Sed redeo ad urbem. Circa primam septimanam Quadragesimæ mandat major propheta *Johannes Matthaus* iterum, ut quod quisque haberet & reperisset auri, argenti, rei mobilis & deinde obsonii, cibum & quicquid ad rempublicam & œconomiam utile censeretur, id omne deferret in medium, capitis proposita pœna, & in hunc usum est publica domus constituta, ad quam aurum, argentum, clenodiæ & suppellectiles deferebantur, alia etiam, in qua excipiebantur obsonia. Ita quoque ad certos congregabantur frumenta, pecorum pabula fenum & stramen. Hac edicti severitate populus valde attonitus obtemperabat, nec integrum erat cuiquam, fallere, aut partem aliquam defraudare, qui primo Ananiæ & Saphiræ morte proposita terrebant multos, deinde puellæ duæ obsessæ Dæmonio vaticinabantur, & quod commissum esset, fraudis denunciabant, & illi non impunes abibant, sed erant in magno periculo. Ita quisque territus non solum sua bona conferebat in istas ædes, sed etiam eorum, quos ejecerant facultates, quas in suos antea usus assumserat quisque, eo defert in publicum. Interim illi constituunt Diaconos, qui per singulas domos quæsitum ibant, ut reliqua bona & suppellectilia in codicem redigerent. Ut autem animos populi paululum placarent, jusserunt, ut qui in humilibus domunculis & tuguriis habitaverant hæctenus, nunc splendidiore invaderent ædes. Sic aliqui nobilium Senatorum Pontificiorum ædes invadere cœperunt. Post hæc idem propheta mandat, ne quis ullum deinceps librum haberet aut sibi servaret præter sacra Biblia: reliquos omnes in publicum deferri jussit & aboleri. Hoc se mandatum divinitus accepisse dicebat: itaque magno numero libri comportati, quorum pretium excessit viginti mille aureos, flamma fuerunt absumti. Dicebant jam tempus esse, ut omnes sint docti à Deo, & tunc referebat, postquam semel essent instructi homines per ministros, non amplius eos opus habere externa instructione. Itaque concionatores pedetentim vivebant tanquam aliqui ex plebe, tantum quod conjugibus copulandis novo ritu & forma à prophetis præscripta vacarent, & quod aliquando ad animandum populum opera *Rormanni*, tum etiam aliorum interdum usi sint, nam ab eis conciones fiebant circa portas ad animandum populum. Ideo non statim Bibliothecas destruant, sed *Theodorici Zoviveli* typographi officinam spoliarunt,

PPPP PPP 3

nec



nec quidem ullis rationum libellis, imo etiam non sigillatis literis percerunt. Amovebat quoque & conciones ordinarias in templo, ut dixi, & Catechiticas instructiones, scholas & Scholasticorum institutiones ordinarias & exercitia. Item usum discendi artes & linguas aboleverunt. Novas leges proposuerunt, in primis ille *Matthias*, & eas valvis portarum affixerunt, sed se ut prophetas ab his exceperunt. Forte per id tempus faber quispiam ferrarius, *Hobertus Trutelingius*, ridiculum quid in eos dixerat, qui se prophetas ipsi vocabant, & cum casu obvium haberet *Johannem Mattham*, inquit, hominem insulsum, qui vult nobis divina promere, sed potius merdam proferret, *Sie sind schweiffende Propheten*. Eo cognito, multitudinem illi [& in primis *Matthias*] convocant in campum luminis templi [*Hortensius* putat fuisse in horto aut cimiterio divi *Lamberti*, sed in eo fallitur] & armatos jubent adesse, mox hominem arreptum in medium, ut vinctus erat, adducunt, acculant, capitisque damnant. Sic enim inquit *Matthias* ille: Hic maledicus ausus fuit in prophetas Domini ludibria facere, eosque convitiis lacessere, Jam novistis, quid acciderit deridentibus *Heliam*, quomodo ignis eos absorpserit, item quomodo *Helizeum* ludentes pueros duo usi lacera-verint? Ut etiam hic documento sit nobis, ne quis ex nobis per maledicentia scommata in prophetas torquat, exemplo in isto homine edetur, quia scriptura ait, iudicium & iustitia in domo Dei, eodem supplicio affici. Ut autem vi & violentia propheta retineri possent auctoritatem, coepere auspicia e cadibus & sanguine. Perculit ea populum vehementer: Primus autem ex his prophetis quem supra nominavimus, corripuit miserum & humi prostrato impingit hastam, absque vulnere mortifero tamen, utcumque magno profiliisset in eum impetu. Post illinc amotum alio, videlicet in paradisum, locum summo templo adjunctum transportari jubet, cum arrepta, quam vicinus adolescens gerebat, machina, jacentem pertransverberat: ne sic quidem isto statim extincto, cœlis patet. Cum sibi dicebat, nondum venisse tempus, quo mori ipsum oportet, ac Deum suam ei gratiam impertivisse. Verum ille sex post diebus vitam finiit: ea re cognita [puduit forsan ipsum suae fallae prophetiae, quod de fabro dixisset, istum ex relatione divinitus sibi patefacta victurum] ille & incitato impetu per urbem percurrere, Deum illi patrem mandasse clamavit, ut hostem ab urbe rejiceret, ideo se De-



cem creavit, & subinde in castra Geldrensum cum paucis aliis excurrit & aliquos cedit, tandem ea dementia redactus, ut solus praelongam hastam corripere & urbem exiret ad aliorum Germanorum castra, ubi propius ad castra venit, exceptus à milite Misnensi confoditur. Sic scribit *Dorpius* de eo. Sed *Bolandus* putat illum adhuc supervixisse, & postea suo suffragio *Johannem Leidensem* creasse regem, & isti tradidisse gladium *Gideonis*, tandem vero ipsum *Mattheum* cecidisse ait in autumnali oppugnatione circa Festum Bartholomæi, cum prius hostes per quatrimum emissis continuo tormentis tentarent aggredi urbem, & tunc alium in istius locum, quendam *Bartravum* fuisse electum scribit. Verum in ea re erravit *Bolandus*, quia vincens postea ipse rex confessus est in disputatione cum *Corvino* habita, à *Theusenschurio* propheta se creatum regem. Scribit autem *Horrensus*, quod cum multis aliis exierit *Matthias* ille urbem & cum ipsis simul à Germanis militibus sit occisus, idque diu post illum fabricum occisum. Ut res accidit, certum est, & de hoc inter scriptores convenit istum *Mattheum* prophetam periisse turpiter, ut manifestum sit, qui & quales fuerint prophetae isti. Et quanquam ipsius prædictionum detectus jam iterum fuit error, tamen socii prophetae [inprimis *Leidensis*] sic homines infatuaverant, & rem sic illo occiso ornabant ad vulgus, ut etiam magnum ejus desiderium excitarent, adducentes exemplum *Davidis*, qui privabatur dulcissimo amico *Jonatha*, &c. & simul calamitatem ipsis aliquam imminere & impendere dicerent viro tam præstanti sublato, juxta illud, justus rapitur ante interitum, quia is, inquit *Leidensis*, erat vir numine plenus & vir Dei: nec est, quod quisque moveri debeat tali ejus morte, cum exempla *Machabæos* & multos alios sanctimonia & pietate claros, qui pro populo Dei fortiter pugnando ita occubuerunt. Si quoque alii objicerent: Si fuit propheta numine Dei plenus, ut tale exitium declinasset, illi sciant, inquit *Leidensis*, eundem Spiritum in omnibus eadem impertiri, ideo multo ante, quam in hostem vaderet, eum casurum afflatu numinis didiceram. Neque vero licuit hominem fati sui, in quod inevitabili necessitate rapiebatur, præmonere. Sic enim illi visum est, qui bona & mala è doliis suis pro suo arbitratu mortalibus dispensat. Mittite igitur luctum & præsentem estote animo, & potius ei gratulemur, qui carnem exutus felix ad immortalitatem migravit. Hac oratione audita plebs posito mæro-



re, statim in demortui locum hunc assumunt. Interim se affabilem & humilem amicumque omnibus, ut *Abolon*, præbuit, inprimis illis, qui in auctoritate erant, quorum amicitiam ambivit, & jam coepit suam erga illos omnes observantiam declarare. Idem *Leidenfis* quoque dixit, sibi revelatum esse, ut, quam *Mathaus* reliquisset uxorem, eam in matrimonium ipse duceret, quæ etiam præ reliquis facta est regina postea. Biduo ante Pascha, hoc est, die Veneris, decurrunt in templa, & simul ubique campanas impellant, ex quibus postea machinas & bombardas [*Falkener*] numero 16 sibi fieri curarunt. Deinde quoque ex campanarum materiis alias machinas curuli arci [*der Wagenburg*] aptas, quas appellamus *Seld*, sibi adornarunt. Jubet deinde in templorum turres serpentarios gravioris generis subduci, ut ipsi perpetuo in hostem jaculari possent.

Aliquot post Paschatis Festum diebus vaticinatur *Knipperdollingius*, sibi revelatum esse, fore ut in summo gradu collocati deturbentur, alii autem è sordibus emergant sublatis. Deinde jubet omnia templa destrui, graviter asseverans à Deo profectum esse hoc mandatum. Itaque mos ei geritur, & quod è celo venisse dicebant edictum, magno studio perficitur in templis lacerandis, itaque tellurines & pavimenta templorum dejiciuntur. Ex his vero sermonibus occasionem sumens *Leidenfis*, cogitat, quomodo velit ipsum *Knipperdollingium*, ne sit illi impedimento, dejicere, & graviter illum inculcat coram plebe, quod sibi munus Prophetæ sumisset, non ad hoc vocatus divinitus. Interim, hoc tibi, inquit, erit poenæ loco, præsertim cum ipse dixeris & vaticinatus sis summos fore infimos, ut jam ex consule carnifex fias, & juxta tua verba ex summo infimus creeris; Hoc si fieri recusaveris, futurum est ut in carcerem trudaris. Etsi autem hoc ipse vaticinatus sit, tamen jam ita degradetur & sit carnifex. Ille minime recusans gratum habuit delatum munus. Cum vero illud libenter suscipias, inquit *Leidenfis*, & in ea re non repugnes patri, te mox, ait, ad majora promovebis, ut præcipuus in ipsius regno fias aliquando. Interim ea lege hoc tibi dico, ne posthac quicquam amplius tibi sumas citra meum consensum, hoc est, ut te in meum non ingeras munus, neque in minimo etiam repugnes meo vaticinio & jussui posthac. *Knipperdollingius* vero arripiens gladium, hoc inquit ense *Gideonis* vel *Jehoiada* ego omnes impios propellam & detruncabo, & impios illos Sacrifici-



culos & papunculos ab urbe abjiciam. Hortatur itaque mox omnes, ut illico multis ictibus globos in hostem mittant libere & copiose. Quod cum fieret ita, boatibus & pilis emissis in hostem ex improviso, multi in castris perierunt. Statim autem post bombardarum fulmina diras ex aggeribus execrationes ejecerunt oppidani in oppugnatores, & denudatis natibus illudunt castris, imo aliquoties verbis protervis & asperis provocant ad leviores pugnas, quas appellamus *Schermügel* / hostes, ajentes, vos *Pfaffnutii*, *ihr Pfaffen-Knechte* / *funt ihr etwas / so ihr driste und kühne sind*, si quid potestis, si quid audeatis, adeste vos miseri, scæminei imbelles. In diebus paschalibus jubet vates arma deferri, & quæ equitatu habilia erant, deferebantur ad ædes Episcopales in campo Ecclesiastico summi templi, quæ vero erant peditibus & miliribus apta, in curiam deferri voluit. Inde cuilibet petenti pro sua qualitate & robore corporis administrabantur & porrigebantur arma. Deinde mox iterum exiliunt ex urbe noctu, tacito gressu atque improviso, & vigilibus castris obruunt castra aliquot, & inde propullatis militibus ad pugnam tunc subito non paratis, auferunt prædâs & arma, sed milites puduit fugæ & reversi cum sociis excitatis insequuntur oppidanos, & non solum aliquid ex præda eripiunt eis, sed etiam decem Anabaptistas occidunt. Hanc injuriam ulturi pene singulis diebus excurrunt ex urbe ad conflictum à tempore Paschatis usque ad Pentecosten, quia sic erant persuasi, si quis ita caderet, eum summe beatum esse, & ideo sæpe oppugnatoribus damna dedere, nec quieti erant, quanquam multi ex plebe defatigarentur illis quotidianis irruptionibus & excursionibus, præsertim cum aliqui ex suis desiderarentur.

In vigilia Pentecostes cœpit ad convocatam multitudinem prolixam orationem pertexere *Rotmannus*, videtis, inquit, vos non aliter septos undique, atque erant ab *Egyptiis Israëlita*, sed Dominus per *Moysem* mirabiliter duxit suos per mare rubrum: Pharaon interim cum suis plane submersus in undis est. Hanc liberationem mirificis verbis, elegantissimis similitudinibus & concinnis dictis amplificando exornavit & plebi inculcavit, ut ista sua efficaci oratione non leviter moverentur ad pugnam, qui jam segiores erant facti. Ita quoque nobis, pergit dicere, faciet pater suis veris Israëlitis, si tamen strenue arma capiamus & irruamus in hostem nostrum, Pharaonem illum [intelligens Episcopum] vivit idem Dominus, qui



etiam hodie Israelitas per spiritualem suum *Moyſen*, vatem nostrum [intelligens *Leidenſem*] ſervabit. His & ſimilibus ſermonibus vehementer inflammavit iterum plebem ad pugnam, & callidiſſimis verbis feſſos excitavit, & languidos jam ad conſictum alacres reddidit, ut iterum aliquoties illo ipſo die & ſequentibus ſepe excurrerent ultro & hoſtem provocarent, omniaque læti & gaudentes ad pugnam adornarent & diſponerent tam in turribus muri, aggeribus, ſoliſ, quam in exitu circa portas.

In die Pentecoſtes mittit ad oppidanos Episcopuſ legatos, & petit ſibi urbem ac bona ibi relicta reſtitui, tanquam legitimo magiſtratu. Reſpondent proterve, ſe non agnoſcere iſtum papicalem pro ſuo magiſtrato, ſed habere ſe legitimum à Deo ordinatum magiſtratum, ſeque deſenſuros ſuas partes, & ſibi divinitus commiſſam urbem. Ipſe interim Papificuſ Episcopuſ ut tentet, jubent quod poſſit & velit. Hac reſponſione accepta, graviter ſuos monuit Episcopuſ *Franciſcuſ Waldehuſ*, & omnes ad expugnationem hortatur, prolixè oſtendens, quam juſtam cauſam habeat: deinde reſert, ſi fuerint militeſ ſeduli, forteſ & imperterriti, ſe magnam victoriam, comoda & bona reportaturos: Expendite, inquit, omneſ qui eſtiſ honeſtatiſ amanteſ, quomodo noſtri adverſarii omneſ legeſ, pietateſ, virtuteſ & honeſtateſ à ſe removerint, abjecerint & proſtratam ac neglectam habeant, tum deinde, quam inhonelli, quam ſcelerati ſint iſti omneſ, cum quibuſ hodie negotium erit nobiſ. Cipiunt enim iſti [ait] voſ omneſ & totam Chriſtianiſmi gentem evellam & exſtinctam. Hoc quaſo voſ, expendite, & nunc voſ totum & viroſ præbere, obſecro. Ita omneſ animoſe ſe accingunt ad expugnationem. Sunt autem delecti juveneſ aliquot & viri formioſi & animoſioſe à Ducibuſ & Centurionibuſ. Die autem Lunæ Pentecoſteſ hoc incipiunt. Ibi erant *Geldri* primi in acie, qui præterquam tunc erant ebrii, ideo nimium & intempèſtively properabant & ante tempuſ definitum ad oppugnationem currunt, non expectanteſ ex reliquiſ caſtriſ ſocioſ, nec quoque pro ſolito more, eorum tympaniſ & ſigniſ evocarentur, moras traxere. Ita contuſo ordine ebrii ante auroram currunt, inhianteſ ſoli prædæ & opibuſ urbem ſicque tendunt ad mœnia, idque noctu, cum debuiſſent diem expectare: ibi nec clamor Ducum, vel Centurionum admonitio, nec lociorum voceſ potuere ebrioſoſ illoſ ab inſtituto retrahere, nec illi



quid effecere, qui ipsos de temerario periculo fugiendo hortabantur. Temere igitur isti incipiunt oppugnationem. Dum ita isti aggrederentur urbem, coguntur reliqui ordines delectorum sequi *Geldros*, ideo sublatis vexillis & pulsatis tympanis conclamatur ad arma, ita omnes urbem aggrediuntur, doliis rebusque hoc diverso modo, more bellico preparatis & stratagematis oppugnationem tentant: proximi ibi post *Geldros* fuere *Phrisii* feroces admodum, tertii dehinc *Clevici*, quarto *Westphali* cum conferta multitudine sequuntur. Cum jam ad arma vocarentur hostes, convocat suos *Knipperdollingius*, & cui suum locum assignat in muris, aggeribus, & eos quoque animat, *Geldri* interim per scalas, per muros, per fossas repentes plurima tentant, sed ibi multi statim ex *Geldris* desiderantur, & plerique *Phrisii* cadunt, inprimis Nobilis quidam, ex veteri familia de *Euessen*. *Clevici* cum plurimos ex suis, tum vero virum precipuum quendam interemptum cognoscunt. Ita frustra oppugnantes urbem defatigantur omnes & pene desperant. Tanta namque vi oppidani rejiciunt hostem ab urbe, ut ibi nihil aliud quam clamor, dolor, ejulatus & miseria appareret. Ibi multi ab aggere turbantur, plurimi ante portas ruebant, alii in fossas demerguntur, & ita valde multi subito ceciderunt, vitam cum morte commutantes. Etsi vero alter in alterius locum succederet, & suas quisque partes fortiter tueretur, tamen omnes plerumque eandem cum prioribus fortunam experiuntur, aut vix elabuntur vel decimi quinque: multi quoque graviter vulnerantur, plurimi rejiciuntur ad imum vallum, quoniam ex vallis, aggeribus & muris obruunt propugnatores hostes, saxis oppidani quosdam e globis repellunt, quosdam hastis, gladiis & fustibus turbant: Cessante paululum oppugnatione, statim machinis bellicis & bombardis globisque summis tentant denuo aggredi urbem, & quidem ita, ut Mauritianam porta dejiceretur, & plurimos oppidanos opprimeret, quia cecidit super multos, quos occidit non aliter, quam turris in *Siloa*. Hoc casu sibi novam occasionem datam arbitrantur castra, quæ erant posita ad portam, quæ dicitur *die Hester* *Porte*, & quasi novam sibi putant fenestram apertam, ut illico sine difficultate ingrediantur urbem. Itaque facti animosiores fortiter nunc sedulo incipiunt ab ea urbis parte, quæ jam debilitata erat, denuo aggredi aggeres & muros, & quanto isti fortius instabant, tanto animosius & vehementius oppidani oppugnatores rejiciunt, qui



gloriose depellunt hostem unanimi consensu per ignitos globos, quibus non solum oppugnantes remouent, sed etiam templum Mauritii, in quo Episcopus sibi tentorium fixerat, graviter petunt & turbant. In huiusmodi laboribus aderant *Rotmannus* & reliqui ex suis, & ad constantiam & alacritatem contra hostes monuerunt eos graviter. Ibi in oppugnatione frustra tentata, canunt pœan oppidani & cachinnis, jocos, saltibus atque clamoribus suam & tantam quidem declarant lætitiã propter victoriã, ut etiam undique ad hostium aures perveniret. Ibi nocte sequenti circumeunt accensis factis vallum & aggeres, & sarcasms & falsissimis asperis que verbis insultant castris vulneratorum & agonizantium plenis *Knipperdallii* vates & alii, nec quidem satis fuit hoc fieri à vitis. Advenere etiam mulieres, quæ ascendentes simul aggeres deludunt nugacissimis vituperationibus hostem & milites, o vos, inquam, imbelles, feminarum milites! o vos tardi & ignavi Duces! o vos miseri & pucidi Centuriones! quid vos tentatis bellare, & arma sumere? pudeat vos istius dementiæ. Rectius fecissetis, si vestro Episcopo pontificio chorum ingrediuntis, & candidam stolam gestanti, ejusque *Dumheris* in choro boantibus præbuissetis vos comites, famulos & focios. Non enim vos ad arma capeffenda idonei estis. Tantum si coneretur offula, illam sumeretis forte, nihil aliud valetis & potestis, nisi videtis, quid vos impii & reprobi [ajunt tanquam rapzala] queam efficere. Jam vester ille Deus & Pontifex unctus & ralus Episcopus vos juvet, sanet vulneratos, excitet occisos: quid vos miseri, qui pusillanimes tentatis contra electum populum Dei? videtisne vos a Deo rejeptos, reprobos & injustos, nos autem electos. Quid, qui tentatis? His tam asperis & atrocissimis verbis, ridiculisque scommatibus & execrationibus exasperati & commoti Duces & centuriones illa ipsa nocte oppugnationem denuo tentare incipiunt: itaque sternere muros bombardis & laxis machinis pergunt, quia ipsis ira furorque arma ministrat, & profecto tanta tunc fortitudine & robore adoriuntur aggeres, muros & fossas, ut propediem ipsis res successisset, parum namque aberat, quin urbem cepissent. Sed oppidani non ignari istorum locorum, per quos aditus potuit hosti petere ad urbem, & earum viarum, per quas commoditatem scanderent, loci & tempore civitatem defendunt & innumeros repellunt milites.



tes, qui turbati, caesi, confossi & transverberati machinis bellicis perierunt. Cogebantur ita post oppugnationem tertio tentatam re infecta discedere, ita iterum milites receptis novis vulneribus ad castra sine gloria redeunt.

In urbe incipiunt denuo triumphare & ex muris, aggeribus, vehementius quam antea ex castris, & in eis vulneratis atque caesis conviciari, etsi etiam plerique ex suis vulnerati, occisi & caesi essent, atque adeo cruenta oppugnatione fuisset, ut undique fossae, moenia & aggeres maderent sanguine, tamen aequae protervi erant Sectarii, & genus illud corybantum. Perierunt etenim ab utraque parte in hoc casu tot homines, ut strages illa lacrymis non satis deplorari, & querulis verbis non exprimi possit. Deus bone, quot ibi querelae, quot ejulatus, quot singultus, quot lamentationes ibi audiebantur, & interim clamoribus & derisionibus insolentes erant oppidani illi, qui non multum detrimenti acceperant. Haec Anabaptistarum victoria omnes ubique per *Westphaliam* Sectarios refecit & eis animum addidit, strages vero castrorum omnes urbes vicinas & *Westphalas* terruit, namque ubique fama spargebatur, Episcopum cum castris expugnatum & plane victum esse: itaque ubique magistratus urbium timor non levis invasit. In urbe praeter triumphum, quem instituebant, etiam hoc in ore frequenter jaecitabant. Jam noster *Rotmannus* & vates vera dixerunt. Jam re ipsa comperimus, nos verum & electum regaleque sacerdotium & gentem sanctam esse Dei. Mane iterum jubentur a vate atque a *Knipperdollingio* [licet ipsum ad aliud constituisset officium] & *Kipenbrockio*, ut curarent refici muros, & quicquid in eis & aggeribus ruptum erat, ibi alia diruebant, nova edificabant, & consociatis animis non sine gaudio sub maximo labore urbem munire iterum adversus novam vim incipiebant. Interim mox *Bucholdus Leidenſis* propheta munimenta noctu conscendit, per speciem vigilias in murorum stationibus exploraturus. Ibi vestibus exutis totum se nudat. Inde simulato Enthusiasmo sese praecipitat, nudusque per totam urbem sursum, deorsum cum hujusmodi clamore vagatur, identidem ingeminans, venit rex Sion. Quod cum factum esset, initur consilium, & praecipui quique convocantur in forum, ubi adsunt *Leidenſis* & quidam *Batavus* in locum *Johannis Matthaei* prophetae electus, ut scribit *Bolandus*, & hi sequentes, *Rotmannus*, *Sirapedius*, *Siraleus*, *Crechtingius* & *Julius Phrisius*, Docto-



res: deinde *Knipperdollingius*, *Kipenbrockius* & Senatores, *Hermannus Tilbeck* [quondam consul] Nobilis, *Conradus Cruse*, *Lucas Gruberus*, *Henricus Poigeter*, *Magnus Cohus*, *Lambertus Biferbocke*, *Bernhardus Schertveger*, *Hermannus Ramertus*, *Paulus Scheringius*, *Jochimus Casus*, *Christianus Kerkeringius*, nobilis patritius, *Alberus Witeborius*, *Hermannus Schlotmaker*, *Henricus Gratius*, *Telemannus Schroderus*, *Henricus Redikerus*, *Theodorus Alifus*, *Borchardus Luchius*: item viri quidam primarii, quorum nomina propria ignorantur, quibus tamen hæc erant cognomina, *Bontorp*, *Forde*, *Mabberius*, *Rudda*, *Eflor*, *Wydeman*, *Borchman*, *Wullen*, *Felschover*, &c. Hi etiam omnes ab initio fuerunt præcipui autores Sectæ: illi igitur conveniunt, deinde multitudo: et ibi in medium consultatur, quid deinceps faciendum sit. Interim imposto aliis silentio dicit *Leidensis*: ego video regem Sion venturum & patrem aliquid mecum acturum, & ideo horrore vos, ut quiescatis, donec de patris voluntate passim revelata, vobis, quid ille velit, proferatur, quia per triduum me ad quietem componam. Redite igitur post triduum huc, ut vobis tunc patris voluntatem patefaciam. Hoc placuit omnibus. Is se contulit domi, & ut semper alias, aut interdum Enthusiasmus & raptusangebatur, aut interdum somnia simulabat, interim vigilabat domi, & tamen nihil loquebatur, sed scripsit in tabula suam teneri linguam ut *Zacharia*, patri *Johannis Baptiste*, acciderit. Post triduum [quia in cæcis erant omnia tranquilla] reversi omnes, qui interea hæserant inter spem & metum dubii, interim in futurum oraculum magna expectatione erecti, ad forum prædicti prodeunt propheta & præcipiens se humi in faciem sternunt, mox resurgens alter *Leidensis* nullum quidem verbum facit, sed chartam, vel, ut alii, carbonem adharere poscit, in eaque duodecim viros describit, docens, patris mandatum esse, ut hi summæ rerum præessent, & tanquam in Israël, cuncta gubernarent. Sunt autem illi hi, *Gerlachus de Wulson*, Nobilis, *Lambertus Leodiensis*, quoque Nobilis, *Lambertus à Bilderbeke*, civis *Cosfeldensis*, *Hermannus Eschman*, civis *Warendorpensis*, *Hermannus Tilbeckius*, Nobilis urbis & consul quondam, *Petrus Simons Phrisius*, [qui inter ministros erat infimus, qua forte non fuit contentus, ideo tunc à propheta exaltatur, ne aliquid novi moliretur, quia antea dixerat, sibi divinitus revelatum esse, ut esset *Monasterii spiritualis Papa*] *Johannes Oschenbekius*, civis *Monasteriensis*, & alii, quos



numerat *Dorpius*. Opinor tamen fuisse ex istorum numero *Knipperdollingium*, *Kerkeringium*, *Kipenbrockium* & *Redekerum*. Hos offert multitudini, quos divite lingua commendat plebi, & omnibus presentibus *Rotmannus* progrediens amplissime in oratione disserit de perpetuo regno Sionis, & evocatos istos duodecim presentat prophetæ *Leidensis*, ut illos confirmet & sacros signet. Ibi *Leidensis* omnibus tradit ensē, monens, ut suum nomen & regnum Sionis graviter tueantur contra hostes. Mox quoque jubet deligi aliquos, qui colligant reliquas opes & cibaria, quæ jubet conferri, quos electos quoque commendat *Rotmanno* & presentat ei, ut confirmentur. Ita eliguntur simili modo Diaconi aliquot, qui debeant rationem habere pauperum & mensæ inservire. Ideo etiam sex amplæ domus preparantur in hunc usum, & ad singulas portas una, in quibus vulgus pauperum, & quibus jam ablata erant bona & cibi, pascantur quotidie. Hæc omnia ut tunc confirmabantur, ita statim in effectum producebantur, quoniam in sex istis domibus exiguo & frugali mensa pascabantur miseri bis quotidie, & precibus incipiebant sumere cibos, & cœnam & prandium finiunt oratione. Ubi primo die adferebantur carnes recentes, altero fumatæ cum lardo, tertio die falsum halec, singulis istis diebus ad unum ferculum butyrum aut caseus apponebatur. Qui erant circa custodiam portarum & ad opera fossoria adhibiti reliquis discedentibus à prandio, postea ita cibantur quoque. Sumto cibo fiebat illis apud singulas portas à concionatoribus sex concio, quorum doctrina eò tendebat, ut animarentur in proposito. Idem fiebat vesperi cum vigilibus, qui, postquam essent jam cibati & exanimati audita concione tam vesperi quam meridie, in aliorum, qui laboraverant per diem, locum constituuntur, & lex ferebatur, ne quis ex operariis, nisi tertio die, rediret domum ad uxores & liberos, exemplo *Uria*, ideo unus sæpe per totos dies & noctes continuo cogebatur laborare, nihil habens, nisi in sumendis cibis & audiendis concionibus: nam per noctem vix horæ spatium somno dabatur. Et homines in illa *Ægyptiaca* servitute ex concionatorum persuasione permanserunt alacres, donec extrema fame debilitarentur. Interim tamen liberis & uxoribus in domo quadam circa forum publica prospiciebatur è publico quoque de obsonio frugali & tenui.

Cum jam Episcopus aliquot mensibus omnem belli sumtum solus



lus fecisset *Coloniensis* Archiepiscopus, *Hermannus* ille *Pius de Weida*, Comes, & *Clivensis* Princeps *Johannes*, auxilio miserunt pecuniam, tormenta, peditum & equitum cohortes aliquot. Interim quoque Episcopus, cum isti ex templorum turribus fortiter jacularentur in hostes, & interim ipsi à nemine feriri possent, vehementer sollicitus fuit. Ideo jussit, ut vimineis & pluteis ab illorum injuria se sui vindicarent, & hoc cogitat, quomodo fame eos premat, ideo urbem aggere cingit, ad excludendum comneatum. Postquam vero ad regnum per duodecim viros parata esset via, *Leidensis* erat illorum orator & os, & hi coeperunt novas leges condere, & securiores esse in puniendo & tractando. Paulo post factum est illo tempore, quando ignoratur, ut quidam, *Gregorius*, miles, postquam nonnulli dimissi essent ex exercitu Principis [ non opinor, quod is fuerit *Johannes Langenstratus* ] in urbem transfugeret & in auctoritate Sacramento Anabaptistarum, à *Knipperdollingio* hospitio exciperetur, apud quem adhuc hærebat *Leidensis*. Dormiens igitur ille *Gregorius* cum *Leidensi* in uno cubiculo, subodoratur, *Leidensem* ex suo lecto placide transcendere & abire in proximum cubiculum, seque in ancillæ domesticæ lectum reponere, cum qua stupri consuetudinem habuit. Cum vero adverteret *Bucholdus*, rem à *Gregorio* observatam, mane priusquam flagitium in vulgum dimanaret [ quia uxoratus erat ] *Gregorium* adit, atque nummo aureo ei donato ab eo silentii fidem paciscitur, ne ignarus esset, id sibi facere licere. Veritus tamen, ne futilitate arbitri indicio perditus in discrimen veniret & auctoritatem amitteret, paucis post diebus populum convocat, & rursum dicit, patrem aliquid revelaturum, ideo se ad quietem componit, & præterito triduo cum Enthusiasum fingeret, & se mutum diceret, tandem prodit, & dogmata quædam in duodecim articulos distributa proponit, abolitis prioribus, concionatoribus, illa inquam, ex mandato patris conscripta tradit Doctoribus *Leidensis* coram illis duodecim viris, jubens, ut scripturæ testimonio confutent ea. Quod si non possint, ad multitudinem relaturum, ut approbentur & sanciantur. Eorum hæc erat summa; Virum non esse devindum uni conjugi, & licere, quantumvis multas in matrimonium ducere; sed cum sententiam hanc Doctores impugnarent in primis *Romanus Strapedius*, *Crechtingius*, *Vynneus*, *Stralaus* & *Cloprifius*, convocat eos in curiam, adhibitis duodecim delectis Senioribus; Eo cum re-



sent omnes, pallium sibi detrahit & in terram abjicit una cum libro novi Testamenti: per ea veluti symbola testatur & jurat, quod promulgasset dogma, coelitus esse patefactum sibi. Gravissimis itaque verbis comminatur eis, quasi Deum non sint habituri propitium, nisi consentiant: tandem opinionibus conveniunt disputantes de exemplis veterum in antiquo Testamento, quæ in medium proferebantur, vobis quidem ministris Episcopis & Diaconis à Paulo prohibitum est, dum inquit, sit unius uxoris maritus, quasi dicat, reliqui possunt esse plurimarum uxorum viri, sed vobis ministris non item: Quanquam cum *Julio Phrisio* & *Simeo* egerat, ut illi statim irent in ejus sententiam dicentes, nullibi esse polygamiam prohibitam. De polygamia igitur constituenda & multijugo matrimonio ineundo Doctores omnes producentes exempla *Jacobi*, *Davidis*, *Salomonis* pro concione loquuntur in foro, in plateis, & in horto vel campo summi templi. Hic forte unus erat inter cives, qui palam in concionibus increpavit concionatores clarum exclamans, id falsum est, & cum verbo Dei pugnans. Velle enim se scripturæ autoritate contendere, unam tantum viro concessam, etsi ob causas ad gentem *Judaicam* fuerit olim dissimulatum, gentes quam vocamus ductum naturæ secutas hanc doctrinam semper detestatas fuisse. Propheta, ne sua exilimatio apud novum populum periclitaretur libertate hominis offensus, quoniam ille mandato Dei & priori lege arripi eum jussit & mox truncari. Coram plebe vero concionatur, novum esse & hæcenus inauditum regnum & cœlestem Hierusalem, ideo idem jam debere fieri, quod in terrestri factum erat. Hæc autem dicebat, ut tyrannidem palliaret, & populum in istum ita errorem pertraheret. Mox ille *Leidensis* ternas ducit uxores, quarum una fuerat ejus, de quo diximus antea, magni prophetæ *Johannis* conjunx, & antea *Knipperdollingii* filiam [opinor notham] sumserat sibi uxorem. Hoc deinde exemplum alii quoque sequuntur, ita quidem, ut in laude poneretur frequens matrimonii repetitio. Hoc graviter multos offendit, ideo consilia post octiduum cives nonnulli cordatiores agitarunt, conquerentes, se à peregrinis seductos esse, ideo se collegerunt, & quibus hoc institutum valde displicebat, convenerunt, & sic de hac re conferunt. Qui omnis est immunditiæ autor, ille nobis non dominabitur, ille ne erit Princeps noster, qui se tanta libidine contaminat? Anne ita ad beatitudinem per vitia



aditus patere posset? Pandamus potius hostibus portas, quam uti-  
feramus impietatem peregrini impostoris, qui sua quærit & non  
quæ Dei sunt: & ita alii alios, alter alterum monuit, ut tandem ar-  
ma sumerent. Dato igitur signo [quanquam hoc ad *Leidensem* & pe-  
regrinos delatum esset] mox pauci ex eis per urbem eos omnes  
qui doctrinam Evangelii sinceram amarent, in forum convocant,  
deinde Prophetam *Leidensem* & *Knipperdollingium* & omnes Docto-  
res, præcipue *Rotmannum*, comprehendunt & victos habuerunt  
per unum diem, quod ubi vulgus accepit, ad arma procurunt. Ibi  
reliqui peregrini, quibus hoc significatum erat per iudicium, statim  
parati & ornati mox se opponunt civibus Evangelicis, quorum nu-  
merus erat mediocris, & non levis ibi cædes committitur in foro.  
Sed *Batavi*, *Phrisi* & reliqui peregrini fiunt superiores, & ex civi-  
bus quosdam fundunt, quosdam in curiam propellunt, & in ea illos  
includunt & muniunt, & liberant ex suis victos. Hic altero die  
conveniunt seditiosi illi peregrini & statuunt curiam machinis belli-  
cis & majoribus bombardis aggredi, iisque collocatis ad valvas cu-  
riæ decreverant emittere tormenta, sed inermes cives, cum sibi nihil  
spei reliquum esse viderent, & se misere oculos cognoverunt,  
neque fuga salutem consulere posse, & socios quosdam defecisse, neque  
contra tantam copiam, in qua etiam erant mulierculæ, se posse tueri,  
fiunt aliis supplices, & extenso tegmine per fenestram, fatentur  
se victos & in morem supplicii valde demisse petunt veniam & ob-  
vixæ parcere, atque misericordiam eis exhibere: atque hac spe petunt  
dunt hostibus curiam cives numero quinquaginta & unus fere. Nam  
alii clam declinata pugna defecerant & tacite aufugerant. Ibi *Knip-  
perdollingius* & *Leidensis* alique profluit in curiam, & illos tanquam  
furiosi invadunt & capiunt, quosdam victos ducunt in campum  
Ecclesiasticum majoris Ecclesiæ, ubi quosdam ense truncant statim,  
quosdam pilis transverberant, reliquos delusos verberatosque per  
integrum biduum ensibus & hastis cæcos & vulneratos deducunt in  
istum campum, & quosdam iterum spherulis bombardarum trajiciunt  
multoties, alios medios bifariam diverberant, quosdam capite plu-  
ctunt, nonnullis oculos effodiunt, & multa genera tormentorum  
inferunt eis, quosdam palis & arboribus affigunt, ut veluti ad *le-  
gnum* more *Cambisæ* transverberent, hujus vel illius cor vel manus  
vel



vel oculum. Religatos ad arbores atque palos [cujus rei vestigia ibi adhuc hodie exstant in isto campo] tormentis trajiciebant, acclamante propheta primario, ut qui rem gratam Deo facere vellent, primum telum emitterent: ita alii alio modo necabantur. Erant autem ad hoc facinus perficiendum duodecim machinæ ibi adornatæ, ut de miserorum corio luderetur. *Knipperdollingius* tam triflis ministerii munus fere unus obivit, & summus suppliciorum talium excogitator fuit, quia quosdam amputavit, quosdam frustatim dissectavit. Sic omnes istos cives numero quinquaginta unum magno cruciatu afficiunt, qui polygamiam improbabant & cupiebant, rectius multa institui.

Dum intestini isti essent motus & tumultus, hostis propius venit ad urbem & fere illam cepisset, nisi fœminæ ipsam interea defendissent & hostem depulissent. Existimat *Bolandus* quoque fuisse quosdam tumultus de novo creando rege, & cives ac alumnos urbis voluisse pro Rege *Knipperdollingium* vel alium ex suis civem: *Batavos* vero & peregrinos voluisse *Leidensem*: & utramque partem certasse pro suo contreraneo. Postquam vero vicerant *Batavi* & peregrini, & jam esset apprehensus *Knipperdollingius*, se multis verbis excusaverat, ajens, id à civibus citra suum & mandatum & consensum factum esse. Jussit igitur *Leidensis*, ut quosdam ex istis civibus, qui pro eo pugnarant, ense feriret, & sic suam in hac re innocentiam & excusationem declararet. Ut igitur gratiam retineret *Knipperdollingius*, etiam illos, qui sibi optime cupiebant, & id etiam de suo consilio faciebant, ense de medio sustulit, & sic non solum proditor, sed etiam crudelissimus latro suorum concivium & contreraneorum vel popularium fuit. Hæc ne est summa tyrannis? Nam ista de illo *Bolandus* scribit, cum quo facere videtur *Hortensius*, qui scribit, quomodo ipse *Leidensis* ad judicium in curiam iverit, dicens primo ad judices: Sic dicit Dominus Deus pater, ut olim in *Israële* post judices *Saulem* regnare jussi, & proximum post eum *Davidem* ab ovibus abductum in eadem gente regio præfici: ita *Monasterii* in novo regno meo *Sion* Regem constituo *Johannem Boeholdi*. Cum vero reclamatum esset à judicibus, se prophetam non recipere, & illa ad plebem deferenda esse, is inquit: hæc est patris voluntas. Interim ego invitus ad hoc trahor, & mallem potius subulcum agere. Sed alterum est verum, quod non per se, sed per *Tausen-*



*Schurium* sit primo propositus & rex creatus, quod certum est. Interim de novo constituendo propter tumultum sua consilia & machinationes differt *Leidensis* per paucos dies. Cum igitur huiusmodi tyrannis esset in quinquaginta unum cives commissa, auctus est publice metus & mœror tota urbe, tristes passim per publicum, & demissis capitibus consternati miseri incedebant, atque poenitentiam facti & silentio animorum ægritudinem testabantur, timore contabescabant, multi neque consilium habebant, neque viam spectabant, qua fatale etiam evaderent: contra primores & illi iudices alique pertinaces sub imperio plebem continere propheta iussu constituunt. Ideo portæ nocturnis diurnisque excubiis multo quam antea intentius custodiebantur, ne quis vel per eas, vel è muris dilaberetur, aut ad refringendas portas animos ulli conlocarent. Et studiosissime caverunt ut vigilarent, ne ulla conjuratio vel conventio fieret. Sedatō igitur vulgo omnes quærebant pulchras uxores, nec erat puella amplius, si excessisset quatuordecim annos, quæ reperiebatur virgo, quin stuprum pati cogerebatur.

Ad octavum Calendas Julius, Anno 1534, in die *Johannis Baptistæ*, oritur novus propheta [verissime subornatus & etiam exaltatus populoque propositus à *Leidensi*] aurifex *Warendorpiensis*, *Johannes Tausentschurius* jam inauguratus antea à *Leidensi*. Is postquam per nonas hebdomadas regnasset, paucis diebus elapsis convocata multitudine in forum, hæc dicit [ait] Dominus Deus pater, abrogabis iudicibus magistratum: Episcopus & concionatores se functionibus abdicabunt, ut sufficiat in locum totidem alios, duodecim simplices, qui nullas unquam literas didicerunt, mihi constitues. His præcipies, ut verbum meum de verbo ad verbum populo meo recitent, inde Spiritu meo forti sine scriptorum auxilio & lectione explicet. Infundam in eos Spiritum intelligentiæ & sapientiæ. Inde conversus ad *Bucholdum*, & te *Bucholde* pater Regem constituit, ut primus non solum in Sione, sed etiam in universo terrarum orbe regnes. Postea conversus ad populum hortatur eos ad obedientiam, & gravissimis asserit verbis atque serio commemorato patris cœlestis hoc esse mandatum & voluntatem, ut imperium cœptius orbis terrarum *Johannes Leidensis* obtineret, ut cum vallis cœptius egressus Reges atque Principes omnes promiscue interficiat, si multitudini solum parcat [intellige more Turcarum & rusticorum]



inobedientiam] iis videlicet, qui iustitiam ament, utque sedem sui patris Davidis, possideat, donec regnum ab eo pater repetat. Oppressis enim impiis regnuros esse pios in hac vita. Hoc ratum statum habuit *Rotmannus*, deinde *Knipperdollingius* & multi alii. Is autem, cum hæc ita palam coram omnibus agerentur, continuo in genua procumbit, & sublatis ad cælum oculis & manibus, per multos, inquit, dies ò pater! hæc mihi revelaveras, & vos ò fratres & sœurs, scitote id mihi jam antea revelatum esse, sed nolui hoc temere proferre, nisi id aliorum comprobatione fieret, ideo etiam pater majoris fidei faciundæ causa alio ad hoc usus est administro. Ago tibi gratias pater, & nunc tuo jussu lætus suscipiam quod imponis. Interim cives quidam fremdebant sed clanculum, quia malebant aliquem ex civibus & alumnis urbis regnare, quam peregrinum illum, verum nihil audebant contra tentare, quia priorum, qui misere interfecti erant, vestigia eos terrebant. Ibi mox alter ille *Phrisus* propheta hunc procumbentem in genua perungit Regem tradiditque ei sceptrum, & promittit ipsi gubernationem æternam, *Tausenschurius* autem ei ensẽ tradit, hoc, inquit, ensẽ te pater donat [tradebat ei strictum ensẽ in mortaliũ omnium conspectu] ut imperium tuum propages, ut quantum hominum usque terrarum sit, tuo scepro subjicias. Deinde patris mandatum est, ut ea conscientie religione regnes, qua imperii gubernationem probaturus recte administret: jubetque concionatoribus jam abolitis ut Regem deducerent ad cœmiterium Lamberti, & veteres iudices sequerentur, quoniam ibi regnum initurus inaugurari deberet. Hic habita proluxa oratione ad populum *Rotmannus* in gratiam Regis novum regnum Sionis, & Regem idoneum à persona, forma, ingenua indole, corpore, donis & aliis, ipsum populo commendat, & velut Salomon juvenis ad regnum venit plenus sapientia, & tanquam prophetico Spiritu abundat David, talem ait, censeatis quoque hunc nostrum esse. Hinc mox *Batavi* peregrinique hilares & læti erant & symbola lætitiæ ediderunt, & choreas duxerunt cum mulierculis, quibus hoc gratum fuit, quia semper istis acceptus erat *Leidensis*, illoque die toto genio indulserunt & convivia agitarunt in gratiam regis. Rex autem factus illico duodecim iudices & viros abrogat de jussu prophete & mandato patris, & coronas etiam duas triplicis nexu, & vaginam & torquem, ad quam appendebat gemma præstantissi-



ma & sceptrum habens tres nexus, calcaria & id genus alia ornamenta sibi parari jubet ex auro lectissimo videlicet ducatorum. Digitos replevit annulis infinitis. A collo pendeat catena aurea monilibus & lapidibus nobilibus visenda. Globus aureus orbis tumulorum referens totus aureus, aureo argenteoque ense decussatum transfixus, in summo connexo crucem & ipsam auream habebat cum hujusmodi inscriptione, Rex justitiæ hujus mundi. Is globus appendebat catenæ aureæ eique annexus erat. Habebat equos triginta unum domi, cum quibus quando processit, erant omnes ornati auro, purpura & bysso. Ehippium vel equissellam habebat deauratam. Procedens argentea erat indutus veste, quæ fuit adombrata carmasino. Ædes delegit in medio urbis in campo Ecclesiastico, habitaculum & domum habitaculis splendidam & præstantem cujusdam Dumheri Nobilis ex Baronibus de *Buren*, nati *Melchioris* nomine, Cellarii in majori Capitulo. Et res optime conveniebat. Nam cum ille *Burensis* fuisset multarum concubinarum & nympharum amator, ita illius ædes quoque invasit res, qui fuit etiam multorum conjugum & concubinarum maritus. Ista omnia jubebat quoque adornari ibidem primaria reginæ, quæ fuerat prioris prophetæ conjunx. Ibi statim electus ubique affigi jussit valvis publicis, ne quis tentaret aliquid contra regis præceptum & mandatum. Anno isto suo symbolo, *Gottes Krafft ist meine Macht*. Deinde omnia jubet denuo ex communibus ædibus, & quicquid adhuc quidam privatim habebant, in suas transportari ædes, quæ ex auro & argenteis gemmis & reliquis adhuc in urbe reliqua erant: Mox novas dedit leges, easque severissimas, ut in summam omnes redigerentur severitatem. Jubet quoque nova cudi numismata: aurea, in quibus teste *Urbano Regio* sic legitur: In regno Dei unus Rex justus super omnia, &c. Argentea quoque, quorum nummum magnitudine talenti. Dat inquam nova jura & novas leges. Post electionem paucis mer diebus præteritis, novas choreas & convivia mulierum & quorundam virginum, quæ curarunt sibi erigi altam arborem ornata nexa & viridi corona circa quam compilatis manibus sese mutuo in gyrum, voce canorifera præeunte ducebant: ibi viris prætereuntibus pocula præbebant. Cum relatum esset Regi de ista læticia mulierularum, prodibat eques ad eas regia majestate incedens & undique ornata cum sua regina, quæ tunc decem habuit pedissequas, quas deinde



subsequerentur tres reliquæ uxores non tamen ita ornatae ut primaria, sequuntur etiam famuli. Ibi invenit prophetam jocantem, qui multa loquitur de procacitate, elegantia & jucunditate puellarum *Westphalicarum*, & multa turpia & scriptu horrida immiscet sermoni de impudicis tactibus, spurcitiis, illicitis concubitibus, cui sermoni prophetæ æque scurriliter respondet Rex & turpissime loquitur de turpi amore. Cum autem omnes mulieres & virgines operam darent, ut saltu & cantilenis placerent regi, accidit interea, ut pro sua libidine ad illas priores suas uxores eligeret ex isto numero adhuc duodecim præstantes corpore virgines & puellas, quas quoque sibi assignat uxores, ut ita numero quindecim haberet conjuges [excepta primaria adhuc ab his] quanquam nonnulli existiment earum septendecim numero fuisse: sed ita hoc conciliatur, sedecim erant uxores, & unam aut alteram manifestam habuit concubinam. *Corvinus* ait, quatuordecim numero fuisse uxores. Lectus & thalamus erat Regi ornatus aureis tapetis, & quæ debebat cum Rege in isto lecto dormire, singulis noctibus aut interdiu, ad aulae fores erat chartis assignata & expressa proprio suo nomine ex istis septendecim. Quæ si vel propter infirmitatem muliebrem vel alia de causa recusaret condormire Regi, & non veniret statuto tempore, statim altero die, ut *Vasthi*, juxta illud jus in libro *Ester* scriptum, solenniter repudiabatur & alia in ejus locum eligebatur. Cum autem ista turpitudine in tot delectis uxoribus, & levitas illa, quod nunc duodecim illos abjecisset judices, prius ab eo electos, veluti antea Consules & Senatam abrogaverat quoque, plurimum viros præstantiores abalienarent à Rege, cogitavit igitur, quomodo quosdam sibi æquiores redderet. Elegit ergo pro consuetudine Regum [quod tamen scribit *Hortensius*, factum esse ab illo *Tausenschurio* propheta, quasi ex jussu patris, sed non est verisimile] proceres *Bernhardum Knipperdollingium* urbis præfectum vel locum tenentem, veterem Consulem, *Hermannum Tilbeck*, præfectum aulae (*Hoffmeister*) *Conradum Crusen*, Mareschalcum, *Gerhardum Kipenbroeck*, Dapiferum, *Bernhardum Rotmannum*, Oratorem, *Henricum Crechtingium* [quondam *Gogravium Scoppinga*] Cancellarium, *Wolterum Scoppingensem* *Pincernam*, *Everhardum Reimenschniderum* Cibarium (*Vorschneider*.) Deinde delegit Consiliarios *Gerhardum Reinikium* institutorem, *Bernhardum Crechtingium*, quondam Pastorem in *Gildenhusen*, *Johannem*



*Daventria*, quondam Sacrificulum [sed pro hoc *Johanne Daventriaco* ponit *Hortensius* quendam *Gerhardum*, compaginatorem librorum *Svullanum*] & *Henricum Redekerum*, pellificem, multosque alios, qui gerebant diversa officia. Ita ad officium lictorum duodecim ordinat. Deinde designat octoviginti gregarios milites, (*Etobantem*) quos sub dominio *Johannis Geel* jubet esse. Hos milites caeruleo vel aërio colore & simul viridi vestitu palliavit, & hoc pacto denotare voluit, se Regem habere potestatem in caelo & in terra. Una enim pars vestitus, quæ caeruleum vel ætherium colorem continebat, denotabat potestatem, quam se in caelo habere dixit: altera pars vestitus viridis denotabat terrestre imperium. Sic iste Rex interpretabatur ista. Sed vestis bicoloris partim gramineæ partim cicerinæ mysteria ita regius Orator *Rotmannus* interpretabatur. Cicerinitus color significat mortificationem carnis & peccati, gramineus vero novum hominem ex Deo reatum, qui odor cum Deo gratus factus esset, proinde ut herbæ odiferæ fragrantia amabili nardus ablandiuntur. Singulis quoque annulum gestandum digitis donaverat, & album galerum: de annulo dixit orator, quod charitatem significaret, galerum album nitentes sanctos in novo regno dixit denotare. Signaculum vel insigne, quo utebatur Rex, continebat orbem vel circulum transvibratis duobus gladiis, super imposita cruce, ab utraque globi ad denotationem se gladiis superaturum orbem terrarum. Omnia ita instituerat, ut prudentius non potuisset, si natus Rex fuisset, adeo in excogitandis iis, quæ ad regalem pompam pertinebant dexter & mirus artifex: adhæc in patria lingua facundus, subtilis, fraudulentus & versipellis. Certos quoque constituit dies, videlicet tres, ut diem Dominicum, Martis & Jovis, quibus palam auterent omnes vel in curia, vel in campo summi templi, qui, quaque ore vellent, ad ipsum aliquid deferre, quod supplici modo fiebat: nam regio more passus est se honorari & adorari. Non videbatur autem suos illos proceres multum curare, nisi unum illum prophetam, qui ipsum designaverat Regem, quem propheta loco habuit. Quærit in publicum prodiret, comitatus erat suis officariis & proceribus domesticis, præibant quatuor Consilarii, sequitur Rex eques, proximè eum sequuntur bini adolescentuli equites. Interim habebat [ut diximus] triginta unum equos, sed pueri illorum & ipsius equos auro strati & auratis ephippiis insignes, deinde ipse semper aureis &



argenteis tunicis conspicuus per publicum vehebatur. Nam illa ornamenta & vestes è templorum peripethasmatis, auleis, epomdibus & ornamentis id genus factæ erant & aureis annulis digiti micabant. In vestibus plicæ multifariam intercissæ erant, è quarum scissuris holosericum purpureum subductitium elucens atque ebulliens aureis ligulis necebat: pueri obequitantes cum Rege manubria nodis aureis, gemmis & signis interstineta erant, dexter coronam & vetus testamentum gestabat, alter evaginatam enses, quorum alter erat filius Episcopi *Christophorus* nomine, captus in levioribus istis pugnis. Qui mos etiam fuit impurissimo & perversissimo *Cajo Caligula* tyranno, qui circumferri curabat duos libellos [ quorum alterum enses, alterum pugionem appellabat ] per protogenem quandam teste *Zonora*. Corona ei erat ut diximus, ex puro & obrizo triplex gemmis & signis mirandum in modum affabre facta. Deinde sequebatur *Knipperdollingius* quoque eques simili fere ornatu procedens, & reliqui omnes nominatim: mox omnes aulici. Eadem fere pompa erat primariæ uxoris, quæ decem habebat pedissequas, quibus forte abusus est rex, quando voluit. Interdum in foro, interdum in campo Ecclesiastico paratur ei solium sublime panno vestitum aureo, quo paulo habuit inferiorem sedem *Knipperdollingius* ad sinistram, deinde Consilarii & mox alii. Quæ deferebantur ad ipsum actiones & querimonias, plerumque ad conjuges pertinebant atque divortia, quibus nihil erat frequentius, ita quidem, ut nonnulli, qui per multam ætatem una vixissent, tunc primum dirimerentur. Id negotium antea erat commissum *Julio Phriso*, *Johanni Clopriso*, *Sralio* & aliis concionatoribus, sed nunc rapuit ex mandato prophetæ. Poena quoque erat parata prætergrediunt Regi non congenudantibus. Accidit autem, cum in foro staret populus audiendi causa condensatus & arctus, ecce *Knipperdollingius* è sua sede exsilit manibus pedibusque reptans per hominum confertim stantium capita, & in sublimi discurret, & in os illis inhalans, pater, inquit ad singulos, te sanctificavit, accipe Spiritum Sanctum. Interdum etiam currit per vicos & plateas, & obvium quenquam adflando, accipe Spiritum Sanctum, locutus est. Alio quodam die choream ducens coram Rege, sic solebam, ait, cum mea aliquando meretricula, nunc autem pater mandavit, ut in aspectu Regis ita faciam, cumque nimius esset neque desisteret, Rex offensus abit, tum ille conscendit in solium, &



pro Rege se gerebat, ambiens imperium & regnum, dixitque patrem hoc sibi patefecisse & revelasse, quod propter ingenii & corporis præstantiam debeat esse Rex in sua patria & non amplius peregrinus quispiam, addiditque se posse mori & resurgere, se posse cæcos illuminare. Interea interveniens Rex gravibus verbis reprehendit *Knipperdollingium*, & mox deturbat hominem dicens, se solum esse Regem, *Knipperdollingium* vero pseudo regem, ibi quoque prolixè digressus in gentis *Westphalica* ignominiam, profecto inquit, profecto illa gens propter fidelitatem mihi semper prædicata fuit & laudata, sed illam certe in te non prospexi, sed potius in *Barthardo Rotmanno*, deinde *Johanne Tausenschurio*, mihi fidis sociis. Itaque isti sunt præ reliquis suis conterraneis inprimis laudandi. Mox finito sermone jubet *Knipperdollingium* in carcerem duci; præterito triduo ex carcere dimittitur ea lege, ut advolutus flexis genibus coram Rege veniam peteret: prodiens itaque *Knipperdollingius* dixit, se non rectè intellexisse mentem patris. Se enim fore spirituales Regem in Sion, *Johannem Leidensem* externum, itaque se in exoptando externo regno errasse: petere igitur se supplicem à Rege veniam. Quod cum fecisset, porrecta dextera erigit illum Rex & ignovit, atque pristino loco habet. Idem *Knipperdollingius* dixerat aliquando, Spiritum Sanctum in corde suo testimonium dedisse, tum demum *Monasterienses* vere juxta patris voluntatem victuros, si rejectis non pariter & veteris Testamenti libris, suis quisque cogitationibus & revelationibus divinis obsequeretur. Durante obsidione librum conscribunt & edunt authore potissimum *Rotmanno*, Restitutionem vocant: Hoc in libro tradunt inter alia, Regnum Christi futurum esse se ejusmodi ante supremum judicii diem, ut pii & electi regnent, impii omnino deletis ubique; tradunt etiam, licere populo, magistratum abrogare. Item, etsi nullum habuerint Apostoli mandatum usurpandæ jurisdictionis, tamen eos, qui nunc sint Ecclesie, ministros debere sibi sumere jus gladii, perque vim contringere novam rempublicam. Adhæc neminem, qui non re vera sit Christianus in Ecclesia, tolerandum: tum & illud, non posse ququam fieri filium, nisi facultates omnes in commune deferat, nihilque proprium possideat. *Lutherum* etiam & Pontificem Romanum ajunt esse falsos prophetas. *Lutherum* tamen altero deteriorem, sed & matrimoniorum eorum, qui vera fide non sunt illustrati, pollutum & impurum, ac pro



pro scortatione vel adulterio potius habendum esse dicunt. Liber ille editur Anno 1534. in Octobri. [quædam dicta ex illo scripto in initio hujus Historiæ retulimus] Hæc illorum dogmata cum primis oppugnabant *Melanchthon*, *Justus Mevius*, *Urbanus Regius*, quorum extant ea de re scripta valde luculenta & copiosa in Tomo 2 Lutheri Witteb. Episcopum ut deluderent, emittunt equum gestantem virum stramineum, sed stola papali circumdatum, cui etiam mitram vel pileum Episcopalem imposuerant ad ignominiam Principis præsulis. Sed equus emissus flagella fugatus ad castra, incipit gramina carpere paulo ante castra. Interim talem & tam potentem cum suo exercitu reputabant Episcopum, qualis iste vir stramineus esset. Deinde ascendens aggerem verbis asperrimis insultat *Kuipperdollingius* Episcopo, appellans eum imbellem, scæmineum & ineptum, qui potius choro sit aptus & idoneus, ut tunica pontificia & thalari, candidaque veste procedat ad Missas, quam ut fortiter bella gerat. Ibi forsân boando & canendo te virum præstare posses, hic nihil efficies. Jubet responderi *Franciscus* præsul per suos, tu canis triumphum ante victoriam, utere tu rabiose tua virtute & fortuna, ego quoque meam experiar. Interim quidam eques ex præcipuis (est *Notmeister*) nomine *Offrecampius*, persuadet Episcopo, ut curaret vallam ex humo congeri opera rusticorum ad viciniam fossarum & aggeris, ut ex ista congerie humi & cœni illico quasi per planitiem haberent accessum ad urbem, imo ut hac ratione tanta mole terrarum, cineris & fimi in editiorem locum congesti repleri possent aggeres, atque hoc modo mox aditus ad urbem pateret omnibus. Ita, inquit, se vidisse multas arces & civitates superatas. Persuasus Episcopus de consilio procerum trium ditionum, *Monasteriensi*, *Osna-burgensis* & *Mindensis*, [quia in istis tribus regionibus ille rerum potiebatur, ut præsul trium Episcopatum] convocat rusticos ex istis tribus diocesisibus, qui ibi in vallo illo exstruendo operam navabant sedulam rhedis, vehiculis & carrucis aliisque instrumentis ad illud exequendum adaptatis, & magna multitudine coguntur per peritiores rustici, ut congerant humum ad aggerem & superficiem terræ, vel ut ad monticulos & colles congerendos & conferendos sint laboriosi. Interim dum isti magnum cumulum luti celeriter conferunt, contrarium consilium oppidani excogitant, & convocata quoque multitudine, quam celerrime magnos acervos ex lapidibus, fimo, luto



& humo erigunt & in altum producant, ex quibus statim laborantes in isto vallo hostium, agricolas dejiciunt machinis bellicis. Sic multi rustici turmatim ab isto cumulo augendo dejiciuntur, & pereunt magno numero. Cum igitur multi desiderarentur quotidie in isto opere & omnis iste conatus ac labor irritus esset, desistit ab instituto Episcopus. In urbe vero novos triumphos egerunt. Postquam hic conatus Episcopi esset iterum frustraneus, ad majorem delusionis ac ludibri demonstrationem emittunt denuo duos equos trahentes currum, in quo erant duo vascula fabricata & munita, quae turpi coeno & vilissimo luto fimoque repleverant, adegerant equos fere ad castra. Deinde mox proficiens in muros & aggeres falsissime incipit deridere Episcopum, inquiens Rex, tam tu miser es, tuique castrenses sunt potius atque ista vasa, & quantum fructus ex istis valibus reperies, tantum quoque valet vester conatus. Exemplum Regis secuta feminae idem fecerunt & quidem atrocius. Interim in castris propter inopiam annonae erant tunc magna turbae, clamor & strepitus. Secum mox curaret adportari mediocrem copiam vini, cereviciae, panis, buttyri, lardi & aliorum eduliorum Episcopus ex diversis oppidis, erat forte blasphemus quidam miles, qui alea ludens perdidit pecuniam menstruam, itaque execratus Deum in caelis & emittit ex machina globo quasi ipsum petiturus esset, dire stomachatus est fabricatorem elementorum, sed hic more militari arreptus poenitentiam etiam poena militum. Deinde jam incipiunt autumno ingruente varii morbi invadere castra, & undique ibi dira conspiciuntur lues.

Tandem advenit *Coloniensis* Archiepiscopus, *Hermannus de Wolbeck*, pius ille & quidam *Palatinus* Princeps & Comes quidam *Moguntiacensis* & legati *Clivensis* Ducis] qui antea miserant auxilio pecuniarum tormenta & aliquot peditum & equitum cohortes] communicant consilii causa, deinde subsidium, pecuniam & novas copias adducunt militum. Primo advenientes excepti sunt ab Episcopo in arce *Wolbeck*, postea cum eodem profecti in castra figunt pedem in tentoriis Episcopi, qui sibi delegerat locum in templo *Mauritanico*. Ibi isti heroës conspiciunt hominum istorum induratum impiam animositatem coram, & deliberant variis modis, quomodo sitam obstinatam & induratum Sectae malitiam cohiberent. Tandem et communi consilio & deliberatione suadent denuo tentandam operationem, postquam castra essent novis copiis, iisque factis in-



Etis & milite numeroſo aucta. Etſi hoc decreviſſent heroës, tamen ad illud tardi erant milites, qui id facere recuſabant, niſi ſolutis ſtipendiis. Porrigitur cuique pecunia menſtrua, quæ omnes mirum in modum ad pugnam facit alacres. Ut igitur jam prudentius omnia inciperent, jubet & mandat omnibus, ut ſe ad certum & pugnae conſtitutum diem præparent nihilque prius tentent, niſi pulſatis tympanis & tubis: omniaque quam diligentiffime & exactiffime ad pugnam idonea adornentur. Ipſe etiam Princeps vult, ut quæ expugnationi commoda eſſe queant, ibi præparentur, ut ſcalæ, crates, corbes, curriculi, aſſeres, rhedæ, vehicula & ſimilia, quibus foſſæ contegi potuere. Et hic profecto tali inſtituto forſan aliquid effeciſſet Epifcopus, niſi prodicione quadam conatus Epifcopi dies oppugnationis & exercitus totius potentia fuiſſet indicata regi; quod ita accidit. Quidam *Hensulus* [*Johannes parvus*] dictus *Langeſtrate*, miles gregarius, natione *Phriſius*, cum ille inſtitutum Epifcopi & reliquorum Heroum exploraret diligenter & inveſtigaret ſingula, ex caſtris clam fugit ad portas urbis, & indicat vigilibus, ſe habere aliquid ſecreti revelandum regi, ideoque petit intromitti. Intromiſſus de conſilio Regis, ipſi etiam Regi revelat, quid meditentur hoſtes, & quo die ſtatuertint oppugnare omnium fortiffime urbem, & quomodo de novo & caſtra & copiæ ſint inſtructæ novis militeibus, omniaque conſilia & ſtratagemata hoſtium pandit, & propterea nunc ad Regem defeciſſe, ut hæc ſuæ majeſtati revelaret, quod ſibi cavere poſſet ab iſtis conatibus, & præparare ad pugnam. Ex animo enim ſuæ regiæ majeſtati & ejus ſanctiffimo regno affectum ſemper fuiſſe ſe, precaturque, ut dignetur ipſum in ſuam protectionem & ſubſidium aſſumere. Ibi Rex pollicetur ſuam illi gratiam & clementiam, & interim equo inſidens equitat per urbem, & omnes convocat, ut omnia reficiant in muris, aggeribus & turribus, utque ſe præſtantes & fortes præbeant, nunc hoſtes omni potentia tentaturos quidvis: ideo etiam ad muros & turres & loca munitionis tendit ipſe, omnia luſtrat, omnes graviter hortatur. Interea adest conſtitutus oppugnationis dies. Verum per quatrimum machinis majoribus vel bombardis conantur caſtrenſes Epifcopi milites emiſſis globis & ignitis telis frangere valida vi muros & partem turrium, ut ita parari poſſet effractis muris, portis & turribus commodior aditus ad invadendam urbem. Sed quanto iſti ex caſtris fortius celeres igni-



vomosque globos transjiciunt in urbem, licet templum Servatium penitus & funditus in illo bombardarum tonitruo evereretur, tanto tamen animosius oppidani nova tela in hostem reverberant & retorquent ex urbe. Deinde, quod clara luce & interdum hostes dejecerant & tormentis destruxerant, oppidani magnis noctu laboribus reficiunt, & ne quidem terrentur istis ignivomis jaculis, imo potius derident conatum adversariorum, & sua tela fortiter in hostem remittunt, quibus multum damni dedere in castris; ita pili oppidanorum & perierunt & vulnerati sunt in castris non solum milites, sed etiam Duces & Centuriones aliquot, inter quos fuit *Helmus Chocas*. Elapsis vero quatuor istis diebus, quos emitendis in urbem pilis & ictibus bombardicis ejaculandis impenderant, praefecti militiae & exercitus graviter Duces & Centuriones; Duces autem & Centuriones rursus milites movent & quemlibet in suo ordine locant & constituunt, jubentque ut animo praesenti & forti virtute aggeres & moenia urbis adoriantur. Dies oppugnationis erat dies lunae post Bartholomaei Festum, qui fuit ultimus Augusti dies. Quod faciebant antesignani in castris, hoc quoque Rex & sui officarii agebant in urbe omnes discurrentes aequae diligenter, praecipue *Nipperdollingius* & *Rotmannus*, qui, ut antea diximus, praedictione *Henrici Langenstrassen*, *Phrisii*, hunc diem exploratum habebant, quod is esset constitutus pugnae & invasioni. Hostes vero inferunt mox currus in fossas aliasque rhedas & similia instrumenta, ut per eas possint celeriter currere milites ad aggeres: & pulsatis tympanis & tubis alii currunt ad aggeres magno numero, alii incipiunt scalas scandere muros, quidam affigunt scalas ad moenia, multi oppugnant portas, alii aliud stratagemata moliebantur, & quisque suum locum & stationem graviter defendere conatus est, & omnes erant animosi & fortes. Sed omnis illorum conatus est iterum frustraneus, quia praemoniti Anabaptistae animose se defendunt, & infinitos milites, Duces ac Centuriones depellunt & dejiciunt. Nam ex oppidanis alii clavis, alii hastis, alii bipenne, alii gladiis & fustibus, quidam lapidibus & aliis instrumentis oppugnatores depellunt ab aggere & muris deinde ex turribus undique emittuntur globi & pili, quibus hostes & invasores aggerum & murorum eripiuntur e medio & opprimuntur. Inprimis erant ibi foeminae, quae coronas piceas ad manum habebant, easque accensas [ quia istas tunc praefecti oppugnationis



adornaverant per urbem] & acriter flagrantes in hostes ascendentes muros & aggeres projecerunt, atque flammeas quoque telas emiserrunt in oppugnatores, quia in muris & aggeribus omnia in promptu constituerant cum vasibus piceis, quæ igni lucenti apposita erant, ibi aliæ mulierculæ ignem inflammabant, aliæ replebant iterum vasa vel cacabos sive lebetes pice & oleo ex lino & rapis, nonnullæ aliud agebant: quædam coronas immergebant in cacabos & lebetes, quædam accendebant tedas, has aliæ multæ in hostes emittebant: ab altera parte aliæ sceminæ pulstem bullientem fuderunt in milites, habebant enim undique ad ignem egregie structum, appositas ollas satis amplas, quas pulte, hoc est, aqua & farina, replent quædam: erant enim ollæ ibi repletæ siliquis vel fecibus & appositæ igni] nonnullæ complent vasa, quædam illa fudunt in hostes, aliæ struunt ignem, istæ iterum replent evacuatas ollas aqua, farina vel siliquis aut fecibus. Hoc genere cruciatus plurimum nocuerunt hostibus sceminæ, & quidem ita magis repressi sunt hostes isto scemineo conatu, quam armata manu fortium virorum, quia sexus muliebris multum dedit detrimenti exercitui oppugnanti hac repressione. Itaque innumeri homines dejecti, multi machinis necati vel quassati, alii confossi perierunt, fossæ undique replentur oppugnatorum numero & ingenti copia ibi sternuntur omnes, & replentur cadaveribus occisorum concavi loci & foveæ. Ibi aqua fossarum & piscinarum rubet ubique sanguine. Hei quantus ibi auditur ejulatus, clamor & querulæ voces, tot lacrymæ & miseræ tam multæ conspiciuntur & audiuntur, ut nemo verbis eloqui possit istam calamitatem: ibi vexilliferi cum vexillis, Duces & Centuriones non minus strati & mactati reperiuntur, quam gregarii milites, alii in herbis & in gramine campi agebant animas, quibusdam nasus, auris, manus, brachium vel pes abscissus erat, istis oculus effossus, multi vulnerati, quorum maximus fuit numerus: & dictu difficile est ac incredibile, quam fuerit hoc spectaculum miserum. Scribit *D. Caspar Hedio* in suo Chronico, etiam in hac oppugnatione desideratos quadraginta duos Centuriones præter gregarios milites. Reliqua adhuc pars militum superstes revocatur ad castra, quorum cum paucitatem cognoscerent Duces & præfecti militiæ cum Episcopo, & aliis istis Principibus ingens omnes invasit timor, verentes tremore quodam mox exituros Anabaptistas & fessos & consternatos milites esse



esse obruituros. Quod si fecissent Anabaptista, profecto omnes in medio reliquias castrorum sustulissent & occidissent, hostemque facile ab urbe depulissent. Sed hoc divinitus fuit prohibitum. Et quanquam alii essent in castris vulnerati, alii terri, fessi & tristes propter non partam victoriam & ob miseriam & mortem sociorum, eorumque esset exiguus numerus, qui incolumes erant, tamen voluerunt Duces, ut vigiliae agerentur ab omnibus, & cuncti noctem ducerent insomnem essentque semper praesto in armis, iusseruntque per totam noctem pulsari tympana, & tubarum clangorem resonari & emitti ex castris, ut ita fallerent hostem. Altero die iubentur colligi cadavera oppressorum & occisorum. Sed oppidani excentes plerosque nudaverant, istaque corpora turpiter spoliaverant, & vestes armaque eorum abstulerant, & qui in fossis ac foveis demersi erant, eos similiter turpissime nudatos exuerant, & ita etiam mortuis non pepercerant, tanta tyrannide & immani barbarie erant praediti Anabaptista, ut etiam pudenda eorum mortuorum lecta denudarent & indusia eriperent occisis.

Post tantam acceptam cladem Principes & legati in medium consulunt adhibitis praefectis belli & Ducibus & centurionibus, ubi quidem diversae sententiae audiuntur, alii censebant dimittendum militem & ab obsidione discedendum, ceptisque desistendum, pollicenturque omnem labor & oppugnationem irrita videatur, quod quidem consilium valde displicuit Episcopo censenti id & sibi & toti ditioni imperio ignominiosum ac dedecorosum fore, praesertim, cum in illis locorum per *Westphalam* magnus timor magistratus invalerat, quaedam tacita latentia sectarios clancularios & plebejos, praesertim qui aere alieno erant gravati & inhiabant aliorum bonis, affecerat imo ubique locorum tunc sparsus erat rumor & fama de victis oppugnantibus & Anabaptistis victoribus. Itaque talem discessum alaturum esse toti imperio ruinam & damnum, constanter dixit praesul; alii interim dicebant, arctius premendos esse obsidione, & propius ad urbem castra figenda, donec inedia pressi sese dedant. Ad quidem consilii etiam placuit, & fuit aliqua ex parte finis ultimum deliberationum. Deinde hoc quoque determinatum est, non solum vicinorum Principum, sed etiam totius imperii opem implorandam, atque ut septem castra in gyrum ad septem portas urbis constituerentur, & primo quoque die muniatur milite, copiis & annona, ut castra



multi ibi in hybernis essent. Itaque Episcopus continuandæ obsidionis causa atque belli, quod ad omnes æque spectaret & pertineret, ab iis Principibus atque civitatibus, quæ sunt *Rhena* provinciæ, tanquam vicinioribus, auxilia petit. Ejus rei gratia conventus confluentiæ indicitur ad 13. Decembris diem Anno 1534.

Post frustra tentatam oppugnationem [ut redeamus ad urbem] incipiunt egregie eutem curare jam quasi parta victoria, & non levibus scommatibus hostes exceperunt, in qua re mirus semper fuit *Kntperdollingius*. Hic mox adit Regem *Tausenschurius* propheta, dicens: Vade & dic Regi Sionis, ut cœnam meam in cœmiterio ædis primariæ institueret, Doctores quatuor in mundi plagas legendos. Annuit Rex, qui jam decreverat, victoribus, qui strenue pugnaverant, celebrem adornare cœnam post illam pugnam, ut illos alacriores redderet. Propheta igitur novus, *Johannes Tausenschurius*, vix paucis post prælium jam tertio feliciter commissum diebus præterlapsis, tuba canit per omnes vias, & edicit, ut ad primarii templi vestibulum vel campum armati omnes conveniant, & quotquot suam operam in rejiciendo hoste navaverant: Nam ab urbe profligandum esse hostem, sed prius reficiendos omnes. Die igitur Martis, post Festum Gereonis, convenerunt ad istum locum promiscue omnes, citra ætatis & sexus discrimen, ubi reperiunt mensas adornatas: jussi discumbunt primo ad millia quatuor & ducenti virorum & mulierum. Sunt, qui huic numero octingentos adjiciant, deinde cœnant. Mox tria sunt apposita fercula, ordiæ aliud post aliud, pernæ suillæ primo, deinde caro elixa, postea assata apposita est singulis, vel si ita mavis, primo carnes fumo duratæ, inde recentes, prostrepto assa. Potus erat cerevisia & vinum, [*Hortensius* nihil habet de vino, & opinor etiam tantæ multitudini vinum non fuisse adhibitum.] Postquam & illi epulati essent, vocantur etiam ad cœnam ii, qui interea fuerant in excubiis, tam viri quam fœminæ circiter mille. Ibi Rex cum regina, officariis consiliariis & aulicis domesticis ministrant. Sumto cibo & jam ferme peracta cœna, Rex ipse panem triticeum, in libi morem confectum, sumit & dividit, datque deinde singulis partem his verbis; Accipite, comedite, annunciate mortem Domini. Regina vero poculum vitreum porrigens, sequendo Regem, bibite, inquit, & annunciate mortem Domini. Interim omnes reliqui, qui se fratres & sorores appellabant, ea cœna, quasi Dominica, percepta,



dixerunt ad invicem in fractione istius panis partem fractam; Ete frater & soror, atque cogita, quomodo Christus mortuus sit pro te, ita ego quoque pro te moriar. Nunc enim cogitabimus, quomodo veluti grana tritici in hoc pane per concoctionem sunt conglutinata, sic nos quoque sumus coadunati. Idem dixerunt de vino, quod bibebant ex illo poculo, addentes: Veluti vinum est indollo uno expressum ex multis uvis, ita & nos unum erimus, hoc est, unum corpus & animus unus. Admonuerunt autem post tam laetam sumtum cœnam & conspecta Regis humilitate, se invicem sic, expendamus legem Dei, ne quid mali nobis accidat. Postea cecinerunt canticum germanicum: Gloria in excelsis Deo. Hæc paulo aliter refert *Hortensius*, qui dicit, Regem in folio suo amidum tunicula holofœrica sublimem, & ita sublati mensis partes panis tritici distribuisse, & ministros duos regis vinum infudisse, & ita unumquemque de manu Regis sumsisse. Rex mox rogat, universam concionem: Num omnes ad exequendam divinam voluntatem, hoc est, ad patiendum moriendumque pro fide & regno Sionis propenso animo paratogue sint? Acclamatum est uno ore ab omnibus. Hinc mox ille, quem diximus propheta *Tausenschurinus* conscendit in suggestum, & rogat iterum: An verbo Dei velint obtemperare? Cum affirmarent omnes jam ex victoriis alacriores facti & lauto cibo potuque refecti. In audite, inquit, patris mandatum: hæc dicit Dominus Deus patris Delige tu tibi Rex Sion, è populo meo, quos in quatuor mundi partes vel plagas è portis emittas, horrenda prodigia perpetrantes qui gentibus exteris hæc miracula invulgent. Qui divino mandato non obtemperaverit, morte morietur. Hic mox Rex ad populum ait: Auditis, patris esse mandatum, Doctores verbi Dei emittentes circiter viginti octo [*Hortensius* dicit, tantum viginti sex iussisse] qui ad quatuor mundi plagas profecti doctrinam, quæ in hac urbe celebratur, denuncient? Et proferens ex sinu tabulam, legit ipse nomina eorum, qui isti legationi debebant adhiberi. Cum vero & inter istos *Knipperdollingium* recitasset propheta ignorante Rege de cuius sententia alioquin omnes erant clam scripti] respondet Rex: Nos non possumus *Knipperdollingio* carere, qui etiam magis est castris appetitus, quam doctrinæ, ideo tu Dei propheta ejus locum subibis. Interim clarissime & nominatim recenset eos [quos enim pucabat Rex suæ dignitati vel doctrinæ vel ingenio obesse aliquando posse,] *10*



forfan emitti voluit] qui emitti debebant, & quo quemque proficisci oporteret, demonstrat: hoc est, ad urbes decernunt proficiscendum esse istis, ad quos putabant suam jam victoriam post rejectos aliquoties oppugnatores pervenisse, ubi etiam facilius existimabant, suscipi posse suos legatos. *Osnaburgum* igitur mittunt *Dionysium Vinnen*, unum ex concionatoribus, *Petrum Cuper*, *Henricum à Graes*, *Johannem Buntorff*, *Paulum Schvvering*, [cui abscissum erat alterum brachium bombardico ictu] *Johannem Scheffer*. *Warendorpium* *Johannes Cloprifus*, *Godefridus Stralen*, duo ex concionatoribus, *Henricus Pingrove*, *Antonius Taskemaker*, & duo alii, quorum nomina ignorantur, mittuntur. *Susatam* ablegantur *Henricus Schlachtschaff*, *Henricus de Gog*, *Johannes Tausenschurius* propheta, *Hermannus Beckerinck*, *Laurentius Phrisius* & alii tres, qui ignoti fuere. Ad *Cosveldienses* decernunt legatos *Jacobum von Grave*, *Hermannum*, quondam pastorem novi templi *Warendorpiani*, *Johannem*, antea Sacellanum ad *S. Martinum Monasterii*, *Julium Phrisum*, paulo ante Episcopum *Anabaptistarum*, *Bernhardum Focker*, *Davidem Walen*, *Johannem Trajetsensem*, quondam *Dunherum Trajecti*, *Bartholomeum Natler*: omnes illi erant vorsuti & eleganter facundi. Credo etiam fuisse *Stapredam* inter illos, qui ignorantur, & tamen emissi sunt. *Hortensius* sic refert: Septem *Osnaburgum*, sex *Cosveldiam*, quinque *Warendorpium*, octo *Susatam* missos, &c. Sed parum refert, quot eorum fuerint. *Rollius*, de quo diximus, cum in postrema rejectione per Senatum facta abiisset *Trajectum*, docturus ibi anabaptisma, est publico supplicio è medio sublatus, &c. Postea Rex & regina cœnant cum suis officariis & ministris, atque illis omnibus, qui à stationibus diurnis, ablegatis prius aliis in eorum locum venerant, advocatis etiam illis, qui ad protectionem vocati erant, ut illis lætitiæ symbolum exhiberet. Sed *Hortensius* putat, antequam isti fuerint designati, prius Regem & reginam cum suis cœnasse. Inter cœnandum Rex consurgebat, ajens, sibi quidpiam esse negotii, quod pater mandaverit. Forte captus erat miles quidam, hunc proditoris ut alterum Judam Rex insinulat & decollat ipse, post redit ad cœnam, & facinus illud facete commemorat. Facta cœna ducit choreas cum regina. Sequuntur multi alii & idem faciunt. Mox illi legati colligi jubentur. Ibi coram tota multitudine Rex inquit: Veluti Christus in totum orbem misit discipulos, ita ego vos mitto, ut nunc quod ille dixit, per-



ficiatis, ut desertis uxoribus, liberis & omnibus exequi cogitis mandatum patris. Hoc enim per se est valde pium, ut sic doceant Evangelium. Itaque illos ita affectos esse debere, ne vel ferro, vel igni incendio perterrefacti, officio deessent vel recantarent. Postea etiam ad designatos, qui dimitti debebant, habuit gravem orationem *Rotmannus*, adhortans eos ad animositatem & constantiam, repetitis exemplis veteris ac novi Testamenti, quomodo apud *Rachab*, meretricem, duos exploratores Deus mirabiliter conservasset in *Hierobo*, cujus muri subito ceciderunt ad clangorem tubarum: sic & vos clangite, & succedet vobis. Deinde pergens dixit, novitis, quomodo servato populo suo in extremo periculo contra *Egyptios*, *Moabitas* & *Philistinos*, paratum regnum *Davidi* tradiderit; Ita & nunc facturum eundem patrem speramus. Si vel capiatur, vel præcipuum quid accidat eis, ut sperent, se habiturum progressum, ut illico hoc *Susatam* ad prophetam deferant per literas. Datur singulis viaticum, & deinde datur nummus aureus, [qui valuit novem aureos *Rhenenses*] quem in prædictis locis, quæ doctrinam ipsorum non admittant, relinquere jubentur, testimonium scilicet futuri ipsorum interitus & exitii sempiterni ob repudiatam pacem & doctrinam à Deo salutarem. Hi idibus à quatuor regni ministris ex portis quatuor dimittuntur, & ab iis deducuntur clam, donec & per castra penetrarent, & cum ad locum quisque suum venissent in die *Galli*, excitato post ingressionem portarum cum horribili mugitu per oppida clamore, ut poenitentiam agant homines, vociferantur. Jam securis apposita est ad radicem arboris, alioqui brevi peribunt nisi oblatam pacem à vobis ultro suscipiatis: Resipiscite, quoniam tempus breve est, quo pater vestri velit misereri: Si pacem hanc repudiaveritis, brevi futurum erit, ut funditus pater vos eradicatus sit. His rugitibus cum omnium mortalium ora & mentes in se convocassent, magni passim in istis urbibus motus sunt excitati. Cum vero à Senatu interpellati essent, ut quiescerent & exirent, illi mox coram magistratu vestem humi tendunt, & quos acceperant nummos aureos, superiniciunt, & se missos à patre confirmant, ut pacem ipsis deferant: eam si recipiant, jubent omnes fortunas communicare: sin autem repudient, tum hac veluti arra se contenturi hoc ipsorum facinus & ingratitude. Hoc enim tempus esse, quod prænunderint omnes prophetæ, quo tempore per universum



sum orbem terrarum Deus velit coli justitiam, & cum officio suo Rex eò rem deduxerit, ut ubique justitia regnet, tum fore, ut patri suo Christus regnum tradat. Sic locuti capiuntur, præsertim, qui venerant *Susatunum* & *Osnaburgam*, deinde qui *Warendorpii* & *Cosfeldia* [sed quomodo hoc factum sit, dicemus postea] ad istum modum docere cœperunt, oppida in discrimen traxerunt. Capti, amice primo deinde per tormenta rogati de sua fide atque vita, deque urbis munitione, populi numero, respondent, se solos habere veram doctrinam, idque capitis sui periculo velle contestari. Nam inde ab Apostolorum ætate neque recte denunciatum verbum Dei, nec ullam fuisse justitiam: Esse quatuor omnino prophetas, quorum duo sint justii, *Georgius David*, & *Johannes Bocholt*, Rex *Leidensis*, [hic est *David Georgius*, quanquam *Davidem Georgium Delpensem* putent, de cujus nequitia videat lector in Historia de eo edita ab *Universitate Basiliensi*] duo autem injusti, Pontifex atque *Lutherus*, & hic quidem illo deterior: Damnaverunt omnes Anabaptistas extra sese. Interrogati, cur homines innocentes præter fidem datam ex urbe profligarint, ipsorum occupatis bonis, uxoribus atque liberis, & quo scripturæ loco suam hanc justitiam probare velint atque defendere? responderunt: Christum dixisse, faciem cœli dijudicare nostis, signa autem temporum non potestis; Nunc esse tempus illud gratiæ, de quo prophetæ prædixerint & *Johannes* in *Apocalypsi*, ideo hoc tempus dignoscendum esse; Item, jam tempus illud adesse dicunt, quod fore Christus dixerat *Matth. 5.* ut mites terram possideant. Nonne legimus, *Ægyptiorum* bona Deum *Israelitis* olim dedisse? Postea interrogantur de multitudine populi. Populum numerosum credi, quod homines vivi ad sex millia fuerint [*Horsensius* scribit, illos confessos, quod octo millia hominum fuerint, in primis trecenta aureorum millia in vasis præter alia suppellectilia seposita esse: Lectos esse in urbe annonæ præfectos, qui cum Ethnicis negotiarentur & commercia exercerent] in urbe, cum existissent, confessi sunt, & quædam de copiis & annona locuti sunt, & de statu hoc retulerunt, quosdam duxisse quinque aut sex uxores, virgines duodecim annorum cogi ad nuptias, conjuges etiam vel semel torum intuentes maritos, aut vel oculos referentes ad alios, graviter puniri dixerunt, legem quoque præscriptam, tam diu cum singulis consuescere, dum uterum gestent: deinde fas jusque esse, ex omni



numero deligere aliam quamcunque vellent, nec licere uxorum sociam thori distorto vultu obtueri; id capitale esse. Aniculus effra-  
tores juniorum, oppidanos omnia in templis demoliri, nullum alium  
esse ipsis legitimum magistratum, nec ipsum Casarem, sed *Johannem Leidensem*, Regem Sionis. Et citra operam prophetarum nullam posse scripturam intelligi, ad hæc expectari copias ex *Persia & Hollandia*: simul ac isti venerint, regem cum omni exercitu proditurum, ut mundum sibi subjiciat interfectis Regibus, ob non administratam justitiam. Interea mittit novos legatos ad urbem Episcopus, quos ferocientes illi trucidant, & post emissos suos Doctores iterum paratur omnibus fere cœna à Rege, & ibi in locum prophetae *Taufenschurii* eligitur alius propheta, *Batavi* quidam. *Warendorpiani* permoti ficta pietate & clamore hypocritarum suscipiunt illos, & quidam ex Senatu eunt in eorum sententiam. Hoc postquam altero statim die delatum esset ad Episcopum, in castris agentem præmittit *Johannem Rasfeldicum*, Nobilem & Ducem cum cohorte ad oppidum *Warendorpium* [quod est ditionis *Monasteriensis*] ut istud adoriretur, ipseque præsul eques cum aliquot selectis equitibus sequitur. Ibi *Rasfeldius* graviter oppidanos *Warendorpii* oppidum monet, ut sese dedant Episcopo: illi aliquoties reculant & recipiunt istos concionatores atque in honore probantes illorum religionem. Cum autem & copia militum & minis gravibus instaret *Rasfeldius*, & exponeret, quantum ipsis immineret periculum, præsertim cum jam Episcopus adesset cum exercitu satis valido, ut oppidum expugnaret, & tunc quidem ipsis omnibus pereundum esse, quoniam vos, inquit, non habetis oppidum satis munitum, nec eos, qui possint tueri muros: Dederunt se tandem, nisi se plane extinctos voluissent cives, jam non solum copia & verbis istius Ducis, sed etiam adventu Episcopi cum novis copiis consternati & territi. Ita coacti sunt Episcopo offerre claves & tradere captivos Doctores novos cum quibusdam primariis authoribus seditionis & susceptorum Doctorum [quorum tres fuisse scribit *Hortensius*] & se simul sistere Episcopo, ut cum ipsis faceret, quod lubitum ei esset. Ibi ademit urbi omne jus pristinum & privilegia, & omne judicium ad se transtulit, diuque pagi loco oppidum habuit. Sed postea tamen intercessione multorum receperunt priora privilegia. Ibi *Johannes Claprijus* & *Godfridus Stralen*, quasi præcipui simul facis *Monasteriensis*, excurantur.



*Godefridus Stralen* erat à *Marburgica* Academia missus ad *Monasterienses*, ut ibi Evangelium doceret, sed per alios erat ille in reprobum sensum mutatus. Idem accidit *Clopriso*, qui anno 1527. pie *Burica* docuerat, & inde ejectus erat, ac postea propter Evangelium capiebatur *Colonia*, [ut in *Historia Adolphi Clarenbachii* legitur] ubi ex vinculis mirabiliter eripiebatur, sed ereptus & forte jam securus misere sese dedit isti *Seclæ*, & nunc habuit tragicum finem cum *Godefrido*. Ceteri quatuor cum tribus præcipuis authoribus, in quibus etiam viri Senatorii erant, gladio cæsi sunt. *Cosveldia* quoque maxima pars urbis susceperat deceptores illos & impostores, & primo iussi ab Episcopo vinctos tradere octo illos Doctores, resistere suo Principi & id se facturos negabant. Verum tragico exemplo *Warendorpiana* urbis territi, fecerunt, quod Episcopo gratum erat. Opinor etiam, & *Fulium Phrisum*, Anabaptistarum Episcopum, aliosque quondam Sacrificulos, de quibus diximus, ibidem eandem pœnam, quam *Cloprisus* & *Stralentinus Warendorpii* dederant, sustinuisse. Qui *Susarum* missi erant [ut suo loco dicitur] decollati sunt omnes, quorum hæc in tormentis fuerat de urbis statu confessio, ut scribit *Hortensius*, cives inter se extra convenarum plebem seditionibus agitari; Templum Jacobi molito frumento ad cocturam cerevisiarum plenum, multa modiorum siliginis millia in primorum urbis granariis adhuc condita: tantum hordei suppetere, quantum in biennium sat futurum esset, lardi magnum numerum, sed salis parum, minus butyri, quatuordecim aut ad summum quindecim vasa. Tres munitiones forma rotundas, adversus vim in urbe oppidanos moliri, unam ad portam *Hoesstranam*, aliam ad *D. Mauriti*, tertiam ad *Judefeldensem*. Bis mille ducentos bellicosos viros censos esse, decuplo plures fœminas: noctes & dies quingentos in mœnibus excubias agere: vices tertio quoque die in orbem redire: ab hoc onere Regem & regia officia esse libera: pulveris tormentarii vasa septuaginta Regi restare: se memorato *Phrisorum* & *Hollandorum* robore auctum, munitionem, quæ *Cosveldiam* spectat, brevi expugnare & à fundamentis everfam solo æquare. Interim ex iis, qui *Osnaburgi* capti erant, lanii cujusdam confessio hæc fuit de scripto recitata. Ex oraculo cujusdam prophetarum Regem *Sionis Monasterii* brevi orbi imperaturum. *Bernhardum Knipperdollingium* in solio regio nuper sedisse & clara voce coram multitudinæ exclamasse, mori se velle

ac



ac vitæ restitui, fore ut nunc demum cæcis oculi aperirentur, se *Osnaburgam* missos, ad Evangelium concionandum, ac nisi ab injuria mature resipiscerent, fore, ut veluti *Sodoma & Gomorra* tollerentur: Ex *Osnaburga* nunc *Hervordiam* se petiuros fuisse, ut & illic Evangelium tradidissent: Regem dixisse, se huc in Regem à Deo cooptatum, ut ad impietatem ferro vindicandam, & non credentes supplicio extremo humanorum afficiendos, orbem peragraret ante Calendas Novembris, aut ad summum Calendas Maji: Omnia Episcopi præsidia à Deo vastatum iri, urbem nulla ope humana solutum iri, & hujus vaticinii autorem ferebat prophetam *Johannem Taufschurium, Warendorpiamum*. Quæ enim ipse de obsidione urbis, de oppugnationis eventu, suis denunciaverat, re vera evenisse. Jejunium tridui & supplicationes cum existent eo die, publice indicatas fuisse. Et similiter, qui *Osnaburgam* missi erant, excepto uno, de quo mox, perierant ita similiter. Ita omnes fere, post habitam questionem, cum in proposito manerent, nec ullum agnoscerent magistratum, præter suum Regem, vel etiam aliud jus, quam sui Regis, capitis poena mulctati sunt. Quomodo unus ex iis evaserit, jam dicendum est. Hunc ajunt *Henricum à Graes* fuisse, imo *Henricum Dorpium* illum fuisse, mihi boni viri, qui habuerunt totius rei cognitionem perspectissimam, inter quos fuit *Johannes Glan dorpius*, retulerunt, quod etiam ex tribus certis indicis colligo. Primum, quod nemo is omnium in urbe gestarum rerum descriptionem dare potuerit, qui omnia præsens viderat, quod tantum ab illo factum esse ex isto suo scripto liquido apparet. Secundo, quid illo absente actum sit intus, rediens in urbem cognoverat postea: ait enim, se ab Episcopo in urbem remissum esse. Tertio inquit, unum ex istis omnibus legatis divinitus & opera Dei ereptum & servatum fuisse, [ubi notetur verbum divinitus] ne ita cum reliquis periret. Verum quando in urbem regressus sit jussu Episcopi, & quomodo ereptus sit ille, sive fuerit *Graesius* vel *Dorpius*, breviter referemus. [hunc appellat *Hortensius Henricum Hilversum Gaiolandum*, ut postea ostendimus.] Hic *Henricus* promisit resipiscentiam & deinde addidit, modis se variis posse prodere Sectam. Id quidem suscepit Episcopus, sed magis tamen hoc ab illo fieri cupit, ut quendam *Christophorum* adolescentem, clam educat ex urbe, [hic erat filius Episcopi, adolescens quatuordecim annorum, quem captivum suæ camere famu-



lum constituerat Rex, & hic gladium equitanti Regi, vel ad latus, vel præeundo, portabat. Hic *Christophorus*, si recte memini, postea est *Vesta* quæstor factus. Ita ille *Henricus*, annuente Episcopo, compedem cruci gravem affigi pedibus curat, & sic catenatus clam noctu tendit ad urbem & pulsat portas; Agnitus ex voce, intromittitur; Intromissus fingit, & miris modis mendacium suum exornat verbis, quomodo sit divinitus per angelum, veluti *Petrus*, liberatus ex carcere & tutus deductus per medios hostes, iustusque ita catenatus redire ad suos propter majorem fidei efficaciam; Hanc esse, ajens, patris voluntatem, ut in suo proposito fortiter pergerent, ipsum vindicaturum propediem suum populum ab adversariis; Tres præcipuas urbes, *Amstelrodamum*, *Daventrium* & *Wesaliam* datas ipsi à Deo esse, ideo tamen divinitus se potissimum remitti ad Regem & suos, ut non solum hæc indicet, sed etiam ut ab ipsis literas ad fratres, qui *Amstelrodami*, *Wesalia* & *Daventria* alibique morantur, & sunt cum ipsis ejusdem ordinis & doctrinæ, impetret, & eas pro subsidio ab istis impetrando in usum Regis, eisdem offerat. Nam se non dubitare, quin divina protectione possit iterum tacite per castra volare & tales literas focis offerre. Auditus *Henricus* ille, [sive fuerit *Dorpius*, sive *Gratius*, sive *Hilversus Goidandus*] omnibus fidem facit, & adimitur ei catena. Interim dum literæ à *Crechtingio*, Cancellario Regis & aliis conficiuntur, is perspicit, pro ingenii sagacitate, omnem statum urbis & conditionem ac formam, & quid agatur ibi, deinde clam ad se vocat *Christophorum* illum, & iniens cum illo pactum, cogitat, quomodo hominem educat. Undique voti compos factus feliciter ex urbe redit ad castra cum adolescente *Christophoro*, & prodit literis factionem *Wesalia* & alibi collectam, quæ opibus, subsidio & etiam milite cogitaverant opem ferre Regi, atque inter eos reperti sunt quidam patricii urbis, [inter quos fuit quidam ex primoribus, nomine *Vinckius*, sic opinor] qui sic proditi intercepti sunt, atque ex eis, qui non cecinerunt palinodiam, aliqui decollati sunt. Opinantur autem multi, ut dixi, hunc *Henricum* fuisse *Dorpium*, qui conscripsit *Historiam Monasteriensem*, ut sibi perspectissimam, quam antea præsens viderat, & postea regressus ad urbem exploraverat: Ideo in suo scripto commentatur in hanc sententiam, postquam ego missus essem nomine Episcopi in urbem, [quod erat circa Festum Circumcisionis Anni novi 1535.] non satis erat, complu-

Uuuu uuu

res



res habere uxores Regi, sed etiam teneriores puellæ ad coitum cruciatæ atque coactæ & vulneratæ graviter, quarum octodecim ego vidi, atque tales vitiatæ atque sauciatæ curabantur à quadam vetula, dicta die *Eupersche*. Hanc etiam vetulam scribit *Corvinus* se vidisse, & idem fere ex eadem didicisse & audivisse refert. Quid vero de his *Hortensius* scribat, prolixè subjiciemus. Horum partim à magistratibus, partim ab Episcopo, cui vivi in potestatem traditi erant, ferro perierunt. Unus inter hos erat *Henricus Hlortius Otlandus*, [sic enim ipsum nominat *Hortensius*] qui cum aliis Episcopo traditus fuerat, cum hoc Episcopus quædam consilia decreto transigit, & ab eo mox ille dimittitur. Erant autem hæc, ut in urbem reversus, histrionem, hoc est, simulatorem dissimulatoremque artificem insignem ageret, singula verbis, regia consilia, opportuna loca, tempora, occasiones sedulo exploraret. Cætera in occulto fuerunt. Dimissus *Monasterium* averfis itineribus rursum divertit. Ad Regem admittitur, rogatur, quid rei sit, quod amissis omnibus fratribus unicum columis domum reverteretur, quod sciret capitale esset. Non inquit, si ne Deo evasi prodigiose. Nam ut postridie, ad cædem destinatus, in custodia publica sedebam, ductu Angeli inde erupi, jussusque tum domum redire cum hujusmodi mandato, ut Regi nunciarem, tres opulentas urbes nobis à Deo datas, *Amstelrodamum*, *Daxerium* & *Wesaliam*; Has autem sub jus nostrum brevi venturas, si eo prophetæ mittantur. Lætus Rex re nova, nuncium in familiam recipit, donavitque eum annulo aureo & varia veste, qualem domesticis quinquaginta numero gerebant. Vestis erat discolor, partim graminea, partim cineritia: Albus galerus capicibus, annulus aureus singulis in digitis erat. Hunc ornatum regius Orator ita interpretabatur, ut color cineritius mortificationem carnis & peccati, gramineus vero novum hominem ex Deo natum signaret, qui odor Deo gratus factus esset, perinde ut herbæ odiferæ fragrantia amabili auribus ablandiuntur, annulus charitatem adversus proximum perpetuam & indissolubilem præ se ferret, ut ille citra principium & finem in se rediret. Rex plausibili nuncio in spem magni imperii erectus, confestim *Jacobum Campensem Amstelrodamum* mittit, quem ejus urbis Episcopum esse jussit, cui comitem adjunxit *Johannem Matthiam, Middelburgensem*. Quid vero illi egerint *Amstelrodamum* prolixè describit *Hortensius*, quomodo aliquoties tumultum excita-



verint & populum ad pugnas commoverint, & varias tragœdias ibi excitaverit novus ille Episcopus, *Jacobus Campensis*. Latuit ille hic cum suo comite menses sex & plus eo, traxeruntque suis sutelis, & blando verborum lenocinio magnum hominum numerum in suam hæresin, id quod tragica plane catastrophæ postea arguit, cum huc eorum consilia seditiosa tenderent, ut urbem calamitose tumultu, bonis omnibus caesis aut pulsis, in suam ditionem redigerent. Inter hæc *Monasteriensis* & *Osnaburgensis* Episcopatus proceres *Warendorpium* se recipiunt, quod is populus *Monasteriensium* religionem approbasset, traditis in potestatem prophetis nuper *Monasterio* eò profectis, cum tribus civibus, qui mox paulo ferro absumpti sunt. *Jacobus Campensis* interea non segniter defudavit *Amstelrodami* habendos cœtus nocturnos, agitando secreta colloquia. Alii alios sollicitare, invicem in spem novandarum rerum erigere, vel absente Episcopo ac frustra reclamante, ne ad res novas per tumultum consurgerent, *Monasteriensium* res interim lubricæ se habebant. Rex *Bocholdus* operam uxoribus, effœminatus homo dedit. Duxerat viduam *Johannis Matthia*, cui persuaserat à Deo in reginam vocatam. Ad hanc decem alias juvenculas cives in uxores adscivit, quibus tres adjunxit. Harum œconomiam ita constituit, ut una regina omnibus aliis splendore, dignitate, mundo muliebri longe antecelleret. Hæc auream coronam gestabat, aureum item torquem, qui à collo dependebat, & vestium mundities auratarum, formam reddebat majestati conspicuam. Cæteræ uxores populari cultu à civibus & consueto ornatu, antequam regi nuberent, nihil variabant. Cum regina in eadem regia in una mensa cibum capiebat, ab ædibus Regis separatim regiam enim habebat. Huic item suum erat satellitium, præter pedissequas & ancillarum turbam. Per hos dies Rex concionatores, quos propheta *Tuiscoscurerius* se sua functione abdicare jusserat, pristino muneri restituit, opinor, ut ea benevolentia Regi obnoxii [quia cæteris plus aliquanto sapere videbatur] multitudinem uxorum ipsi sua autoritate approbarent. Jam inde in omnem licentiam ducendi dissoluti ruere cœperunt. Plerique quinas, nonnulli senas, multi quaternas sibi adjunxerunt. His ipsis diebus fama *Monasterium* adfertur, per *Hollandiam* & proximam *Phrisiam* Anabaptistarum cohortes palantes divagari, quæ ad ferendas suppetias Regi Sionis se instruerent. Omnium animis, sed Regis



maxime, uno rumore ad spem secundarum rerum erectis, mittitur ex templo eò cum magno auri pondere *Johannes Gelenfis*, & cum eo tres *Phrisi* nominis alii. Erat *Gelenfis* in re militari egregie exercitatus, & qui in bellis ordines etiam duxerat. Hunc Rex cohortibus illis Ducem præfecit. Mandat identidem abeunti, ut illis suis verbis dicat, quo ad expeditionem lubentiores essent, patrem per prophetam, *Henricum Hilversum*, Regi & populo suo Sionis sub jus & imperium tres potentissimas urbes, *Amstelredamum*, *Dovertriam* & *Wesaliam* promississe, se missurum, accessum modo maturent, & annonam quantam possent, convehent: urbem habere ita munitam, ut nullius hostis, quamvis potentis, vim formidarent. Mandat huic sedulo, ut vel alter *Mosche* eam hominum multitudinem fideliter *Monasterium* traducat. Duodecimo Januarii urbe excessit, quo tempore comæatus & rerum omnium annona oppidanis cepit deficere, ob eam causam dimensum in cœnas & prandia singula pondere singulis & mensura decretum, jam tum indies minuebatur. Ad eum usque diem bis quotidie ad accumbendum publice circa portas, ubi popinæ & triclinia instrata erant, convenire quondam & cœnarum horis soliti fuerant; Nunc vero deinceps semel ad sumendum cibum potumque & quidem frugaliter ac sordide, cum ad feces perventum esset, quotidie conveniebatur. Crescente interim magis magisque fame, cum perpetuum jejunium, non voluntarium me hercle, in urbe esset, duo è regia familia adolescentes erant, quibus stabat, quocunque letho potius, quam fame, confici. Nactis opportuna omnia, fugam capeffunt. Hac comperta, rex missis ad persequendum satellitibus, fugitivos nondum in pacatum elapsis, à fuga in urbem retraxit. De iis sumpta pœna est; ipse supplicii executor fuit. Vxorum regiarum una, civis *Monasteriensis*, jurgium in regia adversus unam aliam thori sociam moverat, quod ad aliorum ingenium se accommodare voluisset. Hanc rex publice manu sua percussit, nullo judicio damnatam, tyrannidem hoc prætextu palliabat, satis esse debere populo, si Rex causam suam, & viri consultores, Deo probare vellent.

Expectabatur indies publico desiderio *Johannes Gelenfis*, spe solvendæ obsidionis simul & levandæ famis, sed cum in spe diutius abesset, neque cohortes ullæ mitterentur, Rex, se ab homine delatum, amissa etiam pecunia, ratus, aliud cepit consilium: *Henricum*



*Hilversum*, prophetam, quem fidum sibi ob creditam fatorum præscientiam arbitrabatur, multo auro onerat, ut in *Phrisiam & Hollandiam* profectus copias conscribat. Additur huic *Johannes Nottellus*. Aberat à præsidio Episcopi, ad conjectum teli: ibi *Henricus* deserto Comite, auro onustus, iter ad Episcopum avertit, apud quem jam inde mansit. *Nottellus Daventriam* abiit & venit: ubi haud diu commoratus, *Monasterium* ad Regem se recipit. Ad hunc admissus, casum suum, & Comitis transfugæ ludibrium exposuit. Tum demum tota civitas timere, spem omnem salutis abjicere, fatale exitium prævidere, cum à prophetis proderentur, & ab iis destituerentur, quorum vaticiniis ab initio res suæ stetissent. *Henricus* paucis post diebus ex arce literas ad *Monasterienses* dedit, in hæc verba: Neque abs re, neque à Christiano homine alienum vobis videatur, cives! quod per speciem conscribendi exercitus, arrepta in eum usum pecunia, urbe digressus ad Episcopum transfugi: vestra dementia & errore meo intellecto, oblatam à Deo fugæ occasionem, quam jam dudum meditatus fui, læto animo arripui. Etenim quis vir bonus, quis sanus & dexteræ mentis in ea republica vivere & censerî cupiat, in qua nihil sani geratur? In qua nulla Eutaxia sit? In qua quivis subulcus & equiso, si velit, propheta habeatur? In qua ad scurræ unius perditæ audaciæ jus, qui impiis artibus in regnum venit, infeliciter vivatur? Ubi nebulonum somnia & inepta commenta pro vaticiniis recipiuntur? Quæ vita ibi expetenda est, ubi non humano sed pecudum more, nulla neque legis divinæ regula vivitur, neque homines naturæ ductu regantur? sed omnia, quoquo te vertas, pecuinis libidinibus fervent? Si quis exoriatur, qui facta dictaque cum scriptura pugnancia velit refutare, arreptus ad supplicium trahitur. Manifestam impietatem quovis paganismo scædiorem averfari, supplicium plus quam phalaricum est. Mitto horrendos errores hic recensere, & hæreses Sectæ abominandæ, quas nemo fanatici Spiritus præstigiis effascinatus quæat perspicere. At mens numine illustrata, pseudoprophetarum fucos, præstigias despicit & ludit. *Johannes Matthias* [cujus disciplina, quamvis vituperanda, tolerabilis tamen fuit] primam viam ad exitum vobis stravit: inde *Bocholdus*, homo stolidus & plenus amentię, videntes & scientes, ludibriis suis fretus, pseudoprophetarum opera succenturiata, vos funditus delevit. Sapere autem nuper cœpisti, sed ò sero! cum aliquanta bo-

Uuuu uuu ;

no-



norum pars, ad vindicandos hominis furiosi perditos conatus, de recipiendo in urbem Principe, refractis portis, occulta conjuratione teneretur. Tum autem sapuisse convenerat, cum simulato hominis amentis furori credideritis: cum fabri aurarii verbis ex composito confutis, de eo in regem recipiendo fidem haberetis. Quando [per Deum immortalem] ipse, aut eorum aliquis, qui se affatos jactitarunt, quid denunciarunt, quod vel feliciter, imo quod ita evenit? Ego equidem fateor, cum è vinculis *Monasteriensium* unus è viginti sex, meis artibus à clade superstes [quippe qui pridem meliorem mentem indueram] non prodigio aliquo, uti tum vobis multo callidior, publice persuasi, reversus essem: libuit ob id vel intra muros communes aliquamdiu jam inde versari, ut consilia, mores, disciplina reliquum exitum insaniam vestra propius inspicerem. Et quo prudenter hoc meum consilium tegetetur, persuasi per omnia verisimiliter apparitionem, visionem & numinis oraculum, de tribus clarissimis urbibus ad vos defecturis. Vanus *Bicheldus* vates ab initio fuit, & impostor sceleratus, cujus omnia consilia huc conferuntur, ut vos occæcatos, intra muros, ut feras in cavea, conclusos teneat, socios furoris & perditum conatus sui ad supplicium sciret: id quod, o Dii immortales! metuo ne breve sit futurum.

Lectis his literis, murmur ortum magis est, quam aperta presentis calamitatis insectatio. Expendebant, quibus artificibus & artibus huc miseriarum emerisissent: ut prophetarum vulgus quidem potius quam entheum, capitum suorum commenta vana ad populum referre ausum fuisset. Huc accedebat fames, huc nulla inedia vel minuendæ vel tollendæ spes aut expectatio. Et in his annorum angustiis, tyrannide à rebus novis compescebantur, fit tamen in diversis urbis regionibus trepidatio. Cives maxime se colligere, conglomerare capite, queri, nec remedium, nisi ex improbitate Deus aliquis appareret, rebus desperatis ullo consilio humano prospicere. Rex in ipso statim motu, trepido nuncio excitus, in publicum provolat ac populo tumultuoso tota urbe in conditionem advocato, ibi infit. Nunquam in animum induissem meum, o cives! novo baptismo renati, vos omnes ad omnem auram mobiles, laborum periculisque impatientes futuros fuisse, qui severitatem, & cum ea constantiam conjunctam, in natura communis vitæ semper estis polliciti: sed *Pauli* exemplum sectaturos, qui variis casibus



ctatus, quinque fame, nuditate, figoris aestusque incommodis varie exercitatus, tandem prospexit terram & ad ultimum salutis portum tenuit. Exemplum non est fabulosum, sed illius, quem post Christum sectari jubemur. Est enim Christianæ tolerantia exemplum, quod ceu speculum obtinere debemus. Etenim qui propter justitiam quocunque letho oppetere recuset, is, qui in nostra Ecclesia censetur, & nomen habeat, indignus est. Quoties consentientibus vocibus, concordibus animis acclamastis, mortem pro justitia velle mori? mortem vitæ anteponere? & si libera in pacatum abeundi potestas concederetur, mortem vitæ anteposituros? Ecquæ hæc est inconstantia? Quæ animorum levitas? Si in priori communi mortaliū omnium, quos præ nobis impios dicimus, fermento permanere fuisset sententia, diligens præparatio consilio fuerat adhibenda, antequam anabaptisticam religionem suscepissetis. Nunc vero, ubi nostris sacris estis initiati, quis furor mentes vestras dementat? Non, inquit Christus, me dignus est, qui injecta manu aratro, respiciat. Vos id ne faciatis, an non, lippis & tonsoribus pronum iudicium est. At canina fames, quæ vis intoleranda est, urget, ut semel mori optabilius foret, quam ea singulis horis strangulari. Non est, ò cives! salus in homine ponenda, sed salutis extrema & sacra [ut dici solet] ancora in Deo figenda, qui nostrum scutum est, paratum pro nobis altum in utramvis aurem sublatis pedibus stertentibus dimicare, obsidione liberare, bulimiam temporis momento omnium rerum commutare. Nonne is *Judaicam* gentem in vastis solitudinibus pane cœlesti & cornicibus prodigiose pavit? Veniat in mentem *Samarita*, subeat *Bethulia*, memineritis *Hierosolymorum*, hæc urbes cum & vaccina fame & aucta obsidione diu à potentissimis hospitibus premerentur, à Deo, cujus auxilium in rebus infestis & angustiis implorabant, liberatæ fuerunt. Enimvero, sic mihi ab initio semper persuasum habui, sed ne jam quidem ab ea fiducia deficio, nunquam patrem commissurum, ut inedia quis conficiatur, si non fert volucrem fame confici, at quanto fidelius nostri curam geret? Scio, cives, non vestro consilio, sed impuri spiritus impulsu in hanc vos externitionem adductos. Ille enim, ut ex *D. Petri* doctrina accepistis, ut leo rugiens circumvagatur, ut vos hauriat. Ille discipulum suum, *Henricum Hilversum*, malum ovum mali corvi, ex propheta transfugam factum excitavit, ut vos à Christiani justitia in paganismum retrahat.

Hunc



Hunc ego in familiam unam ascitum, merito semper suspectum habui, ne aliquando vulpinam leonina pelle commutaret. Vanitas hominis & impia scripta nihil vos terreat. Vanus propheta fuit, neque unquam fatidico Spiritu agitatus, quicquam dixit, quod eventus postea coarguerit. Habemus in proxima *Prussia*, in *Hollandia* fortissimas copias, à quibus [nisi divina mens me fallit] frumenta magno numero, & annonæ omne genus copia, expugnatis hostis munitionibus, brevi adjuvabimur. Hæc & his similia multa blandimenta dando, amentem hominem facile elusit. Per hos dies *Philippus*, *Landgravius Hassiæ*, legatum concionatorem suum *Brixium* [hic errat *Hortensius* in nomine *Brixii*]. Erat enim alius legatus, per quem misit responsum suorum Theologorum, ut postea patebit ad illorum insulsum librum, Restitutio, &c.] ad Regem & populum, statum civitatis maxime inspecturum, cum literis misit. Harum autem hic ferme tenor fuit, laudare se populum *Monasteriensem*, quod mutato veteris religionis statu, Evangelium concionarentur, sed cum variâ passim, eaque vix incredibilia spargerentur, cupere se doctrinæ eorum per suas legationes certiore fieri. Se quoque verbum Dei profiteri: velle laborantibus præsidia adversus hostes mittere, si doctrina eorum pura, sana ac scripturæ consentanea foret, prout scripto fidei suæ confessionem in lucem ederent, ut dijudicare de ea doctis, qui recto Spiritu agerentur, candide liceret. Rex legato nihil respondit. Mirantibus universis, cur tantum Principem ne verbo quidem dignaretur, multo magis publice auctus est metus. Neque vero defuit Regi, ad depellendam facti turpitudinem, ex tempore excogitatum commentum. Consilium, inquit, *Landgravi* non est sanum. Misit enim huc legationes suas, ut speciosis verbis explorato urbis statu, nos fallat & urbe potiatur. Nullus inde prope fuit dies, quo in forum non prodiret credo publicum lucum majestatis suæ ostensione leniturus. Sella ibi stabat, [ut à nobis dictum est] in quo holosericus confedit, & coronatus torque aureo ab humero transversum sub axillas utrinque porrecto, unde globus aureus, orbis imaginem representans, dependebat. In dextera sceptrum aureum erat. Adstabant utrinque duo adolescentes impubes caruleis amicti, quorum manicis orbis figura aurato filo intertexta enitebat. Horum dexter novi testamenti volumen, sinister gladium gerebat. Mysterium populo circumfuso inspectuli modum re-



gius orator interpretabatur: Evangelium tempus gratiæ significare: Respicere etiamnum ac Evangelium suscipere volentibus misericordiam patere: Perdurantibus in errore fenestram ad eam præclusam, & gladium imminere. Acto mense, gladius in dexterum latus translatus fuit, quo significare voluit, satis diu Evangelii gloriam viguisse: eos jam inde ferro perituros, qui illud hæcenus repudiaissent. Inciderunt hæc in annum trigessimum quintum, neque spes, neque expectatio reditus *Gelensis* in urbem promitti videbatur. Quid vero *Amstelrodami* dolo, astu & insidiis egerit *Johannes Gelensis*, prolixè *Hortensius* describit. Nam nomen suum mutavit, aliquando errorem confessus fide veniam consequitur. In *Phrisia* aliquot convocat, arma instituit, *Amstelrodami* sæpe seditionem movet & multa tentat audaciter, multos in suam pertrahit sententiam. Quomodo *Henricus Goerbelius*, hominis militaris, opera & auxilio usus, denique quomodo collecta magna hominum copia, nocte quadam urbem invadere & alios expellere conatus sit, ut posset ibi Rex esse, prolixè *Hortensius* refert. Imo is semel forum cum suis occupavit; Ubi Consul, homo doctus, *Petrus Colinus*, cæsus est, tandem clara luce cum pugnant civis & Senatus contra Anabaptistas, periit *Johannes Gelensis* & *Henricus Goerbelius*, proditur & *Jacobus Campensis*, & gravissime de illo sumtum est supplicium, ut de impio Episcopo. *Johannes Jacobus Middelburgensis*, evasit fuga. Hæcenus *Hortensius*. Sed redeo nunc ad Historiam *Monasteriensem* & ad illum *Henricum*, à cujus facto digressi sumus. Quicumque tandem is *Henricus* fuerit, sive *Dorpius*, sive alius quispiam, nomine *Grasius* vel à *Gras*, aut *Hilversius Goolandus*, juxta *Hortensium*, perinde est. Nos agimus æterno patri gratias per Christum, quod plenam Historiam ipsius impurissimæ factionis habeamus. Quocumque modo, inquit Paulus, prædicent Evangelium, modo prædicent: Quocumque hæc modo vel à *Dorpio*, vel alio quopiam acta sunt, non est nobis ea de re anxie inquirendum. Nobis satis est illa cognovisse. Quod autem scribit *Dorpius* in suo scripto de negotio religionis in urbe *Monasteriensi*, de puellis junioribus, quæ vel decem vel duodecim annorum erant, ita turpiter stupratis, verum est. Nam Regi minime satis erat, sibi elegisse sedecim uxores, [quanquam quidam dicunt, eum quindecim uxores & duas concubinas publicas habuisse] nec quoq; aliis, quod multas haberent, nisi etiam tales puellas lamentantes & plorantes ad se per famu-



los violenter raperent, & ut cum venia loquamur, quæ nondum nubiles erant, istarum pudenda vel vulvas [ò auditu horrendum!] instrumentis atque illicita vi aperirent, aut laceratis earum lumbis & lacertis quam turpissime hoc unum agerent, ut teneriorum puellarum corporibus impurissime abuterentur, nec ploratu vel ejulatione earum commoverentur, quæ postea ita viciatæ, vulneratæ & laniatæ curabantur à prædicta vetula; quanquam pleræque curari non potuerant, sed doloris magnitudine oppressæ, tandem sint mortuæ. Tam horrida & plus quam bellua barbaries atque furor execrabilis eos dementaverat. Omnes puellas sibi placentes, vel nubiles vel non nubiles, parvas vel magnas, ad se transtulit Rex, modo elegantes essent. Id videntes alii, idem imitati sunt. Sic multas teneras virgines vi quadam sui ministri traxere à matribus, quibus adhuc puppis ludere convenientius erat, quam viris adjungi, quibus post illum etiam sine dubio famuli abusi sunt. Hoc pater [dixere] jussit, istoque prætextu omnia lasciva, impura & turpia ille Rex sibi commisere. Cum quadam matrona negaret filiam suam famulis Regis propter absentiam mariti, [citra cujus suffragium sibi id non licere dixit,] statuerat Rex, isti, tanquam inobedienti patris voluntati caput amputare, & eam capitis pœna plecti. Sed cum minis non terreretur mulier, rapitur filia invita matre & ad Regem trahitur. Cum quidam Anabaptista viduam aliquam, unius interfectorum civium, satis pulchram, sibi adjungi turpiter peteret, & illa hoc recusaret fortiter, accusavit eam denegati concubitus ad Regem. Rex illam accersitam ad se, cum videret satis formosam, jubet, ut præstantiori vestitu se ornet & redeat hora duodecima. In prandio, circa horam undecimam, fingit raptum Rex coram Ducibus; Expertus dixit: Pater revelavit, quandam foeminam pulchram huc morituram, qua ego debeo abuti. Illa adveniente, putabant omnes Regem veram habuisse revelationem, nec sciebant, quod mandasset antea, & voluisset, eam redire. Ista ita propter metum reveria abutitur Rex. Hæc sunt opera regni justitiæ & Regis justis & piis Israëlitarum, qui colunt justitiam. Antequam vero Henricus ille [de quo diximus] redisset catenatus in urbem, nunciabatur Regi & populis, omnes illos in quatuor urbibus, ad quas ablegati erant, occisos & decollatos, Rex mirum in modum cum novo propheta *Matthæo*, consolabatur omnes, & *Rotmannus*, exoritur oratione, quid, in



quit, *Davidi* acciderit, novistis, quomodo primo variis sit exagitatus periculis & exiliis, quomodo etiam propter ipsum sacerdotes octoginta quinque sint misere occisi: tandem ad regnum elevatus, ne quidem liber esse potuit à suo filio, qui ipsum regno expulit; Ita & hoc nobis nostroque regno futurum erit, aliaque multa in hanc sententiam, ad consolationem populi, protulit pro sua facundia. Interim furore novo percussus *Knipperdollingius* & sui profiliunt cum instructa manu in castra, & ibi in singulis praesidiis, positis ad singulas portas, non levem stragem faciunt, praesertim, postquam indicio acceperant, milites plerumque bene potos fuisse. Interfectis multis, & portatis in urbem spoliis, novos iterum triumphos agunt, & tristibus oppidanis multis, propter legatos necatos, gaudium & laetitiam jam parant: En, ajunt, adhuc ne videtis, nos ubique reportare à nostris hostibus victoriam? In castris vero milites praesidiarii non sine tristitia [jam toties ab hoste oppressi & maximo saepe damno ab oppidanis accepto] cadavera oppressorum ex antris & castris latibulisque deportant ad sepulturam. Interim oppidanis non satis fuerat multos in castris occidere, sed plerisque capita amputaverant, eaque hastis imposita [veluti in urbe *Betulia* accidit cum capite *Holofernis*] oblongis ex muris spectanda hostibus exhibebant, quod ab eo tempore aliquoties fiebat. Hic quoque non est negligendum, quomodo Deus petulantes quosdam & securos puniat. Cum aliquot milites in suis tentoriis chartis lusoriis fallerent tempus, & essent satis procaces & inepti in isto lusu, en, globo ignivomo majoris bombardæ ex urbe ejecto, inopinate & subito rapiuntur omnes lusores, ut vix ex eis vel particula remaneret, vixque vestigium eorum conspiceretur.

Postquam quoque jam ad Regem & suos pervenisset, non solum, quomodo ille *Henricus* eum decepisset, ut diximus ex *Hortensio*, sed etiam percepisset caedem *Gelensis* & *Jacobi Campensis*, & deinde, quomodo aliqui ex suis fratribus *Wesalia* gladio caesi essent, & ipsius *Henrici* admonitione gravius & arctius esset, quam antea urbs, circumfessa, nullus ut cuiquam pateret exitus, cives in ediam veriti, deque suo periculo solliciti cogitabant comprehendere Regem cum praecipuis & eum vinctum tradere Episcopo. Nam jam tantum semel in popina dabatur singulis diebus cibus, idque admodum tenuis & frugalis, imo valde parum cuilibet. Rex autem, qui per in-



dicium rem cognovisset, ex omni multitudine deligit sibi duodecim, quos maxime fideles sibi putabat esse, eosque designat & creat. Duces, & singulis attribuit partem aliquam urbis tuendam & satellites, ut ne quis populi metus exoriri posset. Deinde populo promittit, totique multitudini pollicetur, fore ut ad Pascha liberentur ab oblatione & simul ab inopia. Duces erant hi, *Bernhardus zu Mores* / *fartor*, *Johannes Redecker* (ein Schuster) *Johannes Balck*, faber, *Johannes Dencker*, institor [fuit quidam *Johannes Dencker* cum *Mauzere*, quem hunc eundem fuisse, quod quidem vel inde colligebam, postquam promitteret dominia & Ducatus regionesque terrarum precipue Ducibus istis, adjudicavit *Saxonia* Ducatum isti *Denckero*, forsitan hoc nomine, quod ille in *Saxonia* & *Thuringia* fuisse, sed scribit *Bullingerus*, istum priorem *Denckerum* conversum esse ab *Oecolampadio*, & non multo post mortuum] *Engelbertus Edinck*, *Nicolaus Trip*, mercator, *Henricus Santes*, cacabarius, *Wesalia* oriundus, *Johannes Schwerdtfeger* / *Henricus Kock*, *Osnaburgensis*, *Hermannus Reinick*, *Christianus Kerkeringius*, nobilis patritius urbis *Monastericensis*, & Judex [quem ibi *Schulhen* vocant] *Leidensis* urbis, qui in urbem cum fratre Regis venerat, & is frater erat ex legitimo thoro natus. His omnibus distribuit *Germania* partes & regiones, nominatim civitatem quam cuique provinciam, quas artes & praesidia daturus esset, exponit ita; Inter alia *Christiano Kerkeringio* Comitatum *Tecklenburgium* assignat. Hæc quidem facta sunt in die Regum. Uni tamen *Landgravio Hassia*, *Philippo*, parcendum esse dicebat, quod hunc suarum partium aliquando futurum speraret.

Diximus, conventum indictum fuisse *Confluentia*, ad mensum Decembris eorum ordinum, quæ sunt provinciae *Rhena*. His etiam *Saxonia* Princeps Elector, *Johannes Fridericus*, ultro se conjunxit. Eo in conventu re deliberata deferuntur Episcopo auxilia subitaria, equites trecenti, peditum tria millia in sex menses. His copiis totique bello praeficitur *Wirichius*, Comes *Oberstenius*, hoc etiam decernitur, reliquos omnes imperii sollicitandos de auxiliis, & quia *Caesar* esset in *Hispaniis*, *Ferdinandum* Regem orandum, ut in *Aprilem* m. nsem ejus rei causa conventum publicum indicat; *Missis* deinde literis graviter monet obsessos, ut à proposito desistant, quod adeo sit inhonestum & impium, ut nihil supra: nisi parcant, seque legitimo suo magistratui dedant, profitentur Episcopo, qui nunc ipsos



obsideat, non esse deitura imperii totius auxilia. Fuit hoc sub finem Decembris. Illi rescribunt Idibus Januarii Anno 1535. multis quidem verbis, verum aliene, sic tamen, ut institutum suum laudarent atque defenderent, ad illud vero, quod ipsis objectum erat, de creato Rege nihil quicquam respondent, sed in literis, privatim ad Landgravium *Hassiae* datis, [in quibus juxta doctrinam Pauli, cui honorem, honorem, non suum honorem & titulum attribuerant Principi viro, sed sic inscripserant: Unserm lieben besondern Lips Landgrafen. Et in initio literarum: Lieber Lips / Ihr wisset &c.] conantur excusare, multa locuti de clade & internitione omnium impiorum, de liberatione & regno piorum in hac vita, simul ei mittunt librum, cujus mentio facta est, de Restitutione, & monent, ut respiciat, neque reliquorum Principum more, qui sunt impii, bellum ipsis inferat hominibus innoxiiis & populo Dei. Landgravius lectis illorum literis atque libro, quid in ea vituperet, annotat, suisque mandat ut respondeant. Et quoniam Anabaptistae paucissimis verbis atque subobscuris Regem non tam ab ipsis, quam à Deo constitutum esse scripserant, rogat, cur non ea scripturae loca, quibus id sibi licuisse putent, evulgarent, & signis atque prodigiis antea comprobarint? Nam de Christi adventu Deum per prophetas omnes multo ante praenunciasset, ita quidem evidenter, ut non solum de familia seu stirpe, sed etiam quando nasciturus esset, & ubi certo constaret. Causae quoque fieri cognitionem illi postulaverant: Ad hoc Landgravius, non istud jam habere locum, quandoquidem & gladii potestatem sibi sumserint, & tantae calamitatis existerint authores. Nam omnes videre quorsum exeant, nimirum ut leges omnes atque respublicas evertant, & sicut ipsorum institutum plane sit impium & sceleratum, sic etiam quod nunc de causa cognosci petant, fictum esse ac simulatum: se quidem ipsis Ecclesiae ministros misisse fideles, uno excepto, qui per ipsos seductus sit, à quibus haud dubie recte instituta sunt: quod autem eorum projecta doctrina, deficiant à magistratu, quod facultates aliorum occupent, quod plures habeant uxores, quod novum sibi Regem delegerint, quod Christum negent ex Maria virgine assumisse naturam humanam, quod liberum dicant hominis arbitrium, quod ad bonorum communicationem homines adigant, quod lapso peccatori denegent absolutionem, haec omnia tum sacris tum humanis etiam legibus averfari. Cum hoc ad eos esset allatum re-



sponsum, denuo scribunt & librum una mittunt lingua populari compositum de scripturæ mysteriis, & per epistolam denuo suam causam exornant & dogmata defendunt. In libro autem, quem diximus, totius mundi tempus atque cursum omnem in tres partes dividunt, & primum quidem mundum, ab Adamo usque ad Noë, in undatione periisse, alterum, in quo versamur, igni periturum, tertium plane novum futurum dicunt, in quo justitia regnet. Prius vero, quam hic postremus illucescat, eum, qui nunc sit, oportere per ignem expurgari, sed ita non ante futurum, quam sit revelatus Antichristus, & illius oppressa pene potentia: tunc demum ut collapsa sedes Davidis erigatur & Christus regnum suum in terris obtineat, & prophetarum omnia scripta compleantur: Præsentem vero mundum esse veluti aetatem Esau: Nam & in eo silere justitiam & pios affligi, sed ut à captivitate *Babylonica* veteres sunt liberati, sic etiam nunc à tantis ærumnis adesse tempus liberationis ac restitutionis, & futurum, ut impiis cumulate rependantur eorum scelera, sicut in Apocalypsi denunciatum sit. Hanc autem restitutionem antecedere futurum seculum, ut impiis omnibus oppressis, justitiæ veluti domicilium atque sedes adornetur. Eo libro perlecto, Langravius Princeps iterum negotium dat suis aliquot Ecclesiæ ministris, videlicet *Johanni Campio*, *Johanni Fontio*, *Johanni Kymeo*, *Johanni Longo*, *Antonio Corvino*, ut contrarium scriptum opponant. Isti autem quatuor graviter Sectariorum & Anabaptistarum argumenta retulant, & ad singula perspicue respondent, ut omnes pii legere poterunt in Tomo 2. *Witeberg. Germanico Lutheri folio 458.* Totum quoque libellum ineptum, Restitutio, &c. refutavit *D. Urbani Rhegius* in scripto, cujus titulus est, de Restitutione regni Israelitici contra omnes omnium seculorum Chiliastas, in primis tamen contra Millenarios *Monasterienses* Disputatio *D. Urbani Rhegi.* Hanc enim inscribit *Wichmanno Bramescano*, Secretario piissimi Ducis, *Ernesti Lüneburgici*, ut articulos illos velit *Osnaburgensi* Ecclesiæ communicare, tanquam vicinæ *Monasteriensibus*, quo, perspecta fidei veritate, facilius queat illa vitare vicinæ urbis errores & mendacia, &c. Graviter ibi refutat libellum *Monasteriensem*, cui titulus est Restitutio, quod scriptum exstat in Tomis *D. Urbani Rhegi.* Decretum illud *Wormatiæ* [ vel *Confluentia* ] factum, civitates quædam perpaucae, quæ tum interfuerant, minime comprobant, ac domum se renu-



ciaturos dicunt. Postea reliquæ omnes imperii civitates conveniunt *Eslinga*, ac ibi demum statuunt, eos, qui *Confluentia* convenissent, antea non habere jus ullum onus ipsis imponendi. Nam in eo Cæsaris & omnium ordinum debere consensum & auctoritatem intervenire. Decretum itaque factum repudiant, & invicem auxilia promittunt, si quem hoc nomine periclitari contingat. Quod autem in publicis imperii conventibus legitime pro Republica fuerit decretum, in eos se facturos officium, demonstrant. Quod ad urbem attinet, ingravescente annona ibi, jubet Rex [qui ipse, & antea alii prophetæ, sapius exclamaverunt: Deum ipsos velle pascere pane cœlesti, ut Israëlitas Man] nunc vero ejici senes & anus impotentes cum pueris & quotquot ad arma apti non videantur, interim hoc jubet eis eripi, si quid pecuniæ vel bonorum secum auferre decrevissent, & ita spoliatos expellit. Hi etsi non videant, quo se recipere debeant, & sint in magno luctu, tamen eorum orationibus & ejulatu non movetur, sed per suos ministros sine misericordia propter famem ingruentem mandat pelli ex urbe. Miseri illi ejecti labuntur ad hostium castra, sed repulsi ad urbem, nec ibi, nec hic recipiuntur; itaque aliqui, propius accedentes ad castra, subito in tali furore à militibus confodiuntur. Hoc alii videntes & hærentes inter urbem & castra, multis lacrymis & querula voce supplicique eaque clara misericordiam petunt ab hoste. Sed cum tam subito non consequerentur aliquid spei miseris illi, suspirabundi magno ejulatu manibus & facie ad cœlum levatis orant ex imis cordis visceribus, optantque mortem, clamantes: Ah! utinam vel terra concava & aperta dehisceret nos miseros absorberetque, vel Deus nos fulmine suo feriret, & ex hac tanta calamitate statim eriperet; Alii cogitabant, quomodo se ipsos interimerent; Alii inedia multa tabidi gramina carpunt. Potissimum omnes sunt tam anxii, dubii & turbati, ut quo se debeant vertere, ignorent: Alii crines evellunt sibi; Alii tundunt pectus; Alii plicatis manibus eisque conglomeratis & compressis digitis lacrymantur & clamant; Alii in herbis præ angore & tenui valetudine se volvunt & revolvunt. Tandem elapsis aliquot horis commoventur hostes, hoc est, Episcopus & Duces, audito tanto gemitu, ploratu, angore ac miseria, inprimis vero habito senum respectu puerorumque innocentium, dant illis transitum per castra, ita, ut procul abeant à suis, hoc est, Episcopi oris & finibus:



bus: Deduci eos jubet per castra à suis, ubi homines jam senes, debiles, mœsti [qui notas mortis circumferebant, & in quorum cute totoque corpore vix guttula sanguinis vel rosei ruboris apparebat & conspicietur, & qui adeo tenues & macilentis erant, ut vix ossibus hærerent, quorum etiam multi cogebantur procul à suis domibus, bonisque & patria discedere, & incertis ab eo tempore in extremo senio oberrare sedibus, &c.] miris derisionibus, cachinnis, verbis lusoriis & vexationibus ab omni exercitu deluduntur & excipiuntur. Horum numerus erat septingenti. Quoniam in urbe incipiebant membranas librorum, qui adhuc clam reservati erant, & corium calceorum [quæ omnia, qua prius mollire solebant] edere. Alii ex pellibus vulpium & ovium, quibus viri aut foeminae in vestitu usi erant, corium abstracta lana cibum parant, dissecantes illud in minutissimas partes, & deinde aqua fervida emollitas istas particulas edunt. Multi ita aliquamdiu corpus sustentarunt. Alii vero recentia gramina carpebant in Quadragesima anni 1335. Alii muribus, alii felibus, alii equis, alii canibus, nonnulli ranis vescantur. Circa Festum Purificationis incipiebant oleris & brassicæ atque id genus semina in fimum jacere, plantareque in agellis urbanis foeminae, quoniam omnes fabas, porrum & caepe propter inediam jam absumserant, nec frumenti vel obsonii vel carniū quicquam supererat. Quod si istam farinam, ex qua faciebant pulvem, quæ in oppugnatores antea effundebatur, sibi nunc reservassent, tunc profecto ipsis jam utilissima & gratissima fuisset. Ideo quotidie maximus in urbe planctus diraque fames omnes invadit adeo, ut quibusdam fame & inopia rerum pereundum esset. Itaque his visis, quæpiam ex reginis, *Elsa Wandscherers* [quæ fuerat hætenus Regi obsequentissima & inter reliquas pulcherrima] miserata vicem populi, dixit forte ad alias conreginas, se optare, sibi à Rege dari libellum repudii, ut posset commode effugere ac transitum facere ad hostem, postquam non queat audire ploratum plebis, eamque miseriam, inopiam & pallorem miserorum hominum intueri diutius, se quoque metuere tot & tam amplis criminibus refertum istum Regem, ut amplius perstare nequeat. Legi enim in Evangeliiis, Christum pauperum habuisse rationem, & ipsum cum suis parce & sobrie vixisse: Itaque sibi persuaderi non posse, Deum hoc velle, ut ad hunc modum homines inedia consumantur. Rex, qui penum haberet do-  
mi



mi instructum non ad usum modo necessarium, sed ad luxum etiam, [quia superata & capta urbe, tot obsonia, cibi, fruges, carnes, potus & vinum in aula Regis & Ducum ejusque officiariorum reperiuntur, ut inde commode per tres integros menses omnis in urbe populus sustentari potuisset; Interim isti hoc sibi servabant & nemini communicabant aliquid] ubi rescivit hoc, in forum illam producit, & una reliquas omnes, & in genua confidere jussam hanc in corona reliquarum, capite plectit & mortuam ignominia notat, ut scortum, calcans pedibus cadaver, inquit: non voluit mihi obedire, quod audiente plebe dixit, ne quispiam de isto facto sinistre suspicaretur, [quod tamen scribit *Corvinus* in Epistola ad *Spalatinum*, in aula & palatio à Rege factum.] *Corvinus*, se hoc Regi objecisse, sed illum respondisse, id jussu factum esse prophetæ, testatur, aliquando id exemplo *Ammonis*, ejicientis *Thamar*, sororem, post stuprum, excusaverat [aufugerant quoque duo adolescentes ex aula, qui quoque ex fuga retracti puniebantur, ut diximus.] Eo facto, reliquæ concinunt cantionem germanicam: *Allein Gott in der Höh sey Ehr/ &c.* & ita patri cœlesti gratias agunt. Deinde Rex choream ducit. Multitudinem etiam, cui vix panis atque sal erat reliquum, ad saltationem atque læticiam cohortatur, quod videlicet nunc in templum novum & regnum Sionis essent ingressi. Quo tempore etiam graviter mandat, ne quis in regiam majestatem quicquam dicat, nisi sub capitis pœna. Hæc facta sunt in Februario post Festum Purificationis. Mox cum in eandem sententiam loqueretur ad maritum uxor *Knipperdollingii* [honestæ & in pauperes benefica scœmina, cui semper displicuit institutum viri] quam adolescens duxerat, producit illam quoque tyrannus ille & eadem de causa ense percutit.

Cum autem venisset Pascha, neque liberatio appareret ulla, Rex, qui magnifice promiserat, ut ad excusationem aliquid inveniret, per sex dies agritudinem simulat, post in forum prodit & asino cœco se insedissee totiusque multitudinis peccata sibi patrem imposuisse dicebat, tunc igitur ipsos plane esse mundos, & ab omni piaculo esse solutos: hanc illam esse, quam ipse promiserit nuper, liberationem, qua quidem debeant esse contenti. Interim pestis, & varii morbi initium sumunt in urbe, ex tanta fame initium trahentes, & quia fames quotidie & inedia major fiebat, ut nihil amplius absumtis gliribus, muribus, ranis, canibus, equis, reliquum esset, quam



parum recentis graminis, graviter de liberatione consequenda plebs instat, quasi fame ad extremum redacta. Collectis igitur & delectis viris fortioribus, in ipso Majo mense exit rex portas & irruit in hostes, magnam inopinato exitu cladem facit in castris, in quo etiam prælio ruit præcipuus centurio, *Aquensis*. Idem sequentibus diebus facit saepe per aliquot septimanas, sperans forte, se aut evasurum ita, aut subito periturum in pugna. Unde etiam accidit, ut in talibus præliis periret inter reliquos *Johannes Grifus*, *Tecklenburgensis*, qui cum cecidisset, regressi milites, qui jam terga dederant, arma sumunt pro mortuo suo Domino, & impetum facientes in Anabaptistas, eorum novem occidunt; et ita certatur aliquoties & iteratur pugna. Sed cum viderent multi, omnem conatum Regis esse irritum, sub istis pugnis quidam clam effugiunt. Hoc considerans Rex, qui etiam videbat, alios ministros, fame fere enecatos, moliri abitum, postquam se frustrari spe viderent, permittit eis, qui velent, exitum. Multi ergo aperte, iiique plerique, juvenes ac feminae, in eadem propediem enecati, vix se sustentantes baculis & arundine, egrediuntur magno cum luctu, qui vix absque adminiculo progressi poterunt propter corporis debilitatem, qui, inquam, nihil aliud facie quam ipsissima cadavera & ossa mortuorum, representabant, squallore & inedia tabescentes. Exeuntes hos deridebant alii ferociores dicendo, exite ad vestros hæreticos, & mox istos spoliarunt omnibus iis, quæ clam secum auferre cogitabant, detracto etiam quibusdam meliori vestitu, quos spoliatos mox pellunt ex urbe, nihil amplius in socios misericordiam exercentes. Interim ille Rex edictum edit, ipsos deserendos, qui jam Regem Israël desererent. Illi inquam, ita nudi egressi supplicibus signis & extensis palmis petunt ab hoste misericordiam, deinde & longis precibus & lacrymis veniam & gratiam ab iis, quos alias misere ipsi deriserant & deserant, postulant. Hic milites iterum recordantes proacacitatis prioris & sarcasmi, quem isti olim in castra jecerant, diro cum murmure arripiunt arma, & statuunt in eos impetum facere, eosque omnes interimere, & etiam nonnulli trucidabantur, sed quorundam Ducum & aliorum cordatorum flexi ad misericordiam precibus & admonitionibus, de clementia & misericordia etiam hosti exhibenda, desistunt. Postquam illi miseri ita in magno ploratu intra urbem & castra per dies aliquot vagati essent, tandem milites deponunt ar-



ma, & ab isto proposito desistunt. Hi quoque similiter ut priores, magnis singultibus, suspiriis, ejulatibus, & quidem majoribus, deplorant suum statum & miseriam, capitibusque & manibus ad cœlum elevatis petunt opem. Tandem post multas & diutinas eorum voces & preces finitis quatuordecim [ut opinor] diebus, flectitur præsul cum Ducibus, & simul hos, ut antea alios, duci curat per castra, ea lege, ut procul à suis discedant finibus, tantum, quod prius velit, eos sibi exhiberi ex isto numero, qui simul autores tantæ in ista urbe exortæ turbæ forte fuissent. Sed cum hic sese omnes excusarent, & conquererentur, ex suis quosdam eorum voluisse egredi, verum cum tunc ipsos hostium loco habuisset præsul, & quosdam exeuntes interemissent sui, metu quodam regressos ad urbem, quosdam etiam inopinatè conclusos & vi detentos in urbe, ibique mansisse se invitos, nec unquam potuisse quicquam tentare propter Regis & suorum vigilantiam, etsi sæpe optassent & etiam decrevissent Episcopo aperire urbem. Sese vero omnes plebejos esse, & semper citra ululum munus privatim in obsidione vixisse. Accepta eorum excusatione, sunt illi non sine derisione & joco militum per exercitum vel castra deducti, præeuntibus eis, quos ad hoc delegerat Princeps. Horum erant numero nongenti, aut ut alii putant, ad mille.

Libet autem adscribere huc verba *Caspari Hedionis*, quæ de horum hominum miseria in ipsius Chronico exstant, & sunt hæc: Postremis duobus mensibus, ante diem expugnationis, nullus pene dies præteriit, quin multi exirent urbem, & interim à castrensibus interimerentur. Hi omnes mortuis cadaveribus similes erant, capiti ruginosa cutis misere adhærebat sine omni carne: Hångte noch an den durren Beinen/am Hals/gleich als an einem Rohr/liegend: Die Ohren / Naslöcher / Backen / Leffken / waren als dünn und durchschneidend / wie Pappier: sie waren alle ausgemergelt / krafftlos / unvermögend / und vermochten den abgekommenen schwachen Leib kaum hernach zu ziehen / sondern wie die vierfüßigen Thiere / sind sie auf der Erden mit Händen und Füßsen umkrochen. Etliche gingen an Strecken / schwanckend. Der zu Boden fiel / wie fast er sich des unterstund / mochte er aus eigenen Kräfften nicht aufkommen / und wo einem am selben Ort niemand zu Hülf kame / gab er seinen Geist auf. Also sind allenthalben auf dem Felde / das zwischen der Stadt und den Blockhäusern war / die todten Körper gelegen / und haben drey Knechte können vierzig Menschen gefangen nehmen und um sie her gehen /



hen / gleich wie um den Pferden und Schafen geschicht / &c. Die sind auch dem Bischoff geführet / &c.

In imperii conventu, quem Rex *Ferdinandus*, rogatu Principum, Aprili mense *Wormatia* per legatos agebat, civitates, quæ nihil adhuc pecuniæ dederant, protestantur initio, se ad eum diem adesse, non propter decretum, *Confluentia* factum, sed ut *Cæsari Ferdinando*, Regi, morem gerant; Post magna fuit ipsis de contributione cum Principibus contentio & altercatio. Tandem fuit decretum auxilium in menses quinque ad viginti aureorum millia menstrua: item ut expugnata vel capta urbe, parceretur innocenti turba, & ut viris bonis, qui vel essent obsessi, vel alio migrassent, bona restituerentur. Eo facto decreto, *Monasteriensis* exercitum tradit *Oberstenio* Comiti, qui tunc debebat omnia nomine imperii administrare. Sed cum negligenter admodum & prope sero conficeretur pecunia publica, nihil potuit præclare administrari, tum & ipsi Duces ac centuriones, ob difficultatem rei nummaria, non semel in magnum fuerunt vitæ discrimine, tumultuante milite. Cum vero intra urbem jam res in eum esset deducta casum, ut fame complures quotidie morerentur, & pestis, febris, tabiosa lues & alii gravissimi morbi inciperent ibidem grassari, & multi etiam jam alio discessissent ac foras prodiiissent adeo tenues & afflicti, ut etiam hostis ulius insisset in eos misericordia, iterum belli Duces monere incipiunt oppidanos, quod si Regem & paucos præterea quosdam traderent, nihil futurum esse fraudi. Cives, etsi vehementer optabant, severitate tamen & vigilantis Regis suorumque & *Bataavorum* atque aliorum peregrinorum numero deterriti, nihil audebant. Tam enim erat Rex obstinatus, ut quamdiu superesset, quod ipse cum suis ederet, non esset facturus deditioem. Itaque Duces rescribunt eis, ne posthac ullos emittant, ne pueros quidem ac mulieres. His & legibus quoque Regis prolata territi multi maluerunt manere, & quidvis labire, quam egredi, cum ita socii egressi, domi & foris tractati essent. Hoc fecerunt Calendis Junii. Postridie respondit Rex & sui, queruntur, non admitti ad cognitionem legitimam, & præter omne suum meritum gravissime urbem affligi: quod si quis errorem ipsi demonstraret, non se defuturos officio. Deinde locum quendam *Danielis* explicant de quarta bestia longe omnium favissimam. Exitus erat literarum, se beneficio Dei in hac veritatis confessione perman-



uros ac perseveraturos. Sed jam res ad extremum erant redactæ, quoniam jam absumentis muribus, equis, canibus, gliribus, ranis, omni frumento, fabis, porro, cepe, leguminibusque, quæ omnia in summis habuerant deliciis, nunc tantum oleribus, bulbis, vescuntur ac gramine. Alii alutam vel corium rodere incipiunt. Quidam muscas capiunt orique ingerunt. Ibi quotidie magnus auditur ejulatus & ploratus. Ibi multi contabescunt inedia, fame pereunt, moriuntur, putrescunt. Nonnulli reperiuntur mortui, in quorum ore parum graminis infertum adhuc reperitur; Imo eò fames redegit miseris illos, ut non amplius parcerent liberis. Nam inceperunt & filios & filias mactare parentes, de qua re nominatim refert Exemplum *Bolandus* sic: Erat quidam artifex, subtilis & industrius in arte sua [qui vir probus & modestus semper habitus erat, & cum multis aliis invitus in urbe remanserat cum uxore & liberis,] tantam is perpeffus erat famem, ut desperabundus aliquando apprehenderet puerum quatuor annorum, & discerpere inciperet; Ibi cum puer acclamaret matri lacrymans, valde levatis ad eam manibus, dixit subridens mater: Cibus est nobis necessarius, ita pater dissecuit filium, ut ei cibus fieret. Cum autem filius ætate major hoc videret, auferat à facie patris & matris, ne & sibi idem accideret. Capta urbe sunt in quibusdam cellis repertæ pernæ & carnes infantium sale conditæ; quod etiam *Corvinus* testatur in Epistola ad *Spalatinum*, ajens, se audivisse ex eis, qui in reliquias quasdam mactatorum infantium ac puerorum inciderant post urbem captam. Fuit quidem, ait, vehemens *Saguntis* fames; Fuit & Hierosolymis ingens in obsidione: At hic non minorem sensere Anabaptistæ. Vidi ipse multos ibi libros, quorum detracta coria victum miseris suppeditaverant. Et eo inediæ postea ventum est, ut nullum corii genus tam fuerit durum, quod non esculentum ipsis factum sit, &c. Hæc ille. Deinde cum quotidie Rex cum suis excurreret & faceret aliquam stragem in hostibus, qui tunc vel ex suis vel ex hostibus perierunt, istorum cadavera recentia in urbem famelici transtulerunt & inde sibi obsonia pararunt & comederunt, alias etiam partes sale condiderunt. Deinde ex intestinis paraverunt farcimina, quorum aliqua adhuc post urbem captam reperta sunt. Hic Rex novam spem facit populo, sibi divinitus à patre revelatum, ut quædam nova *Judith* cum nova quoque famula *Abra* emittatur ad istum mysticum *Holo-*



fernem Episcopum, cuius etiam meminit *Corvinus* in Epistola ad *Spartanum*; Item *Bolandus* in suo Carmine, & *Johannes Gafius* in scripto de Anabaptistis. Eligitur vero elegans & præstans mulier forma, quæ vestibus pretiosissimis induitur, atque gemmis auroque & annulis ornatur mirum in modum, atque apud se duodecim numismata Regis gerebat; Quanquam *Corvinus* scribat in Epistola ad *Spartanum*, quod ipsa mulier prodiderit, sibi à patre revelatum esse, ut tanquam *Judith* ad *Holofernem*, ipsa quoque ad Episcopum iret, &c. Ut illa res sit, perinde est. Certum est illam exiisse. Hæc cum formula quoque mediocriter culta, subornata, & ad fallacias omnes instructa, exit urbem, & veniens ad castra lacrymatur, conquerens lamentabili voce, se difficulter cum suo ornatu & qualicumque perniciola ex urbe aufugisse & evasisse periculum. Nam quædam, inquit, struxit mihi insidias Rex: Ego vero me abdidit, habens rationem meam pudicitiam, & diu occasionem exeundi urbem quærens, jam tandem nactus sum, sperans, & vitæ & pudicitiam consulere melius me posse apud hostem præfulem, de cujus clementia & bonitate non dubito. Ita illa procidens à militibus & Ducibus petit supplicem veniam, & deducta ad Episcopum, miris & patheticis verbis laudem factum, propositum & excusationem exornat, & ita sibi meritoque veniam & vitam impetrat. Symbolum autem vel signum tale reliquerat oppidanis, quod si speraret sui propositi successionem, se elaturam sua vela & tegmina foeminea. Elevatis igitur velis indicat in urbe suis, sibi jam spem esse de occidendo præfule. Cum autem istud animadverterent milites, quid hoc sibi velit, quarunt; ipsa respondit, se isto signo evocare maritum & simul ei indicare, quod saluum conductum ab Episcopo impetrarit. Oppidani magna jam spe lætabantur, accepto symbolo rei successuræ. Sed cum *Hermannus Camertes*, civis *Monasteriensis*, cognosceret, ab ista ficta & subornata *Judith* datum signum futuræ successionis, jam pertectus impiæ Sectæ, sua sponte clam per muros delapsus, venit in manus hostium, qui cum tela & gladios in illum vibrarent, parcite, parcite, inquit, quia vestri & Episcopi causa prosilii & delapsus sum non sine periculo ab urbe; Propterea, inquam, venio, ut consulere Episcopo ejusque vitæ, atque ut ejus Celsitudini insidias sibi structas revelarem & patefacerem. Ita is deductus ad Episcopum, rem omnem de ficta *Judith* patefacit, & miserum statum, urbis, Regisque propo-



situm & annonam, revelat diferte & bona fide: atque ita sua revelatione, tanquam *Raab*, meretrix in *Fericho*, impetrat sibi suisque libertatem retinendi ædes & bona & saluum conductum. Prodit *Judith* ad carcerem arcis *Bevergeren* deducitur, ubi etiam non torta vel tormentis subiecta ultro confitetur omnia, & interim perseverat in sententia & malo proposito, libereque fatetur, sibi nihil magis in votis esse, quam si istum *Holofernem* [intelligens Episcopum] posset pugione ferire & interficere, perseverantem in proposito sceminam, & quasi induratum, jussit præsul de consilio suorum legitime è medio tolli. Eductam ad supplicium interrogat carnifex, quid adhuc sentiat, num jam etiam cupiat nocere Principi præsul, idem respondit, quod antea: Nihil se magis optare. Verum ego, inquit ille, tuam prius feriam cervicem; Sed illa mox resultando in carnificem subridens, nunquam hoc poteris, ait, quoniam non est tibi id permissum à patre. Verum ille denudato ejus collo, sedas tu, inquit, & ego experiar. Nihil minus facies, dicit ipsa, & interim se inclinat, sed verbis sceminæ vix absolutis jam caput è cervice gladio sustulerat. Sic mulier vana spe fallitur, vitamque perdit, cujus deinde cadaver rotæ imponitur. Cum & hoc quoque perveniret ad oppidanos, & jam ad extremam & summam miseriam res esset deducta, eorumque conatus omnis esset frustraneus, duo quidam profugiunt: ut *Henricus Gresbecke*, faber, & *Hensulus à Langenstrassen*. Prior ea ratione impetrat aliquam gratiam, quod potiundæ urbis rationem ostenderet, interim liber factus, non satis fidit hosti, sed clam aufugit. Verum hic latius dicendum, quid alter fecerit. *Hensulus à Langenstrassen*, *Phrisius*, qui clam anno superiori [Anno 1534. circa Festum Bartholomæi ex castris, in quibus fuerat gregarius miles] in urbem sese conjecerat, & Regi, quid in castris agebatur, & quomodo oppugnationem tentare decrevissent, die lunæ post Festum Bartholomæi indicaverat: quo facto, erat mediocriter Regi gratus & uaus ex suis aulicis. Hic, inquam, cum videret etiam, penum Regis vacuari & rem apud reliquos ad restim redactam, inquit secum consilium de nova prodicione, ut sibi consuleret, quo jam secum capto adiit supplex Regem, inquit: Cum tu sis Rex regum & Dominus dominantium, solus ac verus gubernator in Sion, monte sancto, & templo novæ *Hierusalem*, gloriosus, placidus, pius, & non minori [imo etiam majori] sapientia repletus quam *Salomon* ille, mihi persuasissimum habeo,



beo, Deum patrem T. R. M. à se electam non deleruram, nec  
 quoque dubito, imo certissime scio, T. R. M. brevi felicia quæque  
 obtenturam in suo regno, devinctis impiis hostibus, veluti accidit  
*Hiskia Regi & Esaiâ in urbe Hierusalem.* Interim quemadmodum  
 illi refecerunt mœnia & media æqua adhibuerunt urbi suæ, ita cen-  
 seo quoque idem nobis licitum esse ut faciamus. Audiatur igitur T.  
 R. M. pro sua pietate, clementia & mansuetudine, vestri clientis  
 sententiam, & eam si maxime displiceret, in meliorem interprete-  
 tur partem. Annuente Rege, videt, inquit, T. R. M. civitatem fa-  
 me perire & desperare subditos, nihilque esse solatii reliquum. Ego  
 itaque mecum expendi, utile fore, si pace vestra, urbe exiens vel  
 ex castris quosdam milites mihi notos & familiares, spe magna pel-  
 licerem & pertraherem, ut mecum urbem ingrediantur, vel aliunde  
 trecentos milites adducerem, ut istis aucti nos possemus erumpere  
 & hostem urbe abjicere: Aut si id non placeat, videtur aliud con-  
 sultum, videlicet, ut Ducibus & Centurionibus, qui plerumque mi-  
 hi noti sunt, suasor sim, ut mihi trecentos adjungant milites, quo di-  
 cam, me posse urbem invadere, & oppidanos famæ & inedia debilita-  
 tos superare: Et spero, id me persuasoriis verbis effecturum, ut mi-  
 hi fidem adhibeant. Adductos autem istos trecentos oppidani mox  
 trucidabunt, qua tunc nece suorum audita terrebuntur milites & ca-  
 stra reliqua, & mox ex castris fugient, nosque tunc eos celeriter in-  
 gredientes insequemur, ut ita liberetur obsidione urbs. Verum parum  
 necesse erit mandare subditis, ut mihi & omnibus illis, quos addu-  
 co, liber ingressus & egressus concedatur. Rex jam in angustia po-  
 situs & perplexus, nesciens, quid faceret, credit homini, & quod-  
 cunque libitum fuerit, facito, [ait] & abi in pace tibi concessa, &  
 impetrata apud omnes exeundi & intrandi copia. Noctu delapsus  
 per castra clam abiit *Hensulus ille Hammonem*, [quæ est urbs Comita-  
 tus amplius de *Marcka* in *Westphalia* celebris] ad *Meinhardum*, Ducem  
 militum, virum militarem, & inter milites valde illustrem, cui fami-  
 liariter notus erat, & aliquoties sub eo stipendia meruerat, & nu-  
 per ante urbem in ipsius agmine fuerat militans; [Hædus putat ipsum  
 inter egredientes fuisse, qui captivi ducti sunt ad Episcopum, sed ter-  
 rat.] Hic apud ipsum precans veniam, mox exponit consilium, quo-  
 modo pauco & exiguo admodum exercitu, modo suum consilium  
 & ductum sequantur, possit occupari urbs ab hoste. *Meinhardus* mo-  
 ve.



vetur hominis callida persuasione, & profectus cum eo in castra, reconciliat hominem Episcopo, eique institutum *Hensuli* exponit. Convocato Senatu & *Oberstenio*, Episcopus vocat ad se *Hensulum*, & jubet ipsum referre, quid suadeat. Hic exorsus [homo brevis sed imperterritus & subdolos] prolixè exponit ipsis deploratum urbis statum, Regis deinde impietatem & Sodomiam, & simul quanta ac quam inexplicabili inopia inediaque debilitati sint & premantur indies quotidie magis. Itaque se nunc paucis milite, videlicet numero trecentorum bene armatorum & selectorum posse urbem occupare & in manus Episcopi tradere, cum sit gnarus viæ & omnia explorata habeat. Addit autem ex suo subdolo ingenio hoc *Hensulus*, quod si illud propediem non fiet, vix pauci dies elabentur, quin Sargentino more omnia adhuc reliqua bona Vulcano consecrent & totam urbem succendant, & ita postea sive clam per castra desperabundi elabentur vel occidantur, aut in urbe concrementur; Et tunc Reverendissimus Princeps post tot devoratos labores, & simul *Oberstenius* Comes inglorii discederet ab obsidione; Itaque consulo, ne continuatis amplius obsidionem vel differatis. Hic etsi inconstanti homini non facile crederent, tamen cum Duces & centuriones audirent, urbem propediem igne consumptum iri, facile iverunt in sententiam *Hensuli*, ea solum de causa, ne suis privarentur spoliis. Persuasus Princeps facit, quod de sententia *Hensuli* statuunt, interim promittitur *Hensulo*, si res succedat, præmium. Verum is nebulo ita & apud regem in urbe, & hic in castris, apud præfulem omnia effecerat, ut, quocumque modo res caderet, ille in gratia maneret, sive apud regem, sive apud præfulem victoria staret. Sed Junii die 22 monent per colloquium prius, ut sese dedant & multitudinem conservent, quæ fame contabescebat. Illi, præsentè rege, per *Rotmannum* respondent, sic tamen, ut à proposito nollent discedere. Mox ipse rex, prorumpens in hæc verba, dixerat coram potissimis legatis ac Ducibus, si jam vos petatis veniam depositis armis, mihi que supplices fiatis, ignoscam vobis, quod hæctenus obsideritis urbem, & vitæ vestræ parcam. Ista inquam verba tanto boatu & animi fortitudine protulerat, ut plurimos hostium commovissent & turbassent; Sed forsitan eos, qui timebant, ad strepitum folii. Biduo post, noctu sub horam undecimam, in Festo Nativitatis Johannis Baptistæ, cum pridie multa prodigia in campo summi templi, ubi pii cives erant trucidati,



ti, conspecta essent, copia expertorum militum per *Uram Hespalem* ad fossas & vallum ducuntur, & industria profuga *Hesperi* milites illic per fossam in vallum silentio perveniunt, qui, interfectis excubitoribus circa portam crucis, portam minorem offendunt, parentem, & ita circiter quingentos cum aliquot Ducibus & signis, in primis egregio & nobili viro, *Wilkino Stedingio*, [qui postea fuit duo Satrapa in *Cloppenbergo* & adhuc annum 1565. fere vixit] urbem invadunt & statim ad terrendos hostes septem signa erigunt militaria, deinde mox currunt ad campum Ecclesiasticum. Fuit autem sub ipsius signis quidam olim aedituus ad S. Paulum, gnarus omnium viarum, cuius opera plurimum tunc *Stedingius* utebatur. Interea *Wilkinus* ille committebat, nescio an huic custodi, vel alteri militi, curam templi Paulini. Is temerario ausu exspatiatur ad Regis aulam vicinam, & incidens in puerum regium, eò verbis verberibusq; cogit hunc, ut ei ostendat regalia sui Regis, [Rex enim, cum audierat, aliquot hostes in urbe esse, statim vix paucis vestibus indutis, & injecta sibi catena aurea, aufugit ex fenestra ad portam Ægidianam, quam munierat paulo ante] hic miles, effractis bipenni foribus, turbat lecto reginam primariam, illa, exsiliens lecto, petiit clamando auxilium à Rege marito & acriter minatur furi, sed illa delusa est, & à milite acriter reprehensa atrocibus verbis, ut ad fletum usque commoveretur, mox pergit ad cellam, conquærit regalia, sceptrum, orbem & claves urbis, & illis fere omnibus acceptis, statim delapsus non sine periculo per hortos, redit ad Ducem, *Stedingium*, lætus, eique claves urbis, regalia, sceptrum & orbem Regis adfert, quæ postea *Wilkinus* Presbiteri offert. Interim oppidani, factò concursu, reliquos, conantes irrumperè, morantur atque vix tandem rejiciunt, & occlusa porta, mox in eos, qui fuerant ingressi, factò impetu, multos interficiunt. Estis bis ad mœnia repellant, tamen resumtis viribus, admoniti milites isti per *Wilkinum Stedingium*, fortiter pugnant, ubi eorum Dux semper fuit primus in acie. Impetratis vero urbis clavibus, aperit portas, ascendit vallum, clamatque *Stedingius* ad socios & cum eis exoptulat alta voce, ostendens eis signa militaria, quia etsi minimum haberet præsidium, tamen per hostes fortitudine eluctati erant sui. Cum autem audirent vocem ejus, veniunt turmatim ad portam Servatii & Crucis, quæ jam reserata & aperta erant. Interim *Kuipper dallingius* rursum colligit & ponit præsidium in forum, ad septingentos num-



ro atque passim in plateis, ut ita impediretur ingressus hostium. *Crechtingius* collegit quoque alios ad ædem Mariæ trans aquas, & uterque acriter suos monet ad rejiciendum hostem. *Knipperdollingius* interea, dum positus præsidii in plateis remoratur ingressum hostium, emittit plurimas passim foeminas in vallum, ut illaderent hosti, quia ea ratione putavit terrendos hostes externos & eos milites, qui foris erant ab expugnatione, voluitque eis ista delusione indicare, socios, jam urbem ingressos, esse necatos; et quidem foemina acriter ibi suum præstabant officium intempestivis cantionibus. Interim aliquoties evocatis sociis tandem turbatis præsidiis oppidanorum reserantur portæ, ut illi ingenti & magno numero ingrediantur. Tescera alterius, videlicet Sectariorum partis, erat terra, verum hostes, jam urbem occupantes, tessaræ loco Annam haebant. Hic quidem acriter pugnant *Crechtingius* & *Knipperdollingius* in foro trans aquas, & in altero foro, quod à piscibus nomen habet. Dicitur etiam *Rasfeldius*, animosus eques & vir nobilis, jam ingressus cum suis urbem, ibi esse oppressus ab hoste, quod tamen quidam negant. Sed ecce mulierculæ, quæ ante duas horas acerbissime hostem deluserant, nunc tandem longis ploratibus & ejulatibus replent urbem: Nonnullæ etiam sese adjunxerant pugnae, & sumtis armis pugnarunt contra hostem. Itaque pleræque desideratæ sunt & occisæ in prælio. Aliæ se recipiunt passim in aedes & tabulata ascendunt, quæ inde lateres & ligna & alia dejiciunt in hostem. Quædam eo animo ascendebant, ut se abderent. Quædam in cubiculis, quædam in cellis latitabant. Ibi maxima strages fuit, innumeri homines perierunt. Nam hostibus pugnandum fuit cum præsidiis, positis in plateis, cum cohorte collecta ad ædem trans aquas, cum agmine dupplici in utroque foro collecto, & eo numero Sectariorum, qui in platea *Ægидiana* & *Ludgeriana* convenerant, & istos omnes non solum turbaverunt, straverunt & pene enecarunt hostes, sed etiam adveniente aurora, maxima conflictatio in campo summi templi, ad Sacellum *D. Jacobi*, visa est. Ad orientem jam sole, coepit Secta deficere, & cum passim fugerent alii ad templa, alii ad turres, alii ad aedes, tantam in fugientium turbam fecerunt stragem, ut ubique deficerent in plateis, & ibi, veluti sues & canes, cæsi reperirentur. Ibi ubique manavit sanguis in plateis, ibi flumen, per urbem labens, dictum *Alpha* (die *Ala*) rubescit plane sanguine. Ibi hostes oppidanos, ad aras, templa &



cœmiteria fugientes, insequuntur, & sine discrimine trucidant; Turres, quibus multi se commiserant, aut bombardis deficiunt, ut omnes inclusos perderent, aut productos occidunt. Deus bone! quomodo tunc & muri & turres atque ipsæ etiam domus atque plateæ madebant sanguine humano. Deum immortalem! quomodo aræ & templa, cœmiteria & campi templorum rubuerunt sanguine ubique; Quomodo cadaveribus repleta erant atria & ipsa templa cœmiteriaque. Vix verbis exprimi potest illa strages, sanguinis effusio & miseria, quæ tunc ibi per domos conspecta est. Et Duces & officarii, exceptis duobus, de quibus postea agemus, paucisque aliis, singulatim, & præcipui in pugna, vitam cum morte commutaverunt. Sed sunt altius quædam repetenda. Nondum jam hoste urbem occupante, cessavit *Knipperdollingius*, quia is se cum armatis suis recipit in forum, & se communiverunt omnes, hoc est, incipiunt arcem currulem, *Wagenburg*/ mira arte fabricatam, occupare. Ex ea, quam catenis cinxerant, per sex horas pugnarunt adversus hostes, sed fatigati & expugnati vix pauci effugiunt, inter quos est *Knipperdollingius*. Alii occiduntur. In plateis & lamentabilis victorum & pereuntium sonitus & horridus strepitus armorum, dum alii arma dejiciunt, alii arripiunt, auditur, magnaue strages committitur. Vix potest scribi, quantus ejulatus, quanta lamentatio & quot querulæ voces sint ibi auditæ. Ibi & templa & cœmiteria [ut diximus] atque plateæ forumque utrumque cumulatam conspicitur cadaveribus. Mæ pulsatibus tympanis, jubet præsul, ingressus urbem cum Ducibus, quam Regem, *Knipperdollingium*, *Rotmannum*. & totum Senatum Regis, isti omnes vivi apprehendantur. Ibi omnes latebræ reteguntur, & in ista inquisitione & investigatione multi occultati, tam viri quam mulieres, reperiuntur. Duravit illa inquisitio & strages per integros dies decem, quando omnes viri quæsi sunt etiam in latrimis ac abditis locis. Inveni mox extrahuntur & interimuntur. Tandem etiam aliquot ex patriciis inveniunt, quos captivos servant Episcopo, qui postea capite truncati sunt cum multis aliis viris & fœminis. Rex autem *Knipperdollingius* & *Rotmannus* nusquam reperiebantur. *Rotmannus* autem desperabundus, abjecta spe salutis, cum in confertam hostium multitudinem & turbam incurrisset, inducus militari veste, ense majori dissecatus erat, & deinde adhuc hasta bis confossus, & sic perire voluit, ne unus in illorum veniret potestatem. Sunt, qui



dicunt, *Rotmannum* aufugisse & evasisse, nescio, quorum opera, & hæcenus delituisse in *Phrisa* apud quendam Nobilem in institutione scholastica, sed mutato nomine; Promisisse etiam *Rotmanno* Nobilem, se nunquam hoc revelaturum, modo quiescat, & nihil scribendo vel dicendo tentet: & ita illum jam senem hæcenus delituisse. Hæc *Monasterii* retulit clarissimus Medicinæ Doctor, *Gerhardus Martellus, Ruremundensis*, referente nobis *Bolando*; Credo tamen id minime verum. Quod etiam de *Johanne Geleusi* scribit *Hortensius*. Multi se contulerant ad aulam Regis, & ipsius opem, ut Regis & prophetæ, implorabant & exspectabant, sed regius puer Regem abesse & aufugisse nunciat eis. Ita illi territi conjiciunt se in pedes, sed intercepti ab hostibus occiduntur. Rex [cujus somnium ista nocte fuerat de occupata urbe ab hostibus] latitabat in porta *Ægidiana*. Cum igitur nusquam reperiretur, veniunt tandem ad illam *Ægidii*, quam munitam inveniunt & simul oclusam in superioribus gradibus. Colligunt inde statim, ibi aliquot abditos latitare. Impetum igitur faciunt in eam, & expugnata munitione & ipsa porta, inveniunt ibi Regem, qui videns maximo numero ad se ascendentes milites, dixit: Nolite vos Christum Domini tangere, magnum Dei prophetam & Regem Sionis, impuris vestris manibus; Quod si hoc feceritis, ad tartara usque peribitis. Sed illi neglectis ipsius minis, arripiunt hominem & manus conjiciunt omnes in Regem, non sine magno risu & cachinnis, dicentes: Experiamur, quid possis, tu interim tenta tuas vires, ò Rex straminee! Nos exspectamus, quid possis tuis diris istis execrationibus; Nos nostro robore te apprehendimus; Jam te expedias ex nostris manibus; Si quid est tuæ potestatis, eripe te ex nostra potestate; Fuga nunc tuos hostes; Dejice ita nos, quemadmodum Christus suos hostes stravit. Interim catenam auream collo ejus eripiunt & vinctum compede gravi in curiam Episcopi ducunt in summo campo. *Creehtingius* jam antea ex pugna interceptus, reservatus erat Episcopo. Reliqui Senatores & authores istius furoris per biduum adhuc quærentur noctibus simul & diebus, atque pene elapsus fuisset *Knipperdollingius*, qui se abdiderat in tugurium ad mœnia, & sequenti nocte ascendens mœnia, posita hasta voluit transire per fossas, sed veritus & diffidens rei, quod se hoc pacto transmittere nequiret, sed forsitan immergeretur, sistit gradu, & procumbens, tegmine parum aquæ ex fossa haurit, ut sitim ma-

Zzzz zzz 3

gnam



quam restingeret, quod etiam avido ore bibit, mox per moenia iterum redit ad urbem, & in alio quodam tugurio, vicino Martiniano templo, rursus se abdit, in exiguo stramine quiescens, sed ibi videbatur à muliere, quæ, fustibus & armis coacta, prodidit *Kuipperdolingium*. Ita simul & ille apprehensus & catenatus trahitur additurque Regi & *Crochtungio*, quia alii erant aut necati, aut intercepti gladio caesi. Illi tres cum quibusdam patriciis & egregiis viris [quos dixi, intercessione aliorum gladio postea sine longa mora caros esse] se mutuo consolantur, & Rex promittit liberationem à patre, & se adhuc magnanimum præstat. Et si nos aut criminibus nostris graviora promeriti simus, tamen miserebitur nostri pater & non deleteret nos. His & aliis dictis & sibi & aliis animum erigit. Alios vero duos separant à Rege, & impositos curribus aliò transferunt. Regem autem, injecta ei circa collum & latera catena, traxerunt, sed ita, ut aperto capite & indutus impura & lacerata mendici veste, nudisque pedibus medius inter duos equites, qui ab utraque parte catenam duplicem apprehenderant, ad equorum celeriorum saltum & progressum [qua Rex circumseptus erat] currere cogere. Interdum fatigabatur, interdum ab equis trahebatur. *Horatium* autem scribit, quod caudæ equinæ alligaverint Regem, & eques subiectum equum, cujus caudæ alligatus erat Rex, calcibus additis in perpetuum cursum excitaverit, ut ita eum paribus vestigiis à tergo ligatus currendo insequi cogere. Et eo tempore natus erat annos viginti sex. Hic aliquoties in itinere dixit: Inhumanum esse, ita tractari Regem. Sed ipse interim satis false deridebatur, & deducebatur ad arcem quandam Episcopi, puto, *Zborg* / ditionis *Osnaburgensis*, primo.

Capta urbe, Episcopus, *Franciscus*, cum mille quingentis equitibus urbem ingressus erat, & omnes viri, paucis exceptis, qui noctis beneficio aut mirabiliter evaserant, aut publico supplicio, aut in ista mactatione, caesi & necati sunt, teste *Corvino*, quia nulli virili sexui pepercerunt, sed omnes quæsiverunt per dies decem & mactaverunt; Quanquam multi ex *Geldris* suos, clam repertos, mutata veste educerent, & aliqui etiam clam exirent. Imbecillior ætas & muliebri sexus [puto eæ, quæ non repertæ sunt in plateis aut muris quia hæc cæcæ sunt] urbe turbantur, post abjuratam hæresim eam & ditiones Episcopi. Ex elapsis quatuor postea caesi sunt gladio, teste *Hor.*



*Hortensio*, inter quos erat coquus regius, *Bernhardus Pistor*, *Svvolanus*. Rustici postea passim ex pagis in urbem mittuntur, qui cadavera sepelirent & colligerent, & in certa sepulcra reponerent. In ista collectione & sepultura etiam ex foetore putredineque cadaverum multi rusticorum vix morborum pericula evadunt. Sunt autem tunc millia cadaverum sepulturis tradita. Quanquam foeminis & virginibus parcerent, praesertim eis, quae nihil vi tentaverant: sed in ea re modus servari, praesertim in tanto tumultu, non potuit, tametsi aliqua ex ipsis servarentur. Nulli tamen, aut admodum pauci viri, evasere, forsan clam per muros, quorum aliquos novi. Milites vero omnes praedae inhiabant, & vix retractati sunt à Ducibus & centurionibus à violentia. Interim Princeps jubet, ut omnes praedae in unum conferrentur. Hoc cum milites non concederent, novus fit tumultus, & fere nova fuisset facta sedes, sed repressus est tumultus. Tormenta tamen cum dimidia parte, eaque potiori, ex praeda sumit: Alterum inter omnes dividi curat, ut quisque inde referre posset partem. Hic inter alios *Hensulus* ille à *Langenstrassen* expectat prodicionis brabæum, sed cum conspiceretur ab aliis, volebant omnes in ipsum impetum facere, postquam esset proditor, quem indignum censebant, qui honestis debeat adjungi. Interim illi, impediti à praefectis, efficiunt, ut is, accepto suo praemio, abeat & discedere cogatur. Sed cum paulo post rixaretur cum quodam milite, ab eo acriter vulneratur, & ex illo accepto vulnere mox perit.

Episcopus, dimissis copiis, duo tantum signa sibi servat praesidiū loco, deinde mox arcem vel propugnaculum [alii tamen dicunt duo castella ab Episcopo in urbe exstructa; Ego tantum vidi illud, quod erat positum ad D. Georgium.] ad ædem D. Georgii adornat, ut semper urbis potestatem habeat, & ipse possit ingredi & egredi, quando velit pro arbitrio, quod postea ex decreto Imperii destructum est; Quanquam tunc in urbe constituerat locum tenentem *Bernhardum ab Oër*, Nobilem, qui adhuc satis gravis & molestus deinceps fuit quibusdam. Pessis autem acriter post superatam urbem & jam tot cadaveribus vix humo tectis & sepultis, incipiebat grassari ibi, quae sumserat initium vel potius aucta erat ex foetore illo odore cadaverum, atque tunc adhuc plurimi etiam homines aliunde venientes novitatis & animi causa, quando urbem ingrediebantur, in periculosos morbos, quos ex isto foetore contraxerant, inci-



derunt. Ibi redierunt Sacrifici, Monachi, Nonnæ & alii homines rasi magno numero ad urbem. Redierunt & Nobiles & Patricii. Cogebantur etiam omnes certa summa ab Episcopo redimere suas redes, quas inviti, non sine summa jactura, antea deseruerant, licet avita hæreditate & summo jure semper eas possedissent, & eodem nunc eas repeterent. Ita factum est, ut plerique boni viri, qui non habebant statim, quod impenderent redimendis suis ædibus, privarentur propriis bonis, quæ antea relinquere coacti erant, & paternis laribus, quos non sine magno dolore aliis tradi & vendi videbant. Hinc sequebatur hæc mutatio, ut, qui antea divites fuerant, & relictis bonis & domibus aufugerant, jam admodum pauperes essent. In Imperii decreto constitutum est, ut permaneret urbs in veteri papistica religione, et cum legatus Episcopi conquestus fuisset de maximo damno, responsum ei fuerat: Episcopum & prædæ majorem partem & tormenta omnia, & civium etiam bona, cepisse, quæ quidem sint Reipublicæ imperii; Æquum esse, ut estimatione facta, cum sumtibus hæc communicentur. Jubetur ibi, ut omnis nobilitas restituatur & cives etiam, qui aliò migrarint, modo ne sint Anabaptistæ; Deinde ut Anabaptistarum munitiones excitatæ destruantur, & ipse etiam Episcopus à se ædificata castella in urbe demoliatur; Rex, *Knipperdollingius* & *Crechtingius* pro ipsorum merito plectantur; At illud, quod de religione in urbe servanda decretum est in comitiis, palam testati sunt, non se assentiri: *Johanno Fridericus*, Saxo Elector, *Philippus*, Landgravius *Hassa*, *Ulricus*, *Wartenbergicus* Dux, & *Wolfgangus*, *Anhaldinus* Princeps. Idem etiam profitebantur civitates, sed neque veteris urbis munitiones dirui volebant, de novis non repugnabant.

In urbe postea novi Consules, *Conradus*, [quem alii *Bartholdam* vocant] *Travelmannus* & *Wilbrandus Plonius*, designantur, homines Pontificiæ religionis; In quorum etiam locum semper ejusdem religionis homines delecti sunt usque in hodiernum diem, excepto uno, de quo postea. Dum autem ita diu usque in proximum annum sequentem 1536. detinerentur illi tres captivi, sunt tandem missi concionatores Landgraviani, viri eruditi, *Antonius Corvinus* & *Johannes Kymaus*, qui cum Rege sermonem conferunt in *Bevergarnen* de disputationem ineunt de his potissimum dogmatibus: De Regno Christi: De Magistratu: De Justificatione: De Baptismo: De Carne De-



Domini: De Incarnatione Christi: De Conjugio & Polygamia: & scripturæ testimoniis eod proficiunt, ut illum, quantumvis reluctan-tem suaque defendentem, etsi non mutarent totum, flecterent ta- men atque labefactarent, sic, ut pleraque tandem concederet, quod tamen vitæ servandæ causâ fecisse putatur, quia omnia concessit, ex- cepto Article de puerorum Baptismo & incarnatione Christi. Hæc fiebant in præsentia Satrapæ Episcopalis, *Nicolai à Monnichusen*, & Sacellani Episcopi, *Johannis Siburgici*. Cum enim secundo redissent ad ipsum, promittebat, impunitate proposita, se facturum opera suæ reginæ & *Melchioris Hoffmanni*, ut, qui per *Hollandiam, Brabantiam, Angliam, Phrisiam*, essent maximo numero Anabaptistæ, silerent, & per omnia magistratui obtemperarent. Cum autem ipsius deinde lociis, *Knipperdollingio & Crechtingio*, qui fuerat olim sacerdos, à lite- ris non alienus, & coram & scripto disputarunt; De Mortificatione: De Baptismo parvulorum: De Communione bonorum: De Regno Christi: De Magistratu: De Justificatione: De Baptismo: De Cœ- na Domini: De humanitate Christi: de Matrimonio. Jam de Re- gno Christi corporali, quas, bone Deus! nugas effutiit; Ut scriptu- ram hic ad sua somnia detorsit; Ut verbis curiam replevit; Dodo- neum æs dices: Nulli tamen scripturæ loco æque fidebat, atque isti, quem ex Apocalypsi de mille annis selegerat. Hunc ita jacta- bat, ita crepabat, ut facile appareret, perditam hanc factionem sol- lis ac meris somniis niti. Dicitur enim mirum, quam nos, cum mille illos annos, de spirituali regno Christi, quod per verbum admini- stretur, interpretemur, contempserit. Obmutuit tamen nonnihil, cum interpretationis nostræ confirmationem nos quoque ex Apocalypsi mutuare audiret, nimirum ab eo, qui albo equo insidens, verax, fi- delis, & verbum Dei ibidem dicatur. Eadem inscitia garriebat, ut, tametsi magistratum ordinationem Dei esse fatebatur, tamen rebello- nem, si quid secus, ac Christus docet, jubeat, approbaret, fretus Petrina illa sententia: Oportet Deo magis obedire, quam homini- bus; Ubi cum nos fateremur: Obedientiam quidem Magistratui non deberi, si nos à Christi doctrina transversos agere conetur, attamen hinc non sequi, idcirco vim vi repellere, privatis personis licere, sed potius id faciendum esse, quod Christus docuerit: Si vos persecuti fuerint in hac civitate, migrate in aliam; respondit: Quid? nescio de eorum tyrannide, qui rebellandi occasionem ipsis præbuisserunt. In



justificationis negotio, ita argumentis nostris captus est, ut, pedibus  
 in nostram sententiam discedens, ingenue fateretur, solam fidem in  
 Christum, non propter dignitatem seu meritum operum, etiam eo-  
 rum, quæ fidem sequantur, justificare & salvare; Id quod tamen  
 neque Papistæ, neque alii Anabaptistæ, ut credant, induci possunt.  
 Baptismum parvulorum modis omnibus execrabatur, adultorum  
 rebaptisationem, perinde atque rem Evangelio literis omnibus mo-  
 dis consentaneam, adferens & comprobans. Interrogatus, quibus  
 scripturis vel rationibus hanc in Ecclesia novationem probaturus  
 esset, respondit: Christum, cum Baptismum institueret, de doctri-  
 na, ad quam percipiendam pueri parum sint idonei, prius & præce-  
 pisse & locutum esse; Præsertim tamen hoc nomine dixit: Bap-  
 tismum parvulorum odisse se, quod & nupera res sit, & in conventi-  
 culis summorum Pontificum excogitata. Sibi cum nos vicissim re-  
 sponderemus: Fidem Spiritus donum esse, Spiritui autem æque pro-  
 clive esse, in puero atque in adulto vim suam exercere, pueros itera  
 æq; ad Baptismum, atque olim ad circumcisionem fuerint, aptos esse;  
 Ad hæc, Sacramentorum vim, non à fide vel dantis vel percipientis  
 sed à verbo ac institutione Christi pendere; dixit: Sententiam se  
 nunquam hic mutaturum, ut quam sciat diversam esse non posse à  
 sacris literis. De Sacramento Synaxeos inter cætera ad hunc mo-  
 dum dixit: Quanquam *Zwinglii* sententiam diu in ea re sit imple-  
 xatus, tamen aliud sibi revelatum esse jam nunc, ac antea sententi-  
 Nimirum, quod pondus Cœnæ verbis detrahi nec possit, nec debeat  
 id quod fiat, si non perinde, atque sonant: Hoc est corpus meum.  
 Hic est calix sanguinis mei, absque tropo accipiantur, attamen ea  
 in re dissentire à nobis, quod Judam quoque corpus Christi mandu-  
 casse, & sanguinem ipsius bibisse, adferamus. Ergo, inquam, Chri-  
 sti opera non prius vim ac efficaciam habebunt, quam fides nostra  
 huc accedat. An non diximus jam, Sacramentorum vim non à no-  
 stra vel credulitate vel incredulitate, sed ex Christi verbis ac insti-  
 tutione pendere? Equidem fatemur, fidem hic requiri & adesse de-  
 bere; attamen Deum ideirco, si non adsit fides, mendacii arguere  
 non debemus, sed in Pauli potius sententiam discedere, qui Judæo-  
 rum incredulitatem, Dei fidem non potuisse irritam facere, contem-  
 dit. Sed age, ducamus argumentum & à similitudine: Sol, in quem  
 usum creatus est? An non ut luceat & diei præsit? Jam si nos vel



lolo victitemus, vel cœci omnino simus: Ergone solem quoque amittere fulgorem ac splendorem suum oportebit? Ea est & Sacramentarium ratio. Hic protinus Rex: Quemadmodum per me vobis liberum est, hoc vel illud sentire, ita patiamini meo me hic sensu abundare. Humanitatem Christi eatenus admisit, ut, de Spiritu Sancto conceptum, ac post ex Maria virgine natum fateretur. Cæterum addidit, ex carne virginis sumsisse Christum aliquid, neque verisimile esse neque credi debere, propterea, quod non aliter ex Maria natus sit, atque per vitrum penetret, vel per canalem pluvia in terram feratur. Hunc nos errorem & diligenter & multis, utpote mire notitium, refutavimus. Et quanquam pertinacissime Rex sententiam suam tueretur, tamen, cum Emphasis eidem in hisce scripturæ locis, in semine tuo: Item, de fructu ventris tui, tui: Item, qui natus est ei ex femine David, secundum carnem, subinde inculcaremus, dixit: Suum ipsorum commodum Lutheranos agnoscere non posse; Porro, si suam hic sententiam reciperent, nullo negotio omnia omnium *Zwvnglianorum* argumenta in Cænæ causa & percelli & subverti posse. At nobis hic inquam, non cum *Zwvnglianis*, sed cum Anabaptistis res est, sicque adfecti sumus, ut neque in vestri gratiam, neque in illorum odium ea facturi simus, quæ nos non parum deceant.

Pluralitatem uxorum, quanquam fatebatur, rem esse & novam hoc seculo & vix ferendam, tamen peccatum ea in re agnoscere haud volebat, id quod fere solent, qui, à populari aura pendentes, hoc solum agunt, populo ut ob constantiam placeant. Sic enim judicant, agnitum etiam errorem non fateri, quam cum nominis per scelus quæsi jactura, si quid deliquerint, agnoscere. At cum nos vicissim illi objiceremus, nihil stultius esse ac sanctorum exempla, quæ & verbo Dei & præcepto non commendentur imitanda, proponere, respondit: Deum, quæ patribus permisit, ipsis quoque pro peccato non imputaturum; Atque hæc fere earum rerum, de quibus cum Rege in primo conflictu egimus, summa & veluti epitome est. At vero in altera disputatione aliquanto mitius respondit. Ibi enim, quanquam regnum illud Christi corporale, quod mille post resurrectionem annis duraturum sit, aliquo usque adhuc tueretur, tamen neque se, neque *Rotmannum*, neque ex prophetis quenquam, certi aliquid ea de re unquam vel sensisse vel docuisse,



fatebatur. Ad vero Magistratum, quem hic efferre cepit; Magistratus, inquit, Dei ordinatio est, cui obedientiam debemus nos, si ve probi sint, qui præsunt, si ve impii; Id quod copiose apud Paulum videre est; Proinde peccatum etiam hic meum agnosco, ut qui contra Dei mandatum ac Cæsareas leges, gladium ac regiam dignitatem, à propheta tantum jussus, usurparim, adeoque tantum sanguinis hujus rei gratia effundi utrinque passus sim. In justificationis causa nihil mutavit, eam sententiam, quam in prior congressu amplexatus fuit, adprobans. Baptismum parvulorum adhuc rejecit, ita tamen, ut, si vita donaretur, omnes Anabaptistas ad silentium ac obedientiam adactururum se polliceretur. In ea enim nunc esse sententia sese, ut satius esse ducat, Baptismum infantibus impartiri ex obedientia, quam ejus rei gratia sanguinem deorum miscere res mortalium. In Synaxeos & Cœnæ negotio similis sui existit: In pane quidem Christi corpus edi, in vino sanguinem ipsius summi confessus; Sed tamen incredulo eum panem nihil, præterquam panem, & vinum nihil præterquam vinum, esse. Errorum de humanitate Christi, ut recantaret, nullo pacto induci potuit, promissit tamen, si vita donaretur, ne verbum quidem unquam ea de re facturum sese; Ad hæc, ut omnes Anabaptistæ conquiescant, nihilque illa de re nunquam doceant, brevi effecturum. Pluralitatem uxorum eatenus liberam esse dixit, quatenus unanimi magistratus consensu per totam Ecclesiam admittatur, quod si à magistratu prohibeatur, liberam esse non posse, eoque & se & omnes Anabaptistas, qui illiter fecerint, peccasse, plures uxores ducendo, & ob turbatum reipublicæ Christianæ statum non immerito in manum hostium horum incidisse. Quid moror? Multa nobis in hoc colloquio audita sunt, quæ insignem miseri hominis, cum inconstantiam, tum multatiam arguebant.

Jam hunc confictum, alia cum *Knipperdöllingio* ac *Crescensio* lucta excepit, qui, ut neque calliditate neque facundia Regi parens fuere, ita majus toedium nobis peperere ac fastidium. Et apud futurum *Knipperdöllingius* ad gladiatorium munus erat, quam ad religionis controversias tractandas. Porro, si quis descriptionem ejus hominis requirat, nihil de *Catilina* scripsit *Salustius*, quod non in hunc quadret aptissime. Magna vi fuit & corporis & animi, festu genio malo pravoque, cui etiam ab adolescentia bella intestina, ce-



des, rapinæ, discordia civilis, grata fuere, ibique juventutem suam exercuit: Animus audax, subdolos, varius, cujuslibet rei simulator & dissimulator, alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus, nonnihil loquentiæ, sapientiæ parum, vastus animus, immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Hæc inquam, & vere fortassis de *Carilina* scripsit *Salustius*, ita tamen æque recte in *Knipperdollingium* dici possunt, cujus temeritatem ac malitiam Rex etiam ipse, audientibus nobis inculcavit. Nam venisse aliquando ipsum, ac propalam vociferatum esse dicebat: Quod *Johannes à Leida* sit in corporalibus rebus, idem se in spiritualibus esse debere. Et cum Regem habeant corporalem, æquum esse, ut spirituales quoque habeant, eam esse patris voluntatem, id quod in corde suo testificetur Spiritus. Alias quoque venisse eundem fatebatur ac dixisse: Spiritum Sanctum in corde suo testificari, tum demum *Monasterienses* vere juxta patris voluntatem victuros, si rejectis novi pariter ac veteris instrumenti libris, suis quisque cogitationibus ac somniis obsequatur, cujus stultitiam postea imitatus *Phryso* pro spirituali Papa haberi voluerit. Nihilo melior *Crechtingius* erat, etiam si is olim à literis alienus omnino non fuerit, quas tamen postea Anabaptismi sacris initiatus, præ nimia sanctitate contempsit, certe, quod ad ferociam & seditiosum animum attinet, plane hic par cum pari congregatus, & juxta proverbium, *Ersenius Paculianum* nactus erat. Cum hujusmodi igitur monstris commissi, quam bone Deus! absurda, quam ridicula, quam à scripturis aliena audivimus. *Crechtingius* inter cætera liberum arbitrium de novo defendere conabatur. Negabat item vim & efficaciam peccati originis, quid? pluralitatem uxorum in justificationis causam immiscuit, homo non injustus omnino, si plures uxores, & carnalis illa voluptas justum facit. Hujusmodi artificio, cum in toto illo confictu uterentur, malimus scribendo, quam frustra altercando negotium hoc transigere. Quocirca in carcerem iterum conjectis, scripsimus, & rescribentibus iterum respondimus, brevibus ea, quæ perperam & minus recte adseruerant, confutantes. Quæ omnia, ubi disputatio nostra cum Rege habita, prodierit, [prodibit autem brevi] copiosius, ac describi hic possunt, & visurus & lecturus es. Hæc ille. Poterit lector prius ista omnia latius cognoscere ex Tomo 2. Germanico *Witebergenli Lutheri*, ubi omnia plenius hæc, & quid cum Rege



& sociis actum sit, verbatim à *Corvino* recitantur. Sed redimus ad Regem.

Cum Rex adductus esset *Telgetum*, ita vinculatus, ut dixi, rogatur ab Episcopo, qua fretus autoritate tantam sibi licentiam arrogasset in suam civitatem atque populum? Rogat is vicissim: Quis sibi jus & imperium in eam civitatem dedisset? Cumque responderet Episcopus, de collegii populique voluntate sibi ditionem administrandam hanc obvenisse, refert ille: & se divinitus eò vocatum esse. Cum pergeret præsul, qua conscientia tu in tantum damnatum coniecisti tot homines & urbem? Respondit ille: Cures me hinc inde ad diversos locos vehi, ut singuli, qui me conspicerent, tibi denarium numerent, & hoc pacto refarcire poteris aliquo modo damnatum istud. Tanti is fecit hanc cladem & internecionem. Postquam duceretur ad castrum *Dulmen*, concurrunt ex oppido *Dulmen* homines & præcipue virgines & foeminae, eaque, viso Rege, dicunt: Isne est Rex ille Polygamiae, qui tot duxit uxores? Ipse vero subridens respondit: Non dixi uxores, sed virgines, quas corrumpendo uxores feci. Quoties etiam illius ductores, & alii nobiles equites vel in itinere, vel alibi quærent, cur tantum bellum movisset Episcopo? respondit: An ego hoc feci, quin potius ille mihi movit bellum? Item, cur tot uxores habuisti? Respondit: Anne David & Salomon plures habuere? Si non appellaretur Rex, videbatur irasci, imo etiam palam eis imprecabatur. Quoties apud illum suæ primariæ reginæ fiebat mentio, gemitibus, suspiriis, lacrymisque emissis videbatur dolere. Accidit quodam tempore, ut Nobiles adornarent elegantem aliquam foeminam, quæ salutandi & consolandi causa debebat ingredi ad Regem, quem tunc in spaciolo triclinio arcis *Dulmen*, ut ibi paululum in latiori loco spaciaretur, incluserant. Ingressa foemina sola ad solum Regem, blandiusculis verbis consolatur eum, & paucis verbis ipse respondens incipit mox manum suam in ejus sinum ingerere, & ardens libidine micansque oculis exosculatur eam. Ipsa cum videret, oscula & alia libidinis præparamenta admittere eum, fingebat, se quasi admiffura esset Regem ad concubitum. Itaque homo impurus confidentius apprehendit eam, & jam impudentius fortius, ut juvenis robustus, attingens foeminam, abuti ea incipit: Ibi illa alta voce exclamat, de attentata sibi ab eo vi, quem consolandi causa inviserat. Audito clamore, accurrunt turmatim



apertis ostiis Nobiles [qui per rimas, cum ante fores, tum ad parietes, passim perspiciebant omnia, & explorabant singula,] & Regem in tanta captivitate vincum, adhuc lascivum & scortaturum, graviter objurgant; Ille vero rubicundus & pudore confusus, tacet. Cum autem se paulum collegisset, dixit: Jocabar tantum cum ea foemina, & volebam illam attentare, facturus periculum, essetne pudica? &c. Hæc de Rege.

*Knipperdollingius*, jam ferocior Rege, in mediis tormentis, aliquando gloriatus fuerat, quod nihil sibi conscius esset, sed Dei tantum gratiam, gloriam, ac suam ipsius salutem cum omnium rerum jactura quæserit; & objecerit *Corvino* & *Kymao*, Lutheranos in hoc tantum esse Evangelicos, quod subinde conveniant, & inter pocula psalmos canant, se vero à rebaptisationis tempore non cantiunculis, sed re ipsa Christianismum & professionem comprobasse, & juxta patris voluntatem vixisse, & in nullo postea reum factum; Ita homo ille cum *Pharisæo* se justificaverat. Idem dixerat *Crechtingius*. Postquam vero à multis jam visus esset Rex, & ludibrii causa circumductus, [quia & *Clivensi* Duci suisque aulicis, aliisque multis *Bilfeldia* in Comitatu *Ravensbergico Westphalia* spectandus offerebatur] reducitur ex arce *Bevergern* Rex, cum sociis ex arce *Hofmar*, *Monasterium* 13 Calendas Februarii anno Domini 1536. & singulis attribuitur custodia separatim, quo etiam die venit eò Episcopus & *Coloniensis* Archiepiscopi & Principis *Clivensis*, *Johannis*, legati, quod secutum est biduum; piis admonitionibus datum est, ut ab errore reducerentur, & Rex quidem agnovit peccatum, & precibus ad Deum confugit. Admonitus vero à Sacellano Episcopi, *Johanne Siburgico*, ejusque collega, *Stephano Krontingio*, *Dulmonienfi*, ut ad Christum fugeret, nescio tamen, an à Christo opem imploraverit, licet id *Sleidanus* asserat, Deum & Dominum quidem invocavit, sed ignoro, an nominatim in suis precibus expresserit Christum filium, [cujus veram incarnationem negavit] petierat valde sibi adhiberi *Johannem Sibergium*, Sacellanum Episcopi. Hic postea retulerat *Corvino* & *Kymao*, miram fuisse Regis pœnitentiam, adeo, ut etiam ingenue confessus esset, si decies occidi posset, mortem certe se decies meritum esse, & tamen induci non potuisse, ut errorem de Baptismo ac humanitate Christi retractaret & recantaret. Inprimis conquestus fuerat: Dolere sibi vehementer, quod illustrissimi Principis Landgravii fidelic-



lissimum consilium non fuisset secutus. Et se per *Corvinum* & *Armenium* petere ab ejus Celsitudine veniam, quod quidem preterens suppliciter facere non recusaret, si ejus Celsitudo adesset; Sed neminem ad se mitti petebat, *Knipperdollingius* neque *Crechtlingius*. Hi duo nec ullum fatebantur delictum, & obstinate sua defendebant. Postridie productus ad tribunal judicis Rex, accusatur gravium criminum & facinorum. Hic ille se contra Magistratum egisse & peccasse respondit, sed non contra Deum, quasi vero non eadem ratione & in Deum & in Dei ordinationem peccetur, confessus tamen & Anabaptismum & seditionis & læsæ majestatis crimen, ita morti adjudicatus, ita fere & alii duo morti adjudicati sunt, quod factum est altero post *Agnæ* die. Rex in locum editiorem, qui erat in foro adordinatus & exstructus, alligatur palo; Antequam alligaretur, flexis genibus & complicatis manibus dixit: Pater! in manus tuas commendo Spiritum meum. Aderant bini carnifices ac sarcipes igniti: Ad tres primos morsus conticuit. Deinde in reliquis misericordiam Dei continenter implorans, cum per horam & amplius, ad hunc modum laceratus esset, jussu eorum, qui Episcopi nomine aderant, transegit alter carnificum per pectus ejus mucronem, & ita discessit Rex. Ita quoque postea alii duo extincti sunt, idem perpetrati supplicium, qui tacuerunt; clam tamen dixerat *Knipperdollingius*: Deus! Esto mihi propitius peccatori, & nihil praterea. *Crechtlingius* bis clamaverat: O pater! ò pater! &c. Hæc magno cum gaudio Sacrificuli viderunt copioso numero, qui cupivissent omnes Lutheranos ita sublatos. Omnes, jam necati & pertractati, ad summiterium D. Lamberti caveis ferreis alligantur singuli & ad summam turrem urbis, quæ est Lambertini templi, exponuntur penes in cacumine, ut ab omnibus conspicui essent semper in perpetuam rei memoriam. Rex quidem medius, & quanta est hominis statura, sublimius istis. Hæc est finis tragediæ Anabaptistæ.

Urbs est ita sub annis 16. reedificata, templa ita exornata, ædes ita exstructæ, & undique vallis civitas munita, ut nunc sit longe splendidior, firmior & potentior, quam ante obsidionem; Et postea Papistica religio sumsit in ea urbe incrementum, quamquam ab eo tempore nunquam esset liberata plane ab ejus Sectæ hominibus, ibi latitantibus. Nam & ego hoc aliquando re ipsa apud vetulam ante annos sedecim expertus sum, & quidam *Adam*, Pastoris antesignanus,



nus quorundam Anabaptistarum , ut dixi in præfatione , dicitur ibi ante aliquot annos mortuus esse, cujus etiam libros vidi *Monasterii*.

Accidit autem ex ista Secta hoc, ut viri boni & proceres, qui veritati addicti erant, sint mutati, & ad papisticam religionem inclinarint, timentes, illud doctrinæ genus, quod nos profitemur, non esse diversum ab Anabaptistica. Ajunt hodie repullulare istum errorem in abditis locis istius urbis: hoc si verum est, justum referunt homines Papistæ impii, quotquot in Senatu sunt, & dignum se præmium, qui, postquam veritati locum non dent, efficacibus erroribus implicabuntur juxta sententiam Pauli 2 Theff. 2. Ego *Hamelmannus* enim quinquennio elapso, quando responderem *Jacobo Hostio*, *Coloniense* Sophistæ & Theologo, in controversia, de utraque specie, laicis porrigenda, admonui pie & graviter publico scripto, (in quo, totius antiquitatis testimoniis apertissimis diserte productis, probaveram, calicis usum immediate pertinere quoque ad omnes laicos) Senatum *Monasteriensem*, ut & juxta Christi institutionem & Pauli claram repetitionem, omiſſa una sacrilega & mutilata specie, usum utriusque speciei susciperent in suas Ecclesias, & jam cogitarent de aterna sua salute, ratione officii. Deinde monui Suffraganeum, ut is, deposito terreno thesauro, cogitaret de cœlesti: Tum quoque Monachum summi templi, & Pastorem Lambertinum obtestatus sum per Dominum Jesum Christum, ut velint omnes isti etiam ratione sui officii cogitare de veritate, & consideratis nostri libri argumentis, verum usum Sacramenti suis auditoribus restituere. Monui simul examinatorem ordinandorum, *Bernhardum Lingium*, Scholæ Conrectorem, ne amplius ex impio *Gropperi* Catechismo proponeret quaestiones examinandis. Ipsum quoque Ludimoderatorem, *M. Hermannum Kersbrochium*, cum collegis, ut abjecto impio Jesuitarum vel *Canisii* Catechismo, quo idem ille error de una specie cum multis aliis Papisticæ Idolomania erroribus astruitur, velit secum expendere, quomodo juventus sancte institui queat. In eodem scripto errorem confessus, veritati testimonium dedi, & palam retractavi, quod ibi ex zelo, non secundum scientiam aliquando ante octodecim annos in ea urbe unius speciei usum meis auditoribus commendassem in concione ignoranter. Hoc, quia concionibus retractare non licuit mihi, publico testabar scripto, meam istam vocem falsam fuisse. Illum librum oblatum, nemo ibi suscipere voluit ex consulibus, & reliqui omnes



ista surda aure præterierunt, meaque admonitio neglecta est. Tamen ex eo mea ipsa verba ad *Monasterienses* scripta, & typis evulgata, subjiciam.

Infelix ego homo, cui temere, licet ignoranter, emissæ est olim ante annos ferme octodecim, vox, in vestro quodam templo pro concione dicenti, etiam interposito [ex cælo non secundum scientiam] conscientiæ pignore: Unam speciem panis esse verum Sacramentum, sed cum id retractare concionibus non liceat, nunc publico scripto testor, istam meam vocem fuisse falsam, unamque speciem, quæ hætenus laicis data est, impiam esse, scripturæque argue toti antiquitati contrariam. Et sæpe me aliosque pios male habuit, quod videamus, vestram splendidissimam urbem, quæ olim verum usum Eucharistiæ habuit, sacrilega mutilatione Sacramentorum facinari ab iis, qui vobis in verbo præsumunt. Itaque oro per Dominum Jesum & ejus judicium, quod præ foribus est, ut hic, tanquam canis mortui, non amplius torpeant taceantque, puto Dominum Suffraganeum [quem velim, postposito terreno thesauro, cogitare de æterno.] & concionatorem summi templi, & novum pastorem Lambertinum, reliquosque omnes, ut cogitent, quomodo vobis verum usum Sacramentorum restituant. Oro etiam D. Examinatorem ordinandorum, ne amplius proponat ex impio *Gropperi* Catechismo quæstiones, oro etiam Ludimoderatorem cum collegis, ut abjecto Jesuitarum Catechismo, quo idem error propagatur, expendat, ut sancte juvenus instituatur. Vos quoque ampli, eximii Domini, rogo per filium Dei, ut cogitetis de æterna vestra salute, ut hoc unum agatis, quo nobis integritas Testamenti Christi probe restituatur. Vetele in Christo. Fuit etiam aliquando Sacellanus in aede D. *Ludgeri, Rodolphus Casterus, Ransdorffius*, vir veræ doctrinæ studiosus & medicriter disertus, hic de usu utriusque speciei & de aliis sincere locis docuit publice, & multis administrabat juxta Christi institutionem Eucharistiæ, patrocinante illi *Alberto Mommo*, L.L. Licentiate Consule urbis, qui quoque ita ab illo communicatus erat. Sed illo Consule mortuo citatur ex instigatione Pontificiorum *Coloniæ Ransdorffius*, ubi cum comparere nollet coram suspectis iudicibus, & peteret, sibi in ea urbe æquiores dari, pellitur ab urbe & ab officio depellitur; Et hodie est Pastor in *Wulfen*, sub Domino *Bernardo de Wulsterholte*, Domini in *Lemken*. Nunc audiamus de Pontificiis concionato-



natoribus *Monasteriensium* inde ab expugnata urbe, de quibus ego tamen sciam. Docuit ibi in summa æde *Johannis Aquensis* Monachus observantici ordinis, cum magna admiratione, quem etiam in Suffraganeum suscipere decreverant, impetrata illi Romani Pontificis gratia. Sed is se libidinibus contaminavit & proditus convictusque de adulterio commissio cum civis uxore formosa, ejusq; aliis libidinibus proditus rapitur à senatu & includitur carceri ante annos 1547. Ibi Senatus citatur Romam à Capitulo majori, quod in hominem, sacris initiatum, manus jecissent. Cum autem ad annum fere fuisset detentus in carcere, tandem dimittitur ex vinculis & sui ordinis fratribus traditur. Ajunt etiam, multum pecuniæ isti controversiæ, quam tunc hoc nomine Capitulum movit Senatui, utramque partem impendisse. *Johannes* ille postea constitutus erat hæreticæ pravitatis inquisitor *Surphania*, sed nunc *Noviomagi*, ut audiivi, in cœnobio observantico delitescit *Gardianus*. Postea ibi factus est Suffraganeus circa annum 1550 M. *Johannes Kritius*, qui mira hypocrisis & ficta sanctitate aliquot beneficia *Colonia* collegerat & suis concionibus lachrimabundis multum æris conflaverat. Is impendit brevi tempore [cum interim conaretur *Gropperus* plantare in sua patria] suam operam *Groppero* in urbe *Susantensi*, ut ibi Papatus stabiliretur, sed hoc fecit ea lege, ut opera *Gropperi* promoveretur in Suffraganeum *Monasteriensem*. Vidi aliquando ab ipso factas quatuor conciones uno die in quatuor locis *Colonia*: Quomodo extorserit querula voce lachrymans munera matronis *Monasterii*, cum abiturus esset ad Concilium *Tridentinum*, multis notum est. Ah! inquit, ego tantum & tam longinquum iter ingrediens nunquam forte ad meas oves redeo, quarum desiderio maxime teneor. Opto tamen ex animo, ut illi viri & matronæ, quæ me amant propter conciones Catholicas, dignentur prius me loqui, ut rite valedicere ipsis queam. Hæc aliaque lachrymans dixit, & ita forte venabatur munera, & ea arte aliquoties *Colonia* usus erat. Homo est supra modum avarus, qui, profectus ad Concilium *Tridentinum*, pedes consecerat iter, & tenuiter admodum in itinere vixerat, ut ita sibi viaticum, satis liberaliter numeratum, reservaret. Idem, quocumque se confert, ut aliquid Pontificale exequatur, ibi patheticis verbis amplissimaque oratione suas unctiones, Chrismata, consecrationes & alia commendat populo, docens: Chrismatis usum & consecrationis templorum, altarium, cæmiteriorum, campanarum &



aliarum rerum non minus necessarium quam cibum & potum, ut ita nummos extorqueat. Tenui utitur cerevisia & cibo vulgari propter avaritiam, quæ in nullo homine potest major esse, quam in illo. Ideo *Monasterii* aliquando dictus est *Bischoff Dünneber* / propterea quod tenui cerevisia uteretur. Magnam auri vim collegit. Hinc de illo hi versus Pasquilli nomine reperiebantur affixi passim in urbe circa annum 1555.

Dæmonis horrendi, mihi credite, filius hic est,  
Post habitis superis, qui bona vana colit.  
Quem *Stigijs Pluto* conatur fallere, rerum  
Hinc cumulum præstat divitiasque malas.  
O fatue enormis, quæ te vesania torquet?  
Quorsum te rerum fata caduca trahunt?

#### Aliud ad eundem Suffraganeum Monasteriensem.

Qui legis immensum nummorum pondus & auri,  
Raraque de partis capis solatia rebus,  
Stultus ad illecebras & gaudia sera nepotum  
Congeris hos sumptus, terraque vorace recondis.  
Nil tibi divitiarum profunt, nil sortis avaræ  
Congeries, sitiens Acherontis flumina gusta.  
Tantalus alter eris, glauco qui postus acervo,  
Undarum, inter eas sitibundo gutture flagrat.  
Largiri debes pro sancti nomine Christi  
Pauperibus, cœli caperes si regna sereni.

Sed isto pasquillo homo superbus, avarus & dives non fuit commotus. Imo dum aliquoties *Colonia* suffraganeo careret, excurrit illud usque, ut & ibi suis consecrationibus magicis aliquid pecunie venaretur. Vere ille est stultus & ex stulto parente natus, qui tamen nunc est *Monasterii* supremus concionator. Ego credo, illum nihil credere de Deo, tantum, ut ille pecuniam habeat, quam Dei loco colit. Docuit aliquando iste *Krius*, suffraganeus in summo templo, sed nunc in æde Servatiana docet. Hic etiam vendit literas ordinationis magno pretio illis, qui ordinari volunt publice, ut pro forma illas literas propter aucupanda beneficia Ecclesiastica demonstrent, &c. Per annos aliquot docuit & adhuc docet in summo templo Monachus Dominicanus ex cœnobio *Osnaburgensi*, *Nicolaus*.



laus *Steinlagius*, juvenis, qui equidem, ut est facundus, ita & insigniter impudens, & novit mire plebem retinere in Papismo, quando reprehendit crassos abusus & vitia Papistarum, ita tamen agit, ut omnes idololatrias & superstitiones Papismi in suo, ut dicit, usu defendat. Hic *Steinlagius* iterum procedit sine cuculla, quod ajunt sibi indultum esse, puto, à Romano Antichristo. *Steinlagius* ille cum docuisset in pago *Engeter*, ditionis *Osnaburgensis*, vitiaverat puellam, quam sequentem ipsum in urbem *Monasteriensem*, aluit & in deliciis habuit aliquamdiu domi, donec valetudine adverfa ea premeretur. Illam tunc infirmam ejecit, & aliam subintroduxisse dicitur. Homo est is mirum in modum arrogans, sed parvæ eruditionis. Pastor Lambertinus hodiernus, nomine *Caspar Oldius*, est mediocriter tinctus literis, & fuit olim studiosus, sed Papatum strenue defendit non sine fastu; Ignoro, an sit concubiniarius, tales sunt plerumque reliqui concionatores Pontificii in urbe ista. In æde divi Martini est Sacellanus homo doctus, *Bernhardus Movvius*, vel *Manicus Horstmarientis*, qui cum *Oldio* & legit patres & valde defendit Papatum. Est ibi Franciscanorum minorum *Monasterium* atque domus fratrum in communi viventium, ubi sunt Monachi Pontificii. Omnia ibi templa sunt splendidissime reædificata, & ubique sapiunt Papismum. Sunt in urbe tria collegia & unum suburbanum præter summæ Cathedralisque Ecclesiæ collegium. Ubique fere Canonici & Vicarii reperiuntur domi suæ concubinas alere, easque splendidas, & Epicureo more vivunt securi in luxu & pompa. Deinde in urbe passim & campo Ecclesiastico olim, dum ego ibi viverem, multæ libidines committebantur, & scorta hinc inde splendida, quæ suum prostituebant corpus, vagabantur, quæ prophanatio & impietas nondum credo abolita est, sed forsân majores vires eundo sumsit. Et dicam libere, quod sentio. Quod ad religionem & non ad politiam attinet [quia relinquo suum ordinem & dignitatem Magistratui omni, etiam impio, quam ei Deus concessit, & non perverto ordines, ut isti Corybantes fecere, sed tantum de religione loquor] existimo jam urbem non esse meliorem, quam sub Sectarum imperio fuit. Verum anno 1566 dicuntur cives apud Senatum impetrasse, ut jam ab honestis conviviiis, nuptiis, sponsalibus & aliis separentur & sit exclusæ concubinæ & meretrices Papistarum.

Mutavit *Franciscus Waldechianus*, præsul in ditione *Osnaburgensis*,  
 Bbbb bbbb 3. An-



Anno 43 religionem, sed propter imperii decretum nihil mutavit in ditione *Monasteriensi*. Mortuo *Francisco* præfule, eligitur prudens, doctus & præstans vir, *Wilhelmus Ketlerus*, Consiliarius Ducis Juliaci & præpositus summi templi *Monasteriensi*, qui favebat puriori religioni. Sed hic se tantum genere Nobilem, & non ex stirpe Heroum esse natum, bonus vir expendit, itaque, si quid mutaret, hoc parum successionis habiturum forsân credidit, considerato exemplo Archiepiscopi *Coloniensis*, *Hermanni*, qui erat Comes de *Weida*. Idem quoque Episcopatum amplissimum non potuit in Papatu administrare bona conscientia, nec voluit etiam, ut audio, Papæ *Romano* jurare. Quare maluit privatim vivere, tranquille bonaque conscientia, quam Principis & Episcopi potentis titulum & nomen gratiosum usurpare, & ita in vana mundi gloria perire, & sic abdicavit se eo volens. Sarius tamen meo consilio fuisset, si quid pie tentasset publice in religionis causa, & eventum Domino commendasset; Hoc cum non factum sit, ejus timori inscribendum est. Foris enim pugna, intus timores ait Apostolus. Ajunt, plurimum favisse *Cassandre*, dum viveret ille *Cassander* & *Ketlerus*, & religionem *Cassandri* amare, quod tamen à fide dignis hominibus refutatur & fortiter negatur, quanquam illum amaverit propter eruditionem. Est in religione timidus, & non facile se prodit. Appellatur hodie in ista ditione, *der alte Herr von Mühlstein* vel, *der abgetretene Herr* / & fuit semper Consiliarius summus & præcipuus in ista ditione, atque adhæsit suo successori & cognato, *Bernardo Rasfeldio*, Nobili docto & sagaci quidem, sed qui Papistarum religionem dicitur fortiter tueri; Quanquam hoc de *Ketlero*, quod Dominus *Ketlerus* antiquitatis Ecclesiasticæ studiosus sit admodum, cum suo Sacellano, viro docto, *M. Johanne Hammakero*, & cum eodem in oppido *Rhena* philosophetur, raroque accedat aulam, nil vocetur, vitæ certe integritate, eruditione, consilio & eloquio excellens vir. Episcopus ibi, *Bernardus Rasfeldius*, studuit diligentem dum esset Canonicus, & sobrie vixit, sed Princeps factus talem vitam forsân gerere non potuit, qui quoque anno 1566. resignavit Episcopatum ad manus Capituli, quod deinde vocavit & elegit *Johannem*, Comitem de *Hoya*, Episcopum *Osnaburgensem*, doctrinâ ingenio, judicio, & ornamentis variis præstantem, sed Pontificie religionis hominem & Principem.



## Alia additio.

Docuit aliquando in scholis *Bucholdia* in oppido, ditionis *Monasteriensi*, ante septennium *Wilhelmus Kleinvvitius*, omnium *Zwinglianorum* impudentissimus Sacramentarius; sed Episcopi *Monasteriensi*, *Bernhardi*, jussu pellebatur istinc. Habuit Senatus & plebs in oppido *Bucholdia* Evangelicum concionatorem, quem alunt suis sumtibus, qui cum relinquat Pastori Pontificio sua sacra, sperant se obtenturos illam gratiam apud novum Episcopum, *Johannem de Hoya*, ut is quoque, veluti *Bernhardus de Rasfeld*, permittat eis. Dixi, in oppido *Bucholdia*, quod ex antiquissimis urbibus *Westfaliae* est, docuisse *Kleinvvitium*, ita quoque *Georgius Cassander* scribit: quod post cladem *Monasteriensem* Anabaptistae à *Battenburgicis*, majora spirantibus, & *Ubbitis* & *Mennonitis* ac *Adamitis* in Synodo *Bucholdia* collecta quaedam dissidia inter sese composuerint, & de restituenda doctrina sua in integrum deliberaverint. Hæc Synodus fuit habita anno 38. ex qua emiserunt suos legatos per *Westfaliam*, quorum aliqui venerunt *Osnaburgum*, *Lemgoviam*, & simul *Monasterium*. Sunt autem in diversis locis eodem anno & tempore rapti & trucidati; inprimis vero in urbe *Monasteriensi*. Per totam interim ditionem nihil aliud viget, quam Papatus, tantum, quod istis in locis, ubi jurisdictionem Ecclesiasticam habent *Osnaburgenses* Episcopi & Prælati ejus, ut in istis præfecturis, quas olim *Monasterienses* eripuere *Teklenburgicis* Comitibus & aliis vicinis, & in Comitatu *Vechtensi* multi inceperunt Evangelium Christi prædicare & Psalmos Germanicos canere. Ita in Comitatu *Vechtensi* *Jacobus Johannes*, *Zwollensis*, qui mortuus est *Vechta*, & qui nunc ei successerunt ibidem. Item in finitimis pagis hodie & perpauca annos *Hermannus Dunkerus*, *Asverus N.* alique pure docent & Sacramenta administrant. Sic in *Emslandia* *Johannes Cotius*, quæstoris *Meppensis*, *Hermanni*, frater primo idem incepit. Idem fecere in oppido *Hasselunna* *Ebertus Corbuckius* & *Wilhelmus Beckerus*; Item in oppido *Meppen* *Johannes Blomendalius* & *Christophorus Renanus*, *Bernhardus Horst* in lato pago, & quidam *Hermannus N.* in *Aschenberg*. Deinde in *Cloppenbergo* oppido est eloquens, pius & doctus concionator, *Antonius Polander*, *Mindensis*, & olim *Bernhardus Hockerus*, nostri *Jodoci Hockerii*, pii & docti, frater in amplo pago *Dincklage* pure docuit Evangelium & Sacramenta administravit, cui quisnam ibi successerit, ignoro.



ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ, de RENATO  
EVANGELIO,  
In oppido *Alensi*, ditionis *Monasteriensis*, brevis explicatio,

*Autore*

HERMANNO HAMELMANNO, L. Th.

**A**nno 33 postquam *Monasterii* doceretur Evangelium publice, concedente Episcopo *Francisco Waldechiano*, tandem accendebantur quoque *Alensis* oppidi Senatus cives; luce Evangelii. Itaque commoti illi cupiebant audire Evangelium, & cum haberent Secretarium & Ludimoderatorem virum doctum & bonum Magistrum artium, *Gerhardum Cotium*, [ qui primum gradum Magisterii *Colonia* sumserat: Deinde Conrectorem ad *D. Ludgerum Monasterii* egerat, atque postea *Witebergam* iverat, discendæ religionis veræ causa, indeque reversus in patriam ducta uxore, Secretarius & Ludimagister urbis erat constitutus ] valde negotium Evangelii promoventem apud omnes, cogitabant, quomodo ipsum eligerent in Evangelicum concionatorem, sed ille hoc olefaciens, noluit primò suscipere istam sebitam & oblatam vocationem, nisi simul legitime ad hoc munus & Magistratu & civibus vocaretur & promoveretur. Tandem precibus eorum, hoc est, Senatus & civium, commotus, suscepit oblatum munus tali conditione, modo prius duo concionatores ex urbe *Monasteriensis* vocarentur, qui inciperent negotium Evangelii. Suscepta est conditio, & vocatur à Senatu *Brixius Nordanus* ex parochia *Martiniana Monasteriensis*, & rogatur ut secum adducat alium quendam concionatorem. Venit igitur *Adam Brixius*, adducens secum alium concionatorem, *Johannem Beveranum*, olim *Franciscanum*. *Brixius* Dominica 3 à Trinitate de ove perditâ voluit docere. Ingressus templum reperit quendam Papistam & hostem Evangelii, *Johannem Kottenbusch* Sacellanum publice docentem, egressus autem templo docere incepit in Cœmiterio, ad cujus mox concionem statim omnes è templo confluunt. Finita concione promittit se docturum latius à prandio. Itaque jubent Pontificii & quidam adhuc ex civibus *Papistæ* occludi templum, ne quisquam ingredi posset pomeridiano tempore. Tandem oritur ante templum clausum tumultus, qui vix sedari potuit à *Brixio, Beverano & Coto*. Quoniam imminet periculum vitreis fenestris, & simul valvis templi. Hoc considerans



custos, & si prohibitus, tamen aperit ultro, propter majus periculum vitandum. In apertum templum *Brixium* ingressus publice docuit, & quemadmodum in prima contione eleganter de gratia Dei & merito Christi docuerat, ita hic acriter incipit Papisticum cultum reprehendere, idem fecit postridie in altero templo *Johannes Beveranus*: atque sic per quindecim septimanas docuere tranquille isti duo Evangelium in utraque Parochia *Alensis* urbis. Tandem cum non amplius permitteretur à suis Parochianis *Brixio*, singulis septimanis excurrere Monasterio ad *Alenses*, detinuerunt in vocatione *Johannem Beveranum*, & tandem de consilio *Brixii* multis precibus fatigant *Cotium* suum Secretarium, ut staret promissis, & se in locum *Brixii* ordinari & constitui pateretur. In ipso discessu *Brixii*, vocatur etiam *Cotius* ab urbis *Lemgoviensis* Senatu, suasu & commendatione *M. Gerhardi Oemikii*, tunc ibi vocati Superintendentis in concionatorem *Neopolitanum*. Ut igitur retinerent illum apud se in officio concionatoris, transegerunt cum *Cotio*, & illius transactionis literæ Senatus secreto ratificatæ sunt & *Cotio* oblata, imo juramento se obstrinxerunt *Cotio* cives de communi consensu cum toto Senatu, nullum tam magnum periculum futurum, quod non sint cum ipso subituri propter Evangelium. Interim, dum hæc fiunt, Nobilis quidam, albus Monachus *Cistrionensis* ordinis, in Monasterio *Cappenberg*, [ubi tantum Nobiles locum habent] fuit Pastor urbis *Alensis*, nomine *Johannes Harman*, [veluti & *Theodorus Evervelde* ejusdem ordinis & æque Nobilis, Pastor erat novi oppidi] qui, exiens urbem, tanquam præcipuus hostis doctrinæ sinceræ, opera totius sui cœnobii, consensum Capituli majoris Ecclesiæ *Monasteriensis* & Episcopi consecutus est, hoc est, nonnihil concessionis, ut conniveret, si ille aliquid contra *Alenses* tentaret. Hoc impetrato, convocat cognatos, amicos, propinquos, fratrem & affines, qui in Comitatu de *Marca* circa urbes, *Lippiam* & *Hammonem*, habitabant, ut erat satis ampla ipsius familia, & his conquestus de injuria, sibi & suo Deo, *Papa*, totique istius ordinis in *Cappenberg* cœnobio facta, opem omnium implorat. Illi, qui plerumque omnes adhuc erant Papistæ, collecto clam milite & multis congregatis equitibus, inter quos etiam erant quidam Nobiles de facie noti, properabant ad urbem *Alensem*. Inter alios fuerat valde inflammatus quidam, ex nobili familia ortus, *Gerhardus à Recke*, Satrapa in *Heisten*, qui, ascensurus equum, dixerat ad suos,

Cccc cccc

jam



jam ibo eques, expugnatum Lutheranorum Sectam, sed vix verba  
 ista finiverat, cum jam equum ascendisset, statim decidit in famuli  
 dorsum & exspiravit. Sed alii negant, illum tunc statim fuisse mor-  
 tuum. Advenerunt equites, tacite collecti, magno numero ad oppi-  
 dum *Alen* cum aliquot militibus, ut prædam boum & vaccarum ab-  
 ducerent. Interim de his rebus nihil constabat. *Alensibus*. Adve-  
 nientes in viciniam urbis, propter nebulosum aërem non sunt à quo-  
 quam visi illo mane; Dies autem erat octavus ante Michaëlem. Pri-  
 die vel nocte præcedente per quendam amicum, cujus nomen igno-  
 ratur, graviter moniti sunt *Alenses*, ut sequenti die potius in vallum  
 & aggeres conferrent machinas bellicas & bombardas, quam ut per-  
 mitterent agi & educi vaccas & boves à bubulcis in gramina campi;  
 Imo in ipso hostium aggressu & accursu venit alius quidam magno  
 cursu ad urbem, clamans: Habete rationem vestrarum vaccarum, vos  
*Alenses*! Sed illi non exierunt, alii etiam non audebant. Existimabant  
 multi, posteriorem subornatum, ut is ita eliceret cives ex urbe, quo  
 vel illi maclarentur vel abducerentur simul. Interim Pastoris istius,  
*Harmans*, cognati & alii, magno numero collecti Nobiles, cum suis  
 ministris, equites & pedites, abduxere vaccas, boves, vitulos, ju-  
 vencas omniaque vaccarum pecora urbis. *Alensis*, quarum pretium  
 excessit undecim millia florenorum. *Rhenensium*. Abductio illa facta  
 est circa horam octavam matutinam, cum & ipso tempore doceret  
 in altero templo pro concione *Beveranus*, cujus concioni intererat  
*Cotius*. Facta seditione & orto tumultu propter perditas & amissas  
 vaccas, cum omnes ex templo currerent ad portas, currunt quoque  
 cum aliis *Cotius* & *Beveranus*, nescientes, quid rei esset. Cum ci-  
 ves ad portas veniunt, intelligunt, ab instructa equitum armatorum  
 & militum cohorte abductas omnes vaccas, propter Evangelium  
 ejusque conciones publicas, quod Pastoribus Monachis, præsertim  
*Johanni Harman*, impediissent sua sacra. Ibi mox cives fremebundi  
 & furibundi, qui antea erant fervidissimi in negotio religionis Lu-  
 theranæ, arma convertunt in *Cotium*, quasi autorem susceptæ religio-  
 nis Lutheranæ, eumque strictis gladiis insequuntur, & extensis ha-  
 stis acriter regredientem magno cursu ad suas aedes, transjicere con-  
 nantur. Vix celeri gressu elapsus ex eorum manibus, venit ad suas  
 aedes, & in eis se recludit; Illi ibi fores effringere conati sunt, sed à  
 domesticis suis præmuniebantur januæ & fenestræ, ne facili impetu  
 in



intrarent, tamen impeditum est hoc, nescio, qua ratione. Quamquam sedarent & consolarentur Consules & Senatores suos subditos, cives omnes, tamen, postquam se collegissent & per pulsam campanam convenissent cives cum uxoribus, famulis, famulabus & filiabus, accessere ad locum, ex quo abreptæ & abductæ erant vaccæ. Hic quidem multæ lacrymæ, ploratus, querulæ voces, imprecationes in *Cotium*, diræ maledictiones in Senatum, audiebantur [quia illud oppidum ex graminibus eorumque copia & alendis vaccis vitum quærit] à fœminis & simul viris, atque omnium votum erat, ut Senatus traderet ipsis *Cotium*; Quod si illum nobis tradatis, facile, ajunt, recipiemus nostras vaccas; Et quidem fecerunt isti, qui antea vehementer negotium Evangelii promoverant. Ita accidit cum Christo: Quidam, sine dubio vel ab isto pasti, vel sanati etiam, postea cum reliquis clamarunt: Crucifige, crucifige. Sed respondit Senatus: Wir wollen keine Fleisch-Verkäufer seyn/ denotantes, se non proditores fore sanguinis justii, quoniam aliter, inquit, promisistis *Cotio*. Optimi igitur cives! hoc unum agamus, inquit Consules & Senatores, ne simul & vaccis, & deinde honore honestoque privemur. Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa. Aliud est enim inter nos & *M. Gerhardum Cotium* transactum. Responderunt hic impii illi, frementes ira & mœrore: Quod si nos maxime temerario juramento obstrinxissemus *Cotio* & suæ doctrinæ, tamen hæ nostræ uxores & filia famulique & filii nulla ei tenentur obligatione; Itaque vos omnes, conversi ad suos, ajunt, ut in *Cotium* & ejus ædes impetum faciatis. Hoc olefaciens alter Consul, vir pius, *Gerhardus Offenbeck*, præcurrit alios, venitque clam ad ædes *Cotii*, comitatus altero quæstore ærarii, & evocatum *Cotium* abducit ad secretissimum locum, cujus non erat gnara conjunx *Cotii*. Nam in cujusdam viduæ, *Gertrudis tom Holte*, ædibus abdiderant illum sub stramine, metuentes ejus vitæ per dies & noctes quatuor. Interea bonus vir, *Cotius*, neque cibo neque potu usus est, imo ita divinitus erat sustentatus ibi, ut etiam desiderio cibi potusve non affectus fuisset, tantum, quod orasset & Domino se commendasset. Interea per istos dies fœminæ excubias agebant ante fores *Cotii*, flentes, vociferantes, imprecantes *Cotio* & suis & magno furore æstuantibus tumultuabantur ad viam omnes; Aliæ faciunt impetum in fores effringendas; Quædam scandunt ad fenestras,



sed partim ab uxore *Cotii* & familia repulsam passæ, partim minis & obsecrationibus Senatus, ne vim ædibus attentarent, retractæ sunt, quoniam cum suis ministris etiam Consules & Senatores pii quasdam manu à seditioso conatu placide abstrahebant, vel potius illarum conatum non sine sui corporis periculo remorabantur. Sed cum scalis aggredierentur nihilominus domum foemina, nihil curantes preces, monita & minas Consulium & Senatorum, decreverat aqua fervida & pulve fervente, quas ad manum habebat, abjicere à fenestris uxor *Cotii* hostes, sed dissuasæ à collega *Cotii*, ne id faceret, [quoniam *Beveranus* tunc adhuc erat in ædibus *Cotii*, cui etiam nondum imminabat periculum.] Interim excitato rumore [foris à Consulibus & Senatoribus subornato, postquam aliud medium non esset ad manum] dicitur *Cotium* clam in isto puncto aufugere ex posteriori ædium suarum parte ad mœnia, ut ita exemplo *Pauli*, de qua in postrema concione docuerat, elaberetur ex illarum manibus. Currunt igitur omnes ad mœnia, ut fugientem interciperent. Interim etiam & uxorem ejus ex suis ædibus ad tutiorem locum, postquam ei quoque periculum propter liberiores responsiones & execrationes retortas in adversarias immineret, abducunt duo Senatores. Sic & illa latuit. Interea *Johannes Beveranus*, fugiens in vicinum hortum, abdiderat se satis periculose sub spinis in unum locum collectis & foco adaptatis, ubi ille in tertium usque diem fere latitabat sine cibo & potu. Quarta nocte ferme elapsa, extrahitur ex acervo straminum *Cotius* per Senatores duos, viros pios, *Johannem Croß* & *Johannem Avenhovel* jussu Consulium. Reductus est ad proprias aedes noctu sub veste muliebri, qua indutus erat, ut reficeretur cibo & potu; Verebatur enim, ipsum fame periturum, vel sibi morbum ex inedia contracturum. Refectus, iterum per eosdem reducit ad pristinum locum talis habitu, quia nondum tumultus & seditio muliebris cessaverat. Quinta nocte redierunt ad *Cotium* latentem pii & præstantes Consules, *Gerhardus Offenbeck* & *Johannes à Langen*, Evangelio & *Cotio* addictissimi, & illum secundo extractum stramine reducunt, jam paululum tumultu sedato, ad proprias aedes, ad quas etiam reducta jam erat uxor, & ibi *Cotius* cum uxore ex scripturæ testimoniis consolati sunt Consules: Sic oportuit Christum pati, sic & sui, qui non possunt esse meliores magistro suo. Deinde opem & suam *Cotio* & uxori liberaliter promittunt. Quæritur & *Beveranus*, sed non invenitur, qui postea ex



spinis prodiens ad aedes *Cotii*, reficitur cibo & potu, & clam deinde exiit urbe. *Cotius* sexta nocte, quæ præcedebat Festum Michaëlis, vocatur & ducitur in curiam. Ibi Consules & Senatores, qui & ipsi non levem jacturam in amissis vaccis fecerant, de plebis impio tumultu & nefario conatu gravissime conquesti sunt, & de sua prompta voluntate amplissime loquentes asserunt, sibi nihil esse prius & optabilius, quam ut posset ad pristinam vocationem regredi, & ad ministerium jam inceptum revocari; ad quam rem nos quidem omnem conatum & vires nostras extenderemus, nisi id vereremur, frustra tentari, propter animos civium & præcipue muliercularum inde exacerbatos: Hoc enim si fieret, novum tibi & nobis periculum immineret, mi *M. Gerharde*! Itaque te obnixè rogamus, ut nobis hanc in te præter meritum illatam injuriam à plebe, non imputes, nec in Senatum ullam hujus rei culpam transferas, sed obsecramus, ut facere digneris cautionem de ista injuria non vindicanda in *Alenses* cives & oppidanos, si forte alibi in unum vel plures incidaris. Nos interim, si ista cautione præmissa abieris, quocunque velis discedere, adjungemus tibi fidos comites, & curabimus, ut uxor cum suppellectili sequatur, & tuæ domus cura ac ratio commendata. Verum is respondit: Nihil periculi vobis à me erit expectandum, quia Evangelici non debent de privata cogitare vindicta. Sed ita cum ire decrevisset *Monasterium*, adjungunt ei octo viros bonos & pios, qui cum Senatu, proprio damno neglecto, sui pii Doctoris rationem habuere magis quam sui commodi. Ita pridie Michaëlis deducitur *Monasterium* in aedes *Brixii*, & non multo post sequebatur uxor parte aliqua suppellectilis relicta *Ala*. Quo tempore etiam increbuerat & jam vires sumserat *Monasterii* Anabaptistica lues, & deinde ab altera parte & Papistæ & Papistarum socii vigeabant. Ibi ab utraque Secta non parum probri sustinuit *Cotius Monasterii*, qui digito monstrabatur: *Er ist / der mit seinem Lutherischen predigen hat den von Alen ihre Ruhe quit gemacht*. Sic accidit plebi & civibus *Alensibus*, quod *Gergesinis*, qui malebant, discedere finibus suis Christum à ditione sua, quam ut ibi haberet, & eis viam salutis traderet, sed illi æquiores erant *Alenfi* vulgo civium ac muliercularum impio & perverso, quoniam rogabant isti Christum, ut discederet, hi vero volebant è medio tollere *Cotium* & uxorem ejus. In ipso autem Festo Michaëlis ingressus est urbem *Alensem* eques cum octo ministris



equitibus Satrapa in *Dreckstenvorde*, *Johannes de Recke*, Nobilis, optimus & integerrimus vir, pietati veræ deditus, & *M. Gerardo Cotii*, omnibusque piis propter sinceram doctrinam inprimis favens, hoc sine & propterea, ut tuto ex manibus impiorum civium eriperet & educeret *Cotium*, qui pridie eductus erat. Is igitur regressus est domum lætus, hoc audito, & semper amavit Evangelium, quod etiam in Parochia *Steinvordiana* prædicari curavit.

Interea evocatur jam tandem *Cotius* tertiis literis à Senatu urbis *Lemgovienfis*, quibus acceptis, abiit ad eam urbem paulo post Festum *Crispini & Crispiniani*, & suscepit ibi conditionem, de qua re suo loco latius.

Væ autem & quidem væ impiis istis civibus & eorum uxoribus! quæ, dum vaccas perdiderant, etiam salutem in *Christo Jesu* perdidērunt dum ipsum in suo membro & discipulo persequerentur, & sic Evangelium & publicam illius apud se, prædicationem excuterent, quæ ab eo tempore, usque in diem hodiernum, carent.

Post semestrem *Alam* reducitur, annuente Episcopo & impetrato prius à Senatu [qui id, coactus per præsulem, faciebat] salvo conductu, *Johannes Harman*, Pastor veteris oppidi, mediocri suorum & inprimis fratris, sui *Godefridi Harmans*, equitatu, & pristino loco restituitur, non sine dolore piorum. Omnes isti, cum jam ad mensam cum ipso Pastore sederent & splendide cœnarent, cœnamque in multam noctem protraherent, zelo quodam contra pseudopastorem vir quidam pius, nomine *Henricus Hermelingius*, officio rotarius, accendebatur, tum, quod tantum damni attulisset urbi, tum, quod illato eo damno privati essent simul Evangelii doctrina; Itaque machina currens ad cœnaculum, tandem per foramen ex platea intendit pseudopastori isti, cupiens, istum, quem sciebat novam pestem urbi futurum, trajicere, sed emisso telo, fefellit hominem miserum ictus & istud suum institutum, quia neminem læsit. Interim cœnantes & jam semiebrii, valde commoti boatu & ictu machinæ, illico exsurgunt & currunt ad vigiles, & ab illis diligenter quarunt: Num ab ipsis jam quispiam in plateis visus fuisset? Illi, nihil tale suspicantes, ex simplicitate respondent: Istum *Hermelingium* præterisse. Ita excitari curant Senatum & hunc graviter accusant, qui vincus traditur carceri, & ad illorum accusationem judicio sistitur. Confessus factum, denique propterea morti adjudicatur. Supplicio locus destina-



nabatur vicinia portæ, ubi rotæ imponitur pius vir, [qui placidè mortem subivit] propterea, ut singulis exeuntibus ipsius supplicium conspicuum & terrori esset, ne quis in posterum unquam tentare auderet contra Pastorem & Papisticam religionem quicquam. Verum illo jam è medio sublato & rotæ imposito, putabant impii omnia tuta. Verum tunc in illo loco supplicii & circa rotam, cui is infixus erat, undique fulgida spectacula & jucundissimæ claritates noctu & quotidie conspiciabantur ab omnibus, ut omnium civium animi commoverentur & clamarent de istius pietate & Pastoris crudelitate. Cum vero id ita quotidie per aliquot septimanas duraret, fuit iste tyrannicus Pastor, [cui nondum satis erat, abstulisse vaccas *Alensibus*, nisi etiam huic vitam ademisset] ita commotus, ut suaderet, corpus istius ex rota deferri debere in cœmeterium. Ita is, cum utriusque templi Clericis, Scholasticis & Sacrificulis, egressus in celebri pompa urbem, curat ex rota honeste deponi corpus *Hermelingii*, & loculo impositum per quatuor viros solenniter cum crucibus & trophæis portari in urbem ad cœmeterium Neopolitanum, sequentibus funus sancti martyris omnibus fere civibus & multis mulierculis cum toto Senatu, ubi habuit sepulturam præclariorem, quam unquam vel Episcopus quispiam. Cum forsan Pastorem istum sua accusaret conscientia, ut eum tœderet vitæ in oppido *Alensi*, regreditur in suum cœnobium, ubi quidem eligitur in præpositum, hoc est, caput istius Monasterii, sed ajunt multi, illum in ultima senectâ lepra fuisse percussum, &c. Hæc ego partim ex *Cotii* verbis, partim ex uxoris relatione per *Henricum Strapelvenium*, nunc Pastorem in *Bege*, Comitatus *Lippia*, qui ista omnia etiam præfens vidit & à *Cotio*, affine, educatus est, accepi.

M. *Gerhardus Cotius*, cum jam mediocriter & feliciter suum cursum Evangelii in Comitatu *Lippia* & præcipuè in Pastoratu Ecclesiæ in oppido *Hornensi* finiisset, scripsit tum demum ad suos *Alenses*, quomodo per Cæsarem & totius Imperii consensum esset omnibus liberum permissum, quamnam religionem, papisticamne, vel Evangelicam, *Augustana* Confessionis, vellent amplecti, ut cogitarent de vera via, quæ ad salutem ducat omnes; ubi quidem repetit, quomodo olim legitime vocatus Anno 33. eis inservierit in Ministerio Evangelii inculpate, & demum non propter maleficium suum, sed damnatum quoddam, illis ab impiis propter Evangelium Christi illatum, misere turbatum se, & ejectum prolixè docet. De qua ait  
eje-



ejectione nunc gaudeo, & tantum in hac mea senectâ de vobis sollicitus sum, vos orans & obtestans, ut veram illam doctrinam, semel à vobis exturbatam, velitis propter animæ vestræ salutem, nunc cum id concessum sit & liberum etiam vobis permissum, recipere, & impias illas Missas expungere, quarum etiam impietatem prolixè ex scripturis refutat ibidem, quod conscientiæ & officii causâ dicit, se scribere ad suos Sympatriotas. Sed isti interim manserunt in Papistica impietate. Erat igitur istud scriptum istis in testimonium.

Dolendum est, in tot urbibus amplæ ditionis *Monasteriensis*, quales sunt *Borcka*, *Cosveldia*, *Warendorpia*, *Ala*, *Beckemena*, *Tägenum*, *Werdena*, *Ahusum*, *Wildeshusum*, *Wurda*, *Scoppinga*, *Ransdorpium*, *Statlovium*, *Horstmaria*, & in multis aliis oppidis ac vicis, mihi incognitis, non propagari veram doctrinam.

In oppido *Rhena* purius doceri audio propter præsentiam veteris præfulis, *Wilhelmi Ketleri*, quam alibi, ubi etiam illius Sacellanus, vir doctus, *M. Johannes Hammakerus*, in aula *Ketleri* pure docet, & Sacramenta integre administrat. De oppidis, *Bocheldio*, *Meppen*, *Haselunna*, *Cloppenberga* & *Vechta* diximus. *Hermannus Cosius*, primo Pastor & Vicarius, postea Decanus *Beckemensis* factus, valde Papatum in istis oris semper defendit & tutatus est, vir existimatione magis doctus, quam re ipsa, cum quo cum ego aliquando de religione conferrem *Beckemena*, nihil aliud habuit, quod opponeret & obiceret ex scriptura & patribus pro invocatione sanctorum & aliis Papisticis nugis, quam locos communes *Johannis Hoffmeisteri*, *Melchichidesperati* ex patribus, pro papistica assertione collectos, ubi ostendi etiam coram ipso, *Hoffmeisterum* quædam falsa citasse. Qui sunt reliqui Papistæ vel neutrales in istis oppidis, ditionis amplissimæ *Monasteriensis*, & quales Monachi Papisticam religionem in diversis Monasteriis istius ditionis, defendentes, ignoro.

## HISTORIA ECCLESIASTICA

RENATI EVANGELII,

In Civitate Westfalix, *Minda*,

Autore

**HERMANNO HAMELMANNO**, L. Th.  
 Erat circa annum trigessimum, post millesimum & quingentesimum à nato Christo, apud generosum Comitem de *Hoya*, *Er-*  
 cum,



cum, in arce *Stolienovu* *Nicolaus Cragius*, vir quidem mediocriter doctus, sed docendo admodum felix & eloquens. Cum vero eodem anno cives urbis *Mindensis* flagrarent ardore & amore religionis verae & sincerioris doctrinae Evangelii, mediocriter inflammati studio & privata lectione operum *Lutheri*, *Philippi*, *Pomerani* & aliorum, tum quoque ex fideli institutione *Alberti Nisi*, viri quidem integerimi, qui pure ibi aliquamdiu docuerat in templo *Mariano*, sed nihil adhuc immutaverat in religione vel Sacramentis & ceremoniis, quanquam libere falsam doctrinam Pontificiorum reprehenderat, quo nomine venerat etiam in periculum apud Episcopum *Franciscum*. Illi igitur censebant, istum *Cragium*, quem in vicinia habebant, idoneum esse, cujus opera instauratio Ecclesiae fieri posset. Idoneo igitur tempore de consensu Comitum *Erici*, eodem anno, quando ipsorum Episcopus, *Franciscus, Brunsvicensis Henrici* frater, occubuerat, & *Henricus*, Dux *Brunsvicensis*, in Comitibus erat *Augustanis*, atque nondum novus erat electus Episcopus, vocarunt *Nicolaum Cragium*, fumentes initium mutationis in religione. Quo autem id commodius fieret, elegerunt viros triginta, qui strenue nomine communis reipublicae negotium Evangelii promoverent, ex quibus praecipui erant *Johannes Bruningius*, Senator, [qui tamen postea ab aliis male tractabatur, tanquam cujusdam facti reus] Item *M. Petrus Wicus*, qui postea Consul constituebatur, & *Johannes Geveonus*, senioris Consulis filius, qui & ipse post aliquot annos elapsos & pronuntiatus & designatus Consul. Illi igitur, de quibus dixi, triginta cum evocato *Nicolao Cragio* deliberant de toto negotio, & communicato cum eo consilio, convocarunt tandem ex communi deliberatione omnes Monachos & Canonicos in collegiis, exceptis Cathedralibus *Dumheris*, quos in sua reliquerunt Papistica religione, eisque serio injunxerunt, ut depositis suis Papisticis sacris Evangelicum illum Doctorem, *Cragium*, cum suis docere paterentur in singulis Ecclesiis parochialibus. Quo mandato ipsis significato, statim *Cragius* irruit tunc in hanc, tunc in illam Parochiam concionaturus ad populum. Mox ergo ista sua animosa audacia, & verbis sesquipedalibus atque stentoriis fulminibus in Pontificios & eorum religionem jactis, terruit adversarios, & qui statim omnem religionem pontificiam abolebat, subita mutatione, quasi in momento, efficit ita, ut illico Monachi & Canonici exirent urbe, praeter Paulinos



fratres, qui tamen postea aufugere cogebantur. Ibi mox fugitivi & quasi eiectioni Pontificii movent litem in Camera Imperiali toti urbi *Mindensi*, quæ eò processit, ut aggravatione & Banno Imperiali notarentur. Id quidem, dixerunt multi, facile præcavere potuisset *Cragium*, si saltem modestius & paulo moderatius, ut servum Domini decet esse placidum, de maturo piorum consilio egisset, & non adeo præceps in abolitione omnium rerum & subita mutatione fuisset; adde etiam, quod vita hominis istius [puto *Cragii*] fuerit dissolutior, quam ista causa requirebat in tali reformatore Evangelico. Ideo temeraria audacia & effrenata insolentia, vitæque liberiori non parum obfuit Evangelii progressui *Nicolaus*. *Albertus Nifens*, qui ante, ut dixi, pure Evangelium docuerat, strenue in sua Parochia Mariana nunc pergit docere & propagare Evangelium, & omnia ad normam Evangelicæ doctrinæ moderate instituere, ideo etiam ille mansit ibi semper Pastor ab eo tempore usque ad annum quinquagesimum septimum, cui tunc erat collega *Bernhardus Menius*. *Cragius* autem fuit collega *Johannes Storckius* primo; Deinde *Johannes Borkerus*, qui ibi per sedecim annos hæsit, donec sub Comite *Speybergico* vocaretur ad Pastoratum in *Cloppenbruggen*, ubi hodie tenetur. Quo etiam tempore in æde *Simonis* cepit plantare Evangelium *Henricus Traphagius*, *Lemgovienfis*, qui Monachatum deposuerat, ut pie sub Evangelio viveret, & ibi primus Evangelista factus est, tandem is consequitur conditionem & Pastoratum in Ducatu *Lüneburgensi*, & ei succedit ex Monachatu *Benedictino* eodem quidam, *Johannes Porbergius*, quem ajunt præcipuum ibi Evangelistam fuisse. Hic, abjecto suo ordine, ibi docuit usque ad finem vitæ pie & honeste, quo mortuo, duxit ejus viduam, & successit ipsi in ministerio *Henricus Duhingius*, quondam unus ex fratrum Collegio *Hervordienfi*, qui ibi Conrector sub *Huddao* erat, vir doctus & Hebrææ linguæ ac historiarum peritus. Cum autem *Nicolaus Cragius* propter vitam & sermonem liberiolem fieret multis odiosior, & certis de causis haberetur suspectus apud Senatam [quod cognoscebant, ex ejus temerariis consiliis aliquid mali quotidie oriri Reipublicæ, & jam tunc Imperialis Cameræ aggravationem & Bannum, sibi denunciatum habebant] præceperunt ei Consules & Senatores, ne posthac à fidei concione ad privatos suos congressus & colloquia convocaret cives. In qua re non paruit Senatui, sed post istam prohibitionem hoc male



to liberius & frequentius solito facere videbatur. Deinde antea sæpe petulantiam exercuerat. Nam postquam ad novam scholam Evangelicam aperiendam vocasset Senatus virum cordatum & doctum, *M. Rodolphum Mollerum, Hervordia*, omnibus modis suasērunt *Cragio*, ut nihil citra istius *Rudolphi* consilium tentaret faceretve. Censebant enim, ipsius suffragio accedente, posse omnia prudentius institui & in ordinem redigi. Verum ipse solus semper contempto Senatu & præterito *Rodolpho* reliquisque collegis temere omnia tentavit. His igitur aliisque de causis moti Consules & Senatores, eum urbe eiecerunt Anno 1537. Hæsit igitur in suburbio piscatorio aliquamdiu, ex quo sæpe in urbem ad Senatum scripsit & in fine literarum hanc semper adjecit: *Data Bethania, prope Jerusalem.* Cum igitur & ibi multum molestus esset Senatui, apprehendi hominem jubent & reduci à quibusdam civibus ad *Ericum*, Comitem de *Hoya*, in arcem *Stoltenau*, curant, unde venerat. Mox anno 36. vocatur in *Cragii* locum opera *Urbani Rhegii M. Gerhardus Oemikenius, Camensis*, ex Ecclesia urbis *Lemgovienfis* in Superattendente, cui tunc *Minda* collega erat *Conradus Meyerus Lemgovienfis*, vir pius. *Oemikenius* autem eruditis concionibus & suavi eloquentia conabatur turbatum Reipublicæ statum componere & in ordinem referre, & cives, à Senatu abalienatos, per *Cragium* ad obedientiam flectere & commode redigere, adhibita etiam præter scripturas & erudita exempla, similitudine quadam eleganti de horto ornato & exulto multis aromatis, in quem non intromittuntur, inquit, sues & ursi, ut discerpant omnia, vel etiam gallinæ, ut multa inde evellant, quæ compositè ibi erant paulo ante ornata: Imò istum potius omnibus modis in tali eleganti habitu custodiri à possessoribus videmus. Ita quoque pergit, censeo, Politiam esse talem hortum, quem nonnulli inquieti conantur turbare ut sues, sed istorum conatus & modus omnibus arcendus, & Politia debet in suo legitimo ordine & pulchra constitutione defendi. Cum autem videret se parum efficere, autor est Senatui, ut vocarent *Mindam Doctorem Urbanum Rhegium Cella* pro restauratione tam Ecclesiæ quam Reipublicæ, qui anno 38. evocatur & in mense Augusto habuit concionem de cavendis falsis prophetis, quam cum mox ederet, inscripsit *M. Gerharo Oemikenio*, & nominatim ibi ex Canonicis majoris Ecclesiæ inter hostes Evangelii, Decanum *Borhardum Buschium*, fratrem magni illius poëtæ, *Hermannii Buschii*, [quem ut *Cain Abel* propter ve-



ram doctrinam odit] & *Astium de Borthveldt* perstringit. Sed erant etiam ex reliquorum collegiorum Canonicis hostes Evangelii, quorum aliqui usque in annum 52. vixerunt, quo tempore vel paulo post potissimi defecerant, videlicet *Johannes Minschium Curthausus*, qui *Roma* eorum causam egit, *Severinus Gogrevius*, *Johannus Kostikenius*, *Gergus Wismannus*, quibus postea additus Abbas Monasterii Benedictini, *Johannes Marsmannus*. *Kostikenius* erat præpositus in *Obernkirchen*, Comitatus *Schorvenbergici* & Cantor Canonicus Martianus: *Minschius* Decanus, *Wismannus* Scholasticus, *Severinus* Thesaurarius &c. & alii multi. Nunc in illorum omnium locum successit *Johannis Minschii* filius, *Antonius Minschius*, homo majoribus etiam pompis, divitiis & beneficiis ornatus, quam pater, qui hodie cum Abbate *Marsmanno* nihil non tentat contra Evangelium. Omnes isti olim & etiam, qui hodie vivunt ex istis, excepto *Kostikenio* & Abbate, fuerunt egregii concubinarij, qui publice domi aluerunt scorta.

Cum autem graviter premerentur à Camera *Mindensis* & scripti viderentur, fuit *Oemikenius* autor & suavorum Senatui, ut scilicet *Smalkaldicis* adjungerent. Ita factum est, ut ipse *Gerhardus Oemikenius* subscriberet nomine Ecclesie *Mindensis* Articulis Religionis, & ibidem præsens esset *Smalkaldia* anno 1538. Legitur enim aliquoties in *Sleidami* Historia, quomodo apud Cameram *Smalkaldici* aliquoties intercesserint pro *Mindensibus*, ut gravamine Camera liberarentur.

Reversus *Smalkaldia* domum *Oemikenius*, insolentior & arrogantior solito visus fuerat, & ab eo tempore graviter & liberius reprehenderat Senatū, & in vitia omnium acerrimus vindex auditus erat, atque eos cives & Senatores insectatus erat acriter, qui nondum patene novam illam [ut appellabant] doctrinam Evangelii susceperant & approbaverant. Sed hic tandem sumserunt occasionem dimittendi eum, quia ibi forsitan tunc, ut alibi, parum aut nihil potuere ferre reprehensionis Magistratus & primarii. Is ergo anno 1540 dimittitur. Dimissus abiit ad *Urbanum Rhegium*, Doctorem, cujus promotione factus est ducalis *Francisci Luneburgici* Ducis concionator autisticus, ex cujus aula postea in inspectionem Ecclesiarum in Ducatu *Megapolensi* vocatus est. Interim in locum *Oemikenii Mindam* vocatur *Hervordia* Doctor *Johannes Dreyerius*, *Lemgovienfis*, qui, ad Festum *Michaelis* eodem anno 40. adveniens, multis fuit gratus & bene docuit. Sed quia protervum habuit collegam & *Sacellanum*, hominem tunc



clamosum, *Ludolphum Hugonem*, qui in locum *Conradi Meyeri* constitutus erat, & quondam in Ducatu *Clivie* religionis monasticæ cultor, sed propter Evangelium turbatus erat. Hic, inquam, bonum senem, ut gloriosus juvenis, contempsit [nescio tamen, quid causæ haberet] in publicis concionibus & sæpe reprehendit, ejusque titulum Doctoris Sarcasmo derisit. Ita mœrore tabescens Doctor *Dreyerus* dixerat sæpè amicis, hanc plagam sustineo, quod *Hervordiensis* meos propter tenue stipendium deseruerim, & interim tranquillus se ad mortem præparaverat, & omnia patienter tulerat. Nam postquam per triennium & semestrem in quartum usque annum ibi in provincia hæserat, moritur placide in Domino Jesu. In cujus locum exaltatur *Ludolphus Hugo*, cui tunc contigit collega *Bernhardus Luderus*, *Mindensis*, homo doctus & poëta. Quis vero *Alberto Niseo* toto illo tempore collega fuerit, ignoro, nisi quod his postremis annis *Johannes Montanus*, *Brunsvicensis*, Musicus & poëta eruditus, quondam scholæ Conrector, ibidem ministerium administravit, & illi aliò vocato, succedit *Paderbornensis* quidam, nomine *Rodolphus Bredebeckius*, & *Alberto* seni & emerito atque post mortuo, successit *Wilhelmus*, filius diligenter patris vestigia ingrediens, qui etiam aliquando subivit vices patris & ipsum sublevavit, veluti *Naxianzenus* patrem, & anno 1567 peste moritur. Dixi, *Henricum Duthingium*, præpositum templo Simeonis, unde postea translatus est ad Marianam Parochiam ut minister, ubi is, veluti *Wilhelmus* in Majo, ita hic Augusto moritur anno 1567. Dimissus inde erat Luderus propter suspicionem adulterii, quam tamen à se diligenter amovit. Luderus aliquando apoplexia corripiebatur, sed mirabiliter eum restituit Deus valetudini mediocri, ut non solum postea *Mindensi* Ecclesiæ, sed etiam deinde *Huxariensi* Ecclesiæ concionibus præfuerit, & in ea mortuus sit. In templo Simeonis successit *Duthingio Henricus Ruscampius Mindensis*, docens in patria. *Ludolphus* autem *Hugo*, postquam per decennium gratus esset, cœpit postea contemni vulgo juxta illud, qua mensura mensi fueritis &c. quoniam suis concionibus & privatis colloquiis interdum horrida, inepta, frigida, & etiam ridicula immiscuerat, ut audio, interim ferebatur à multis & defendebatur à piis, ut retinerent in ministerio propter fidam operam, tempore Interim præstitam isti Ecclesiæ, de qua postea dicam. Sed anno 1563 à quadam venefica in convivio veneno intoxicatus esse dicitur: Ita-



que in magno dolore & cruciatu diu vagatus est, & præ angore nefciens, quò se verteret, tanquam inquietus hinc inde oberravit, donec tandem vis veneni omnem vim membrorum & vitæ enervaret, ita moritur anno 1665. & ei succedit in conditione & Pastoratu *M. Hermannus Huddam*, Rector scholæ, vir doctrina, eloquio & usu rerum præstans, qui, dum scholæ præesset, quia interdum causis politicis, ut vir sagax & prudens, à multis adhibebatur, liberioris erat vitæ. Verum jam factus præco verbi Dei, dicebatur plane mutatus esse, sed consuetudine hominum retrahitur ad convivia: Interim pergit nunc magna cum laude docere. Is instructissimam habet Bibliothecam, omnibus omnium penè autorum editorum libris refertam domi, ut dum in scholis prælegit, magna dexteritate & judicio multos doctos fecit discipulos. Sed hodie non minori gloria laude & judicio in Ecclesia docet. Dicitur clam favere rei Sacramentaria, & in omnibus sequi sententiam sui præceptoris, *Philippi Melancthonis*: Quanquam receptam formam & doctrinam Lutheri, traditam ibidem, non mutaverit, vel in reliquis partibus, vel doctrina Sacramentorum.

## DE SCHOLIS.

**D**e schola Pontificiorum, quæ ibi fuit sub *Bartholomæo Colonicæ* & aliis celebribus *Minda*, nihil dicam.

Anno 30. vocatur *Hervordia Mindam*. *M. Rodolphus Mellerus*, homo doctus & probus, ad novam scholam aperiendam in conobio Dominicano, quod etiam optimo viro probe successit, quia ibi magna cum laude ludum literarium aperuit & vexit, multaque *Nicolao Cragio*, ex mandato Senatus, si obtemperasset is, sapienter & gnaviter suasit in munitione religionis. De hoc *Rodolpho* plura dixi in *Historia Hervordiensis Ecclesia Osnaburgensisque*: Item in *Historia Ecclesiarum Brunsvicensis Ducatus inferioris, ut Hannoverensis & Hamelensis*. Cum autem videret, *Cragium* tumultuari, nec sibi obtemperare, regreditur *M. Rodolphus Hervordiam*, & ei successit ipse Conrector, *M. Henricus Primaus*, qui vir tam doctus cum non satis esset ad eam functionem, ex schola Pontificia transfertur ad scholam Evangelicam *Pistorius Mindensis*, qui industrie & graviter quibusdam scholis antea præfuerat. Is, cum sese scholastica functione abdicaret, factus civis & medicus, credo, hunc esse *Rodolphum Hostenium*, virum modestum & sedatum, *Osnaburgæ* honesto genere natum.



natum, cui successit *M. Hermannus Huddaus, Mindensis*, vir ingenio, moribus & lectione præstans, & ad gubernandam juventutem natus, qui per multos annos scholæ præfuit magna cum laude, &c. Cui tunc successit *Rotgerus Copius, Bernhardi* frater, vir doctus, sed quoque ejusdem cum fratre religionis, hoc est, Calvinista. Quo dimisso, assumitur *Johannes Bodenius*.

## RELATIO BREVIS ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ

in Urbe *Paderbornensi*, de renato Evangelio,  
Ubi & de *Coloniensi* Ecclesia & pio Episcopo, *Hermanno de Weida*, agitur:

*Autore*

**HERMANNO HAMELMANNO, SS. Th. Lic.**

Circa annum 1527. cœperant *Paderborna* pii aliquot cives Evangelium amare, Psalmodiarum Germanicarum libellos emere, & inde aliquot Psalmos modulando canere. Hinc etiam factum est, ut deinceps legerent *Lutheri, Philippi* & aliorum doctorum libros, qui erant contra Pontificiam doctrinam scripti. Conceperunt igitur simultatem & contemptum Cleri & sacrorum Pontificiorum animo, eamque clam foverunt, donec tandem anno sequenti illam proderent, quod sic accidit. Postquam pro more annuo frondem vel vernale convivium instituerent ministri Dumherorum in loco *Kolgrove*, qui est Ecclesiæ Cathedrali vicinus, cœperunt jam inebriati indecentius cum uxoribus & filiabus civium saltare, & choreas ducere, [quoniam ad hujusmodi convivium & cives & illorum uxores cum filiis & filiabus vocari ex veteri consuetudine solebant.] Hoc agre ferentes juvenes civium, filii excitato tumultu per campanæ pulsus in summam deduxerunt anxietatem & Canonicos & Canonicorum famulos. Deinde ingressi templum Cathedralis sedes chori occupant, & deridendo ceremonias Papisticas ad ignominiam Dumherorum cœperunt hos rithmos Germanicos canere alternis vicibus: *Hast du ein Brodt / ich habe zwey Brodt*. Cum jam partim Consul, urbis & Senatorum interventu, partim aliorum cordatorum monitu esset sedatus tumultus, statim gravissime apud suum Episcopum, *Ericum de Grubenbagen*, Ducem *Brunsvicensis*, urbem & omnes cives urbis deferunt, & tunc urbs tota periclitabatur, & venerunt in discrimen summum cives. Is enim de-

crevit,



crevit, ut Princeps Imperii & duarum amplissimarum ditionum, [erat enim Episcopus *Osnaburgensis* & Administrator Ecclesie *Paderbornensis*] urbem, etsi spaciosam, non tamen satis munitam, exercitu cingere, sed tandem interventu fratris, Episcopi *Philippi*, Ducis *Brunsvicensis* & *Grubenhagen*, & *Johannis*, Baronis de *Buren*, aliorumque Nobilium, res ita est composita & transacta, ut certam pecunie summam, videlicet duo aureorum millia, numerarent, deinde ut se literis & obligationibus hinc obstringant Episcopo & ipsius successoribus in posterum. Primo, ut ultro promittant cives, se discessuros à quibusdam immunitatibus & libertatibus, quibus hactenus usi erant [eæ cum sint politicæ, huc referri non est necesse.] Secundo, ut polliceantur obedientiam Episcopo atque Canonicorum jam olim receptæ jurisdictioni per omnia. Tertio leguntur in isto Reecessu hæc verba: *Der Lutherischen Handlung soll man Aufsehen haben / damit die gestrafft und abgestalt werden möge / Päpstlicher Heiligkeit und Kaiserlicher Majestät Mandat / &c.* In secundo etiam Articulo Reecessus sibi adhuc servat potestatem animadvertendi in autores dissidii, etiam quando velit, capitaliter. Hæc obligatio civium literis comprehensa est & sigillo civitatis majori, atque deinde *Philippi*, Ducis *Brunsvicensis* sigillo & *Johannis*, Baronis de *Buren*, obsignatur & ratificatur. Sed vide mi lector, quam sit mirabilis Deus in omnibus operibus suis. *Philippus*, Dux *Brunsvicensis*, qui per id tempus acque iniquus videbatur esse causæ Lutheranae, tamen non multo post ipse suscipit eandem doctrinam, quæ jam antea diu propagata erat in sua urbe *Eimbeca*. Ita quieverunt in ista servitute cives usque ad annum trigessimum, postquam tunc increbesceret & rumor spargeretur, quam constanter suæ doctrinæ summam obtulissent *Augustus* Protestantibus Principes Cæsari, & animadverterent cives gravibus negotiis suum Principem in ditione *Osnaburgensi* [quia tunc etiam inhababat, ut prædæ, *Monasteriensi* Episcopatu amplissimo.] Multi cives qui semper Evangelium amabant & fideliter audiebant *Johannem Molnerum de Buren*, qui antea recte, sed jam paulo liberius Evangelium docebat, & propterea à Cathedrali Pastore reprehenderetur in concione. Cum autem sperarent, se retenturos *Johannem Molnerum Burensem*, eripitur iste piis præter spem, quia is vitæ mutationem talem commode *Paderborna* fieri non posse, atque cives aliter Papistis obstrictos esse: en, hic à Papistis dimissus juxta obli-



gationem urbis factam, libenter anno 1531. discedit & *Susati* consequitur conditionem. Interim cives, cum alios quosdam consequerentur viros bonos, eosque ad manum haberent, cogitant, si forte eò negotium perducere possent, ut publica ministeria doctrinæ Evangelicæ concederentur in quibusdam templis, aut saltem alibi aliquis locus esset prædicationi Evangelii in ea urbe: Hinc iterum vehementer cantiones pias non solum domi & in plateis canere cœperunt, sed etiam sæpius conscriptis supplicationibus, eisque ad Senatum datis, submisisse petebant, sibi concedi aliquam Parochiam vel aliquem locum, in quo ipsis liceret, verum Sacramentorum usum, sinceræ doctrinæ prædicationem, & psalmodiarum cantum, in materna lingua, juxta doctrinam Pauli & veteris Ecclesiæ morem, instituere per viros quosdam idoneos. Verum cum nihil proficerent apud Senatum suis supplicationibus satis demissis atque devotis, nec quoque quicquam spei à Senatu sibi promitterent, & interea mortuus esset Episcopus, jam facti liberiores, cœperunt duobus templis Evangelicos concionatores præficere, qui cum civibus psalmodias Germanicas & pios canebant, pure docebant & Sacramenta administrabant. Sic Parochiæ, dictæ *die Gœpfirche*, *Johannes* quidam, altero pede claudus; [*der hincfende Herr Johann* dicebatur. Putant, illum hunc fuisse, qui postea *Susati* docuit, & dictus est *Johannes Stunsselfuß*, natus ex oppido *Iserlo*] Parochiæ autem, dictæ *Marckkercke*, præficitur *Jacobus Musingius*, filius Pastoris in *Lichtenovv*, qui etiamnum dicitur hodie vivere in oppido *Driburgo*, ante quem ibi docuerat pure Evangelium *Johannes Molnerus*, *Burensis*, licet nondum Sacramenta sincere administraret, qui, videns potentiam Pontificiorum, discessit, postquam ei officium docendi & jus Parochiæ ademerant, nec quicquam amplius tentare voluit contra Dumheros. Istis vero duobus tertius accessit *Christophorus Danus*, puerorum Germanicorum fidelis instructor & mirus elegantioris picturæ artifex, qui in scholis & præcinendo in Ecclesiis prælegendoque utrobique multum utilitatis Evangelico progressui contulit. Advenerunt etiam quidam alii viri pii & Doctores Evangelii, sed cum illi audirent, rem omnem esse periculi plenam, deseruerunt locum, antequam quicquam susciperent publicæ functionis, ante quos fuit *Molnerus*, ut etiam ex impuro illo scripto *Danielis de Susato*, apparet, ubi legitur, quod *Johannes Molnerus Paderborna* publice Evangelium docuerit, antequam *Su-*



*sati* vocationem docendi susciperet. Istud institutum civium impedire omnibus modis rogabant Dumheri, & isti hæresi, ut dixeret, occurrere statuerunt. Itaque illi, apud quos solet esse summum jus eligendi præfulem, eligunt in Ecclesiæ *Paderbornensi* Administratorem *Coloniensem* Electorem & Archiepiscopum *Hermannum*, Comitem de *Weida*, vere pium Principem, qui tunc adhuc Saulus erat, ea conditione, ut is plane extirparet illam hæresin, quoniam apud ipsum falsissimis & gravissimis accusationibus instituerunt, & demum eò rem deduxerunt apud eundem, donec tandem solenniter urbem ingrederetur & juramentum à civibus pro veteri more exigeret, & postea à Lutheranis & hæreticis sumeret pœnam & supplicium. Quod autem falsis plerisque dicimus accusationibus delatos quosdam cives, sic se habet. Jam electo in Administratorem Electore *Coloniensi*, accidit, ut hostem quendam urbis suæ armatum & sociis munitum [qui aliquoties urbi damnum intulerat, equos & alia abduxerat, nomine Quæstoris in *Nienhus*, cum quo negotium eis erat] erecto suo signo prosequerentur cives. Cum autem abesset Princeps, & ipsi omnes scirent, se parum gratiæ habere propter accusationem Dumherorum apud novum Episcopum, statuerunt, prius consulere Præfectum vel Quæstorem arcis *Nienhus*, antequam pergerent sequi hostem, ne majorem sibi indignationem, fugando hostem extra consensum novi Domini vel suorum, conciliarent, deinde cum illo, qui erat ipsis concivis, expoſtularent, velletne damnum istud refarcire istis, quibus hostes ipsius hoc intulerant. Accidit itaque, ut turmatim omnes currebant ad arcem *Nienhusen*, & forsitan abferrent inconsideranter secum trophæum, ut ita omnes audirent sententiam Præfecti. Hinc de novo alias occasiones accusandi capiunt apud Principem, quasi cives tentassent aperto Marte & expanso urbis signo veloque invadere suæ Celsitudinis arcem. Lacessitus itaque innumerabilibus delationibus Pontificiorum *Dumherorum*, optimus Princeps venire tandem cogitur *Paderbornam*. Cum sibi obstringit Senatum & cives juramento in die Galli Anno 1537. Hic iterum apud Principem novæ accusationes fiunt: Inventam ajunt, copiam literarum, in quibus nonnulli cives [quorum nomina subscripta exstabant in eadem copia] promitterent & fidem dare legerentur *Landgravo Hassia*, se certo tempore ipsius Celsitudinis



dini urbem prodituros & aperturos, cum tamen copiis, nisi sint auscultatæ, nomina, præsertim plurimorum hominum, non subscribi soleant, ut peritiores & cordatiores noverunt &c. Hæ accusationes moverunt Principem. Hujus autem rei autores, ut dixi, erant Dumeri, quorum capita tunc fuerunt *Philippus Speigel*, Præpositus, & duo fratres ex nobili *Westfalorum* familia, quorum alter Decanus tunc erat, alter Canonicus, qui postea Præpositus factus est *Johannes de Horde*, *Wolffius de Haxhusen*, *Theodorus de Nisen*, Scholasticus, *Arnoldus de Castro*, *Philippus de Twiste*, *Franciscus Crevet*, &c. Erant quoque in Senatu Pontificiæ religioni dediti & sine dubio omnium istarum accusationum conscii, *Hermannus Drolshagen*, *Godefridus Bockenrove*, *Menckius Cap*, Consules: Senatores aut Quæstores urbis, *Lubertus Stalmeister*, *Requinus Brinckmannus*, *Johannes Pengius*, *Conradus Coquns*, *Paulus Watermannus*, quorum plerique postea Consules facti sunt.

Facto à civibus jam juramento, capiuntur omnes concionatores. *Jacobus Musingius* in ministerio Ecclesiastico, dum infanti baptismum confert, apprehenditur. *Johannes* vero ille claudus vel contractus domo sua extrahitur. Tertius, *Christopherus Danus*, Ludimagister, per aliquot dies quæritur, quoniam hunc abdiderat & paverat per puerum pia quædam fœmina, quæ, propter vicinitatem parvus, in tabulata domus suæ ascendere nequivit. Istius fœminæ ædes erant in vicinia cœnobii Minoritarum. Tandem per indicium accipiunt, in istius matronæ ædibus latitare *Christopherum*; Ingressi igitur ædes, maritum istius fœminæ graviter minis terrent, ut indicaret hæreticum. Is cum esset Epicureus, gratificaturus tamen uxori dixit palam, sibi nihil de illo constare; interim, erecto ad tabulata digito, monstravit ipsius locum. Ascensis igitur trabibus, quærunt ubique bonum *Christopherum*, & inter inquisitores istos hæreticæ pravitatis, ut dicebant, erat quoque *Requinus Brinckmannus*. Cum vero in tabulatis non reperiretur, descendentes matrem familias strictis gladiis & verbis asperioribus adorti sunt, non habentes rationem sexus & infirmioris vasculi, imo ne parturientis & uterum ferentis fœminæ quidem, cui non pepercerunt contra naturam. Illa, etsi perterrita & consternata ad terram usque caderet, tamen nihil confessa est, quanquam ex isto tremore & tyrannide hoc subsequeretur, ut ipsa infantem mortuum postea ederet. Hic deserta uxore,



iterum virum invadunt, & his verbis ad confessionem adigunt: Aut fatere, ubi ille hæreticus sit, aut corpus tuum nobis confodiendum trade. Is rursus respondit: Quod si in tabulis non fuerit, profecto me latet, sitne ille *Christophorus* domi meæ vel non; tantum ex puero [demonstrans illum] potestis discere, quia is attulit obsonium isti abdito. Apprehensum puerum verberibus & virgis tyrannice exceperunt, & quanquam diu constans esset, nec quicquam fateretur, tamen superatus doloribus verberum & dolorum magnitudine, confessus prodit *Christophorum*. Hos tres Doctores Evangelii catenatos & vinctos curru iubet imponi, & stipatus militibus aliquot ablegavit in arcem *Arnsbergensem*, primarium castrum Comitatus *Westfaliae*, die *Arnsberg*; Ibi enim debebant munitissime custodiæ, dictæ die *sette Kammere* / tradi & servari usque in reditum Electoris. Interea accidit divinitus, dum ita vincti vehuntur, & per multam pluviam & per densam nebulam ductor equorum aberraret ab itinere & via regia, interea dum milites [quibus custodiendi in curru traditi erant vincti] compendiosum & pedestre quarerent & festarentur iter, atque ita currus aliò veheretur & dilaberetur præter omnium expectationem in locum, dictum die *olde Wette* / vicinum & contiguum urbi *Susatensi*. Ut conspicui erant quidam cives *Susatensis* urbis, rogant ergo eos vincti, ut propter filium Dei & communem religionem ipsos, quos viderent vinctos propter causam Evangelii, liberarent. Ita illi adegerunt aurigam eò, ut dirigeret equos & currum recta ad urbem *Susatensem*. In quam cum recepti essent, liberantur laqueis, quibus vincti erant, & simul expediuntur catenis & hospitibus certis traduntur; interim dimittitur auriga cum curru. Hic statim istis cognicis, instigatus à *Dumheris Paderbornicis* aliquoties scripsit ad *Susatenses* Elector *Coloniensis*, & serio mandavit, suos sibi vinctos restitui, sed responderunt Senatui cives per supplicationem: Nullam esse vim Episcopo factam, sed innocentes tantum viros, qui fuerant vincti, liberatos à se ex fraternâ charitate, ea solum de causa, quod nullius criminis rei essent, nisi quod Evangelii doctrinam *Paderborna*, rogati à civibus, propagassent; Et se potius malle cum istis mori, quam eos iterum delerent & Episcopo vinctos tradere. Petebant etiam à Senatu, ut scriberet Episcopo *Coloniensi*: Quod si illos vellet alicujus criminis reos accusare, esse adhuc in urbe viros & appellare ad Senatam, esseque pu-



ratos, ut se sistant Episcopo coram iudicio urbis *Susatensis*, & non solum paratos esse ad respondendum Episcopo, sed etiam cuilibet, de omnibus rebus, coram Magistratu *Susatensi*. In fine supplicationis adjecerunt cives: Se, cum ista oblata conditio æqua sit, non posse aliud facere, nec velle deserere istos pios viros in tam pia sanctaque causa. Postea cœpit movere litem contra eos, sed institutam controversiam & accusationem non continuavit vel in effectum produxit. Sic cum per statutum tempus, quod vinculis & iudiciis talibus deputari solet, hæssissent *Susati*, expectantes causæ executionem, tandem, postquam nemo contra illos comparuisset ex accusatoribus, absolverunt eos & liberos pronunciarunt Magistratus & cives *Susatenses*, &c.

Hic, quæso, videant pii & omnes Christiani, quanto in periculo fuerint isti pii viri, quanta rabie sint apprehensi, & quomodo stipati deducebantur ad matationem, tanquam oves; Deinde, quomodo mirabiliter ipsos citra omnem expectationem eripuerit Dominus ex omnibus malis. Is Deus, qui custodit nos, ut pupillam oculi, & custodit omnia ossa nostra, ne unum ex his frangatur, sit per filium suum, Dominum nostrum, Jesum Christum, benedictus in seculum.

Quid vero deinde acciderit in urbe *Paderbornensi*, breviter explicandum erit. Interea, dum isti concionatores abducerentur, triduo post introductionem Episcopi omnes cives jubentur convenire ad hortum Monachorum Benedictinorum in *Abdinckhave*, ubi tunc Episcopus hærebat, qui mane omnibus suis jusserat, ut in armis essent, & se ad iter præpararent, quod fiebat eo prætextu, ut ista præparatione spem faceret civibus de suo abitu & egressu ex urbe. Cives tamen, timore & metu percussi, nescientes, quid hoc rei esset, quod ita in remotum locum convocarentur, eò venire recusant, verum persuasi verbis Consulium, imprimis *Hermanni Droshagii* & *Merokii Cappii*, qui fidem dederant civibus, nihil periculi subesse, tantum novum Præsulem meditari clementem discessum, & prius benevolentiam aliquam exhibiturum in abitu civibus sibi juratis: *Er will einen gnädigen Abschied nehmen*; his verbis persuasi & allecti cives ingrediuntur cœnobii campum vel hortum, & ita comparuerunt coram Principe. Interea, dum illi ingrediuntur hortum, equites armati occupant plateas, portas & forum, ut



vix ædibus egredi liceat cuiquam. Cives vero collecti obferatis januis, quod antea metuebant, nunc sibi imminere vident, quoniam mox iussus est urbis minister, *Godefridus Scellikenus* [qui hodie Praefulus hujus, *Remberti à Kersbrock*, *Gogrevius* est] ex charta, sibi tradita, legere quosdam annotatos cives, qui erant præcipui fautores Evangelii. Hi lecti separati & advocati sunt à reliquis civibus, præter fidem datam à Consulibus. Erant autem isti sequentes hi: *Johannes Prolekingius*, *Petrus Steinhovius*, Signifer bombardatorum, *Johannes Vassellavius*, *Georgius Pamperlampus*, *Jodocus Grudus*, *Johannes Hurlbutus*, *Franciscus Triphaigius*, *Cyriacus Heydenicus*, *Johannes Neseus*, *Gerhardus Bodekerus*, *Henricus Stukeus*, *Johannes Haselius*, *Johannes Delbrug*, *Gerhardus Timannus*, *Arnoldus Glasemayer*, *Hermannus Koningius*, *Johannes Stivelmackerus*, &c. Hi juncti à reliquis civibus sunt, & cum exirent alii ex orto cœnobii, omnes illi custodiæ duplici tradebantur, occupantibus interim plateas equitibus Principis. Illi incarcerati tandem tormentis subjecti sunt misere, atque per tormenta de istis literis, quorum mentio facta est, vehementer interrogati aliisque de rebus misere & tyrannice examinati, tandem post octiduum introductus est in alteram custodiam Monachus Minorita, clam is in custodiæ locum superiorem ascendit & illi adducitur *Petrus Steinhovius*, gladius, ut confiteretur. Igitur se præparavit ad mortem, & putavit, sibi soli moriendum esse. Itaque fratribus & collegis suis valedixit, his verbis: Ich will euch / lieben Brüder! eine gute Nacht sagen; Ich muß auf die lange Fahrt ihr müget folgen / oder es gehe euch / wie es dem lieben Gott gefällt. Mox respondit hic unus ex reliquis, nomine *Franciscus Triphaigius*: Charissime frater! nihil te terreat, sive ignem sive aquam oculis tuis objectam habeas videasve; novisti, Christum vicisse mundum. Sei dich nicht schrecken / bleib ja bey Christo / unserm einigen Heylande / um seinem Worte beständig / Amen! Sic tandem ille productus est solus primo ex carcere, mox tamen & reliqui omnes ex utraque custodia conjunguntur catenati [veluti solent à *Turcis* Christiani abduci] & ad forum pertrahuntur, ubi omnia ad supplicium erant parata. Nam quo omnia essent paratiora, *Canonici Cathedralis*, & præsertim *Decanus*, curaverunt deportari in forum dolia, & per ea deposita erant tabulata, ut locus, ubi decollari debebant, esset altior & omnium conspectui subjectus. Loculi vel feretra, in quibus decoll-



torum corpora deponi debebant, ibidem conspicua erant. Forum erat armatis equitibus repletum, & plateæ cinctæ militia undique, ut vix cuiquam egredi domo sua tutum esset, quoniam ex vicinis ditionis *Coloniensis* præfecturis & oppidis, *Gesecke* & *Erwinite*, atque aliquot pagis, evocati erant homines armati, qui simul urbem replebant & omnibus terrori erant. In forum producti inter armatos stabant. Adornatur iudicium capitale. Hic aguntur rei seditionis & proditionis patriæ, imo ut hæretici, qui contra Cæsaris & Papæ edictum, doctrinam novam, à summo Magistratu condemnatam, introducere in urbem *Paderbornensem* conati essent. Illi miseri, cincti armatorum copia, & turma strepituque equitum territi, cum etiam nullum fidelem haberent causidicum & Advocatum, facile vincebantur, quanquam de istis literis constanter, ut simul antea in torturis, confitebantur, sibi nihil constare, nec unquam hujusmodi scripta ab ipsis vel profecta vel edita, si morti adjudicantur. Verum non aliter Apostoli sunt accusati & damnati. Ita mox vocatur carnifex, *Veltius*, ut pronuntiaret extremam sententiam pro more istius & vicinorum locorum. Hic carnifex [similis isti ductori, qui *Jacobum*, Apostolum, duxerat ad tribunal, & confessus erat se cum illo Christianum, & sic martyrium cum illo subivit, teste *Eusebio*, Lib. 2. Cap. 9. suæ Historiæ] veniens in iudicium deposuit gladium, sibi à Magistratu traditum, dicens: Nec de istis piis ac innocentibus viris pronuntiare possum, nec gladio eos ferire volo. Malo enim officio & urbis beneficio carere, imo potius mori cum his, quam quicquam istorum facere. Verum statim alter adest, *Stadius*, carnifex, qui id libenter facit [sed ejus finis & mors habuit cruentum exitum; Is, cum hic bonorum virorum mortem sitiret, tandem ille post aliquot annos publico supplicio afficitur *Werla*.] Interea profiliit in curiam, ubi Elector erat, magna virginum, puellarum & matronarum copia, quæ nudo collo & uberibus, & virgines, simul dispersis capillis, fiebant Principi pro captivis, jam morti adjudicatis, supplices, atque inter has erant gravida. Harum, inquam, precibus & ploratu plurimum commovebantur Comites, Domini & Nobiles, qui in equitatu & comitatu Electoris erant, atque suas quoque preces adjungebant vel conjunctim cum mulieribus coram Principe edebant & ad supplicandum verbis asperioribus se natum adegerunt. Supplicantium ergo multitudo & scæmi-  
nei



nei sexus ploratus ita Principem commovit, ut ipse prorumperet in lacrymas cum præcipuis Consiliariis. Jussit ergo illos reduci ad custodias, ex quibus iterum eos præcepit educi potius, ut gratiam captivis præstaret. Productis iterum in forum coram civium multitudine istis ignovit delictum & pronunciavit clementer liberos istos viros. Et si vero libertate donati essent à Principe, & domi suæ restituti, tamen post abitum Principis jubetur singulis à Senatu, instinctu, ut putabatur, Pontificiorum, ut domi suæ se semper sillerent per annum, ubi ita delitescere rogabantur, tandem jubebantur etiam Senatui luere pœnam pecuniariam. Dixerat sæpe postea *Berobardus ab Hagen*, S. Cancellarius Electoris istius, multis bonis viris: Suum Principem nunquam fuisse ejus animi, ut quenquam ex illis vinculis decollari juberet, sed coactum infinitis Pontificiorum accusationibus & delationibus istum serium progressum in eo negotio fecisse. Dixerat aliquoties *Scholerus*, Evangelicus concionator ejusdem Principis, *Hermann*, qui coram eodem, postquam factus esset Evangelii patronus, ille Præsul, sæpe *Werle*, in oppido *Westfaliae* & simul arce *Nienhuse*, conciones habuit, quod hujus Historia sæpe pius postea Princeps meminisset non sine suspiriis & lacrymis, & dixeret: Ach! auf das hohe vielfältige Anbringen des Dom-Capitels wollen wir ungern / ja darzu gedrungen / doch in Unverstande und Unwissenheit solchen Ernst gegen die armen frommen Leute erzeigen und fürnehmen. Sed ut redeam ad propositum. Mox novi sunt Recessus, & leges obligatoriae *Paderborne*, instinctu Dumherorum, conscribuntur. In illis gravissimis admodum promissionibus obligant & obstringunt se Dominatus & cives Principi & successoribus perpetuo: Senon mutaturus religionem Pontificiam, nec vocaturos esse alios concionatores, sed fore se semper contentos istis, qui ab ordinariis præficiantur. Et hic in hoc Recessu amplissime repetitur, quomodo præter fidem, datam priori Recessu, sub *Erico*, Præsule, novam doctrinam, Germanicas cantiones, & impios Doctores in suas Ecclesias & Parochias seditiose introduxissent, quæ violatio admodum exaggeratur. Inter multa alia & hæc ibidem exstant: So gebieten wir hiermit gleichfalls ernstlich / und wollen / daß nun hinfürder kein fremder Mann / Frau Knecht oder Magd / so aus den Städten und Flecken / die der neuen christlichen Lehre anhängig oder damit berühriget / sie wären wer sie wollten / zu keinem Diensthöten in unserer Stadt *Paderborn* angenommen oder zu



dienen zugelassen werden sollen. Et iterum: Zum siebenden ordnen und sehen wir / daß hinfürder kein Bürger in unserer Stadt Paderborn soll angenommen werden / er lobe dann und schwere zu GOTT und den Heiligen / diesen unsern Vertrag zu halten / &c. Ideo etiam ne haecenus quidem aliquem receperunt in numerum civium, nisi qui prius ita in verba utriusque Recessus juraverat: cujus impiæ obligationis primus autor fuerat *Antonius Afflenius*, cum se is ingessisset in Magistratum, quo tanto gravior posset esse Pontificiis, quia is primus omnium hoc onus novis civibus imposuit. Sed homo malam poenæ non evasit. In octavo autem Articulo mandatur quoque, si qui essent rebelles, & istis Recessibus deinceps unquam opponerent se, illos, cum jam antea de talibus judicialiter pronunciatum esset, sine mora apprehendendos & morti adjudicandos.

Sed antequam progrediar, oportet me hic inserere historiam piam, quæ accidit, dum rei agerentur reliqui vincti in foro. Fuit ejusdem cum ipsis doctrinæ homo, senex & ex Paralyfi claudus, nomine *Hermannus Trippemakerus*, hic, cum intellexisset, capite plectendos suos in Christo fratres, apprehenso baculo suo, quo se sublevabat, coepit repere ad forum, cupiens cum illis quoque pro Christo mori, cum quibus unum Christum confessus erat. Hic, inquam, ad forum veniens, & vix se per armatorum hominum & equitum copiam expediens, alta voce clamavit in medio fori: Et ego sum æque reus istius doctrinæ & totius actionis, atque illi, apprehendite ergo me & simul cum ipsis morti tradite. Cum vero plerique ei os obturare non possent, & is instantius clamaret, tandem apprehensum in macellum adferri curant per ministros Senatus; cui etiam poena pecuniaria satis gravis à Senatu imponebatur persolvenda. Idem egit hic Senex, quod illa mulier, cum nomine Imperii & *Arriani*, Imperatoris, *Valentis*, modestus Præfectus in urbe *Edeffena* vellet occidere omnes orthodoxos, qui in horto urbano convenerant, cujus meminerunt Historici Ecclesiastici, *Ruffinus*, Lib. 2. Cap. 5. *Socrates*, Lib. 4. Cap. 18. *Theodoretus*, Lib. 4. Cap. 16. & 17. *Sozomenus*, Lib. 6. Cap. 18. *Nicephorus*, Lib. II. Cap. 22. Illa, inquam, currit cum suo infante ad istum hortum, ut simul cum confratribus & sororibus, concordibus secum in fide, posset etiam eandem simul & cum suo filiolo cædem & mortem subire, atque corona martyrii ornari. Hæc sunt merito huc repetenda ex antiqua Historia. Nunc redeo

Ffff ffff

ad



ad Principem. Ipse *Hermannus*, Elector *Coloniensis* & Administrator *Paderbornensis*, natus Comes de *Weida*, hujusmodi Reccessus & constitutiones suas fecit, tamen suo exemplo, irritas, dum eam doctrinam, quam isto tunc Reccessu stabilitam & roboratam noluit *Paderborna*, ad extremum damnaret. Quomodo id factum sit, patet ex libro Commentariorum *Johannis Sleidani* 14. ubi refertur, qua occasione cœperit cogitare Elector ille de mutatione religionis facienda anno deinde, quomodo evocaverit *Bucerum*, & quid in religione mutaverit, Lib. 15. legitur, & quid contra Archiepiscopum tentaverit Clerus, septem illi presbyteri Canonici, [inter quos erant *Holtfilterus*, *Roma* agens & *Johannes Gropperus*, & *Hieronymus*, Decanus ad *S. Andream*, & Cancellarius, *Bernhardus ab Hagen*, & deinde ex Capitularibus generosis *Georgius à Sein*, Comes à *Witzenstein*, & Dominus in *Hemberg*, &c. *Keppelarius*, qui postea Decanus fiebat, & *Gerlacus*, Comes *Isenbergicus*, Scholasticus, &c.] diversis duobus locis legitur in Lib. 16. ubi inter alia legitur, quomodo ipsi primi Synodo, quam eorum Præpositus, *Georgius*, Dux *Brunvicensis*, gubernabat, damnaverint & deinde *Romam* provocaverint, & simul illum apud Cæsarem accusaverint, atque quomodo illum deinceps Pontifex *Romam* citaverit cum illis, qui cum eo faciebant.

Lib. 17. dicitur, quomodo Pontifex contra illum sententiam tulit & damnaverit. Quomodo is criminationi ac damnationi Pontificis responderit, legitur 18. Lib. & quomodo anno 1547. deponitur scribente Pontifice ad ordines, mittenteque diploma, in quo constituitur Præsul *Coloniensis*, *Adolphus Schorvenburgicus*, Comes, & quomodo ille bonus Senex cesserit, & quid actum sit; Tota actio & quomodo vitam finierit sanctus Præsul, in sua patria, *Hermannus de Weida*, legitur in octavo Tomo germanico martyrum, autore *D. Ludovico Rabo*, *Ulmensis* Ecclesiæ Antistite, ubi etiam adjecta est oratio de ipsius morte concionatoris in arce *Weida*, *Johannis Aldorffensis*. Ex his Canonicis generosis, qui adhærebant Principi, postea defecit & cecidit *Palinodiam Jacobus Wilt Reingravius*. Reliqui manebant constantes. Tunc temporis in promotione Evangelii juvabant Episcopum *Wilhelmus*, Comes à *Neuvener*, *Merse* & Dominus in *Beber*; *Johannes*, Comes in *Solms*, Dominus in *Risferscheidt*; Item, *Humbertus*, Comes de *Neuvener*, & *Theodorus*, Comes de *Manderfeldt*. Sed duo posteriores nutante fortuna facti sunt neutrales. Ex doctis



adhærebant pio Principi, *Hermanno, D. Theodoricus Lainius, Lenepensis, D. Sibertus Leuvenburgicus, D. Jacobus Homphalius, D. Johannes Casarius, D. Johannes Echtius, Fridericus Westius, L. L. Lic. Sigillifer Coloniensis, & M. Petrus Medmannus*, pædagogus nepotum Episcopi *Hermanni* ex fratre nempe *Johannis & Friderici. Medmannus* primum *Hagenoa* adduxit *Bucerum* ad *Gropperum* in Comitibus, ut ipse *Bucerus* aliquoties scribit faciens honorificam *Medmanni* mentionem. Cum *Hagenoa* per doctissimum virum, *Petrum Medmannum*, adduceretur ad *Gropperum* *Bucerus*, vidit bonum in *Groppero* zelum & affectum, & in signum amicitia dedit *Groppero* suum Commentarium in Epistolam ad Romanos *Bucerus*; *Gropperus* vero Reformationem, jam sub nomine Archiepiscopi anno 1536, editam & conscriptam à se, & postea privatim convenerunt in præsentia Cæsarei Secretarii, *Gerhardi à Veltwick, D. Capito & Bucerus* in Colloquio *Wormatinensi* Anno 1541. *Gropperum*, ab ipso *Groppero* amanter invitati, ibi de multis cum ipsis collocutus est, & quoque ab utroque graviter sui officii admonitus. Ibi coram ipsis fatebatur, justificationem nostri & salutem nullo nostro, sed merito unius Christi eam à nobis recipi, deque eo solo videbatur tunc sollicitari, ne nostris loquendi modis homines occasionem acciperent alicujus securitatis, & mortua fide confisi, se justificatos coram Deo putarent, etiamsi nullo incensi essent studio bonorum operum. Ibi *D. Capito & Bucerus* responderunt: Nostros non loqui de mortua fide, sed de ea, quæ sit opus Spiritus Sancti efficax ad regenerationem & novam vitam. Is vero præ se tulit magnum studium veterum observationum & disciplina Ecclesiasticæ & doctum & bene in veteribus Ecclesiæ Doctoribus versatum, imò ipse dicebat: Modo alii ita essent affecti, ut ille, Ecclesias *Germania* posse conciliari. Consenserat, idoneos præficiendos Pastores Parochiis. Agnoscebat, quæ oportere legi in templis aut doceri aut decantari, illa desumenda esse ex sacris literis, & ita omnia moderanda, ut populus verum inde fructum intelligat percipiatque atque ad veræ pietatis officia excitetur; eaque omnia esse amovenda, quæ cum divinis literis non consentiant, & fidem non promoveant. *Ratisbona* quoque tres articulos conciliatos volebat admittendos per *Germaniam*, ut justificationis usum, integri Sacramenti & conjugium sacerdotum. *Bucerus* autem commendatus *Coloniensi* Archiepiscopo, *Hermanno*, per *Gropperum*, evocat eum Archiepiscopus & *Bu-*



*schonii*, in praesentia *Johannis Noppii*, Suffraganei & *Gropperi*, loquitur cum *Bucero* amice, sed antequam veniret *Gropperus*, scripsit Praesuli, se laeto animo audivisse *Buceri* adventum, & imprimis cupere, ut dignetur ad se in urbem *Coloniensem* ablegare *Bucerus*, ut, adjuncto Suffraganeo, posset familiariter de Reformatione pia loqui cum *Bucero*, id autem negavit Princeps *Groppero* & suam praesentiam petiit. Veniens autem *Buschonium Gropperus* contulit cum *Bucero*, praesente Suffraganeo, coram Archiepiscopo, de magnis rebus & controversiis religionis, & postea cum invitabat in suum palatium *Coloniensem*. Cum autem venisset *Bonnam Bucerus* & ibi docuisset anno 1542, quia videbat *Gropperus*, *Dumheros*, Clerum & Theologos omnes à *Buceri* ministerio alienos, fit quoque is ab illo alienior: interim convocavit Archiepiscopos, praecipuos suos Consiliarios ad arcem *Poppelsdorfam*, videlicet suum Coadjutorem, *Adolphum*, Comitem *Scheerbergicum*, *Deitherum* [vel ut alii, *Theodoricum*] Comitem in *Mandscheid*, *Wilhelmum*, Comitem de *Rennenberg*, & *Gumbertum*, Comitem à *Nevvener*, & simul *Gropperum* ac Cancellarium, *Bernhardum ab Hagen*, *Gesekensem*, & multos Nobiles ac eximios viros, coram quibus exposuit rationem suae fidei, suae quoque vocationis ad *Bonnensem* Ecclesiam *Bucerus*, addit quoque, se audivisse, suam illam vocationem & functionem à magnis quibusdam viris Capituli & Cleri *Coloniensis* reprehendi, & quidem ab iis, quos sibi familiares putaverat [sic notavit *Gropperum*] se vero jam coram Archiepiscopo Electore, D. Coadjutore & toto conventu generosorum Comitum Nobilium & praecipuorum Consiliariorum stare & paratum esse, ut satisfacere & demonstrare velle ex sanctorum patrum auctoritatibus & canonibus, ea, quae profiteretur, esse praecipua Dei, & semper observata esse à veris Christi Ecclesiis. Quibus verbis finitis, discelsit *Bucerus* ex Concilio, & statim dixerat *Gropperus*, se notatum esse. Postea etiam in conventu *Bonnensi* anno 1542, habito proposuit Archiepiscopus & Comitibus & Nobilibus equestribus & civitatum Rectoribus, *Bucerus* flagitare hoc vehementer, ut reddat coram eis rationem instituti ac sui ministerii coram ipsis provinciae *Coloniensis* ordinibus. Sed ibi in eo conventu nulla habita propositione & resolutione Archiepiscopi hoc unum agit *Gropperus*, nomine Cathedralis Capituli, tanquam membrum & simul, secundarii Cleri, ut



dimitteret Archiepiscopus & *Bucerum* & alios Lutheranos: respondit aliquoties Princeps Elector, se exhibiturum *Bucerum*, post denique concionatores reliquos coram Cathedrali Capitulo & omnibus ordinibus ad legitimam controversiæ dijudicationem cognitionemque. Sed istis præteritis, dixit: sibi nihil aliud mandatum esse. Quid vero deinceps *Bonna* actum sit, *Sleidanus* annotavit. Quomodo vero *Cæsariani Hispani* & Dux *Brunsvicensis, Henricus*, tumultuati sint *Bonna*, præsentem *Bucero* & *Hedione*, & quid præterea acciderit, assignavit octavo Tomo martyrum ex proprio quodam germanico scripto, *Bucerus, Ludovicus Rabus, D. Th.* Nunc tantum subjiciemus Epistolas *Gropperi*, scriptas ad *Bucerum*, & alia, quæ alibi non exstant; Sed nos properamus ad reliqua historica enarranda. Interim ad amicam collationem vel disputationem se obtulit *Bucerus*, ut diximus, sed illi responderunt in scripto, ejus titulus est: Judicium Cleri & Universitatis *Coloniensis*, de doctrina & vocatione *Martini Buceri Bonnum*, ita: Etiam si vetent canones disputare cum hæreticis, tamen nolumus cum eo disputare, modo detur nobis idoneus judex, cui permittant canones dijudicare, definire, &c. Quibus verbis denotant Papam *Romanum*, & ita adhuc indicant, se fugere lucem.

Ordinationem & Reformationem Episcopi conscribebant *Bucerus, Melancton, Caspar Hedio, Johannes Pistorius, Pastor Niddanus in Hassia* & *Erasmus Sarcerius*: Aulici erant concionatores Evangelici *N. Scholerus* & *Henricus Cellius*, admodum pii & docti. *Bonna* docuit *Bucerus* & *Hedio*: *Johannes Meinershagius*, Licentiatu Theologiæ, docuit Evangelium *Lincia*. *Albertus Hardenbergius, Campis*, *Johannes Pratorius Adernaci* & alibi quoque docuit *Gerhardus Westerburgius, Coloniensis*, qui pleraque scripsit contra *Colonienses* per id tempus: Sed postea ejectus promovetur opera *Christophori Oldenburgici, Comitis*, ad conditionem in *Orientali Phrisia*. Is ibi aliquoties, ut antea, mirum in modum agitavit scriptis publicis *Colonienses* Theologos & Dumheros, Canonicos presbyteros. Deposito Episcopo, venit opera *Christophori Oldenburgici, Comitis, Bremam Doct. Albertus Hardenbergius*, & factus est ibi ordinarius concinator & Professor Theologiæ in Cathedrali templo, ubi postea Sacramentarius est declaratus & dedit turbas, ut ex *Bremensi Historia* patet. Ejusdem Comitis opera venerunt in *Phrisiam Orientalem* *Fridericus Westius*, factus ibi Comitum Cancell.



cellarius, & *Petrus Medmannus*, Consiliarius, qui hodie est Consul *Embda*: Et fateor, quod & Comes *Christophorus* & simul isti duo viri *Westius* & *Medmannus*, mihi in meis studiis & exiliis multum benevolentiae praestiterint. *Johannes Pratorius*, qui *Adernace* docebat, factus est postea Inspector Comitis in *Rönigstein*, ubi ad nostra usque tempora vixit & fuit. Quod reliqui abierint, & quid ipsis acciderit, ignoro.

Successor pii Episcopi *Adolphus Schovvenburgicus*, Comes, antea Coadjutor, qui primò probaverat Reformationem, & actionibus interfuert, ut jam antea probatum est, & multis constat, non diu superfuit in Archiepiscopatu: Nam, etsi pompose in Concilio *Tridentino* ageret cum *Groppero*, staretque pro pontificia religione vehementer, & mutaret in sua ditione religionem, [quanquam neminem propter religionem occideret] tamen subito perit, eique succedit frater, *Antonius*, heros bonus, qui quidem de aliqua Reformatione cogitavit, sed mox è medio quoque sublatus est, & venit in locum ejus *Mansfeldicus* Comes, *Johannes Gebhardus*, publicè alens concubinam. Sed & ille cogitavit de instituenda Reformatione [quam suus antecessor, *Antonius Schovvenburgicus*, cum Duce *Juliano* suscipere & propagare decreverat] interim mox moritur is quoque, cui succedit *Hermani*, Archiepiscopi, nepos ex fratre, *Fridericus*.

Nunc autem dicendum erit de tribus praecipuis *Hermani* Praesertibus, qui antea amici erant. *Gropperus* & se, suos fratres, nepotesque ex fratre *Godofrido Groppero* ad dignitates & opimas produxit, praebendas & tandem *Galerum* meruit à Paulo 4. sed postquam conaretur *Mansfeldici* electionem impedire, & ei non succederet institutum, sed videret, illum aspirare ad Episcopatum & Electoratum, abiit *Romam*, cum paulo ante edidisset germanicum volumen de omnibus iis, quae ad Sacramentum Eucharistiae pertinent, ubi acriter perstringit *Sleidanum*, & mendacii arguit, provocatque ad vivum *Medmannum*. Sed *Petrus Medmannus*, Consul *Embdenis*, mihi, hoc ab illo interroganti anno 1558. 28 Aprilis *Embda* dixit, nihil esse scriptum à *Sleidano* de *Groppero*, quod ullam speciem falsitatis habere posset. Omnia enim esse vera, quae ille scripsit. Postquam autem *Romam* veniret, accusatur Lutheranismi, & propter alias etiam causas delatus est apud Pontificem *Gropperus*. Hic cum in gravem suspicionem venisset, & quasi in custodia haberetur, animi mœrore consternatus, cum vix se purgasset & Pontifici reconciliatus esset, moritur, sed moriturus orat pro



fratre, *Casparo*, Doctore J. U. ut sibi succedat in Præpositura *Bonnenfi*, qui, abiens *Romam*, illam Præposituram impetrat & fit auditor *Romæ*. Sed quæ *Sleidannus* habet de *Groppero*, non refero. Ea tamen referre huc utile erit, quæ nullibi de eo scripta existant, quæ sane cogitatione digna sunt, atque à me ipso sunt observata, aut ex *Petro Medmanno* & *Fridérico Westio* percepta, ut ita plane intelligant pii, quales sint Pontificii. *Gropperus* habuit duas Prælaturas in sua patria, urbe *Susato*, unde potuisset splendide vivere, imo non parum etiam ex patrimonio habuit, & quod magis est, ex Praxi Juris, quia erat J. U. Doctor, habuisset magnas divitias: Verum quoque Canonicatum obtinuit presbyteri in summo templo *Coloniensi*, qui profecto solus Doctori alicui posset splendidos sumptus, ad vitam sumptuose degendam, suppeditare. Hunc ille, *Arnoldo Tüngerio*, regenti *Bursam Laurentianam*, ea conditione resignavit, ut ille lesquimille thaleros apud cœnobium quoddam deponeret, unde posset habere *Gropperus* ad vitam pro annua reservatione octoginta thaleros: Ad istum modum multas præbendas resignavit, videlicet Decanatum in *Xanten*, amplissimam prælaturam resignavit juniore fratri, *Casparo*, & eum postea *Colonia* Officialem fecit & Decanum ad gradus, qui etiam eidem hodie succedit in Præpositura *Bonnenfi*. Cum nomine omnium Collegiorum vel Cleri secundarii respondisset *Bucero*, atque inde Apologiam generalem opposuit Reformationi, ab Episcopo propositæ, idque nomine Cathedralis & reliquorum Collegiorum ac scholæ & Theologorum nomine simul, petiit etiam à singulis mercedem Collegiis, quod suam operam navasset in pio Episcopo suo promotore amovendo, à singulis impetravit Collegiis præbendam, quam eo, ut dixi, modo & Praxi resignavit aliis, tantum in Collegio ad *S. Severinum* ipsi vacaturam præbendæ denegaverunt Canonici Capitulares, sed tamen pro mercede trecentos aureos miserunt per *M. Andream Bardervvick*, quos subiratus *Gropperus* Canonicis remisit. Ditissimis quibusque per urbem civium filiis resignavit plurimas præbendas, quæ certam pecuniæ summam non apud cives, vel Dominos deponere cogebantur, sed apud Monasteria certa, ut annuatim ad vitam posset inde *Gropperus* certos percipere redditus. Hic mihi vide dolium: Noluit *Gropperus* is & talis haberi ac esse, qualis fuit *Fodocus Holifilterus*, *Osna-burgensis*, ducentarum Prælaturarum, præbendarum & beneficiorum ferme possessor, ideo resignavit pleraque; ne multarum Prælatura-

rum



rum ac beneficiorum possessor esset, & ne dolus ejus innotesceret. Laicis, noluit omnem summam apud cœnobita deponi. Interim at-  
 huc retinuit *Gropperus* Canonicatum & Scholarchæ Præfecturam in  
 Gereonis collegio & in patria Decanatum, & deinde consequitur Præ-  
 posituram *Bonnensem*, ex qua singulis annis sesquimille aureorum ha-  
 buit. Habuit tria pene millia aureorum ex beneficiis annuos reditus  
 homo iracundus, sed vere tamen cælebs, qui noluit anno 1557. inter-  
 esse colloquio *Wormatiniensi*, ad hoc simul deputatus cum illud non  
 consensisset Papa, &c. Jam videmus, quo fine manserit Papista vel  
 potius à *Bucero* & suo Episcopo defecerit. Interim *Gropperus* in illa  
 Reformatione, quam anno 1536. sub nomine sui Archiepiscopi scriptis,  
 non esse nisi unam Præbendam vel Canonicatum unicuique relin-  
 quendam, assignavit, imò sacrilegium esse, unum aliquem habere plu-  
 res Canonicatus & Præbendas, quam unam. Interim hanc appendi-  
 cem addit: Sacrilegium hoc eis condonatum est, qui sunt in Epi-  
 scoporum negotiis occupati, &c. Hæc ille: Sic vult se excipere,  
 & alios, qui apud Papas & Episcopos rerum potiuntur,  
 ut illi habeant opulentas Præfecturas, opimos Canonicatus, hono-  
 ratas & divites dignitates, insignes & amplas Parochias. Tales  
 multas ille, & *Bernhardus ab Hagen*, & *Noppius*, Suffraganeus, & Co-  
 mes à *Witgenstein* habuere. Sed pergemus dicere de aliis, imprimis  
 de *Bernhardo ab Hagen*, Cancellario, Doctore Juris & Canonico Ca-  
 thedrali. Hic tandem senex quodam mane, inopinato modo reperi-  
 ritur apud lectum suum prostratus & mortuus esse in cubili. Ter-  
 tius erat quoque Cathedralis, factus demum Canonicus, *Johannes*  
*Noppius*, Suffraganeus, qui aliquoties præfente *Groppero* amice locu-  
 tus erat cum *Bucero* coram Archiepiscopo, hic tandem pro sua de-  
 fectione ab Episcopo, primus ante reliquos consequitur præmium:  
 Ignito quodam morbo in minimo pedis alterius digito accensus, ita  
 paulatim inflammatur totum corpus ejus, ut misere interiret, quod  
 fiebat anno 1556. quo anno & *Adolphus*, Episcopus & postea designa-  
 tus Suffraganeus, *Eberhardus Billicbius*, interiit, atque *Bernhardus ab*  
*Hagen*. Ita tres illi opimi sacerdotiis & dignitatibus misere perie-  
 runt. Suffraganeus solebat antea purè docere, sed postea acriter  
 debacchatur in Lutheranos pro concione & præcipuè *Antonii Corvini*  
 Postillam solebat notare, ut civibus ita eriperet ex manibus, atque ex-  
 cuteret illius Postillam. Dicebat enim: *Aber dagegen lehret dein Biber*



ner [vocavit *Corvinum Xäbeney*] anders / doch / wilt du ein Catholicus seyn! so glaube ihm nicht. *Georgius à Sein*, Comes de *Witgenstein*, & Dominus in *Homburg*, antea Capellarius, & post depositum Episcopum *Hermannum* [cui ille præcipuus & potens erat hostis, tribus adhuc amplissimis Præposituris opimus, & ingeniosus ac callidus, cujus hodie nepotes ex fratre heroës docti & Evangelio addictissimi sunt *D. Ludovicus* & *D. Georgius*] expulso *Henrico Stolbergico*, factus Decanus, is delapsus est tandem senex in secundam pueritiam planè, & simul cæcus fiebat. Successit Suffraganeo *D. Eberhardus Billichius*, Carmelita, sed quia is quoque erat ex præcipuis hostibus Episcopii, cum vix semel ordinasset aliquot sacrificulos, moritur etiam subito: deinde huic substituitur Minorita. Sed illo mortuo, Suffraganeus *Monasteriensis* excurrit & ibi pontificalia exercet. Fuit eo tempore *Colonia*, cum *Bucerus* ageret *Bonna*, *Gerdas Aquensis*, Theologiæ Licentiatus, & regens in *Bursa Montis*, qui scripsit contra *Bucerum*, & censuit, melius esse, si aliquis presbyter haberet ordine centum concubinas, quam unam legitimam uxorem. Nunc *D. Theologus* & gnato *Gropperi* regit *Bursam Montis Gerhardus Matthesius*, *Geldriensis*, Presbyter Canonicus in Cathedrali, Canonicus ad Apostolos & aliorum beneficiorum possessor, qui etiam publicis scriptis, præsertim impuro Commentario, scripto in Epistolam ad Romanos, tuetur fortiter Papismum. Scripserunt etiam anno 1560. contra Catechismum *Monhemii* quidam ex Facultate Theologica deputati, quibus responderunt *Henricus Artopæus*, qui docet Evangelium in Comitatu *Meurse* & videtur esse Sacramentarius: *M. Martinus Chemnitius*, Coadjutor Doctoris *Jochimi Morlini* in Ecclesia *Brunsvicensi*, atque ego *Hamelmannus*.

Anno Domini 1554. edidit *Colonia*, ubi erat Professor Philosophiæ, scriptum de ratione seu via humanæ vitæ, hoc est, de hominis beatitudinibus ad Senatum *Coloniensem*, *Justus Velfsius Haganus*, *D. J. U.* propter quod scriptum, & deinde, quod liberius de vera religione in scholis disputaret, est, urgente hoc *Johanne Groppero*, *Eberhardo Billichio*, *Alexandro*, candido & aliis, comprehensus *Colonia* anno 1555. & carceribus aliquot diris inclusus, & simul ei proposita sunt interrogatoria de fide Catholica, autore *Groppero*: Tandem, cum appellasset ad doctrinam *Augustana* Confessionis, & diceret, se ei adherere, est post aliquot menses anno 1556. eductus & ejectus ex ur-



be sub noctem dimidiam vicesimo septimo Martii Mensis, isitum jubet, ut civitatem *Coloniensem* & dicecesin & omnium Catholicorum, videlicet Papistarum, fines abjuraret. Is cum nollet, & ea de re protestaretur, jussus est tandem exire fines *Colonienfis* Præfultis & reliquorum Catholicorum, &c. Mox in paratam navim per *Rhenum* deducitur, & Præfectus Episcopi in *Bruel* ibi expectans, idem proponit, sed nihil amplius quam alii ab illo impetrat. Sic ille in municipium *Mulhem* illustrissimo Principi *Juliacensi* & *Monten* subditum se recepit. Sed illa de re ipse Apologias *Francofurti ad Manum* edidit, in quibus prolixè conqueritur de tyrannica violentia *Johannis Gropperi*, [cujus interrogatore & suam ad ea responsonem quoque Apologiae inseruit] & Consulum *Arnoldi à Siegen* & *Conradi à Laiskirchen* pium contra se studium refert ac misere lamentatur, præcipue de violentia duorum Magistrorum violentorum, *Johanne Breckelfelde* & *Johanne Bruelmar*, &c. Quanquam ille *Velfus* ad Apostasiam postea dilaberetur. Quid cum *Adolpho Clarenbachio* & aliis egerint anno 1529, patet ex Libro 7. *Johannis Sleidani* circa finem. Sed copiosius adscribit hanc Historiam D. *Ludovicus Rabus* in *Historiis germanicis martyrum*.

Anno Domini 1554. voluit *Adolphus*, Episcopus, quandam ex urbe amotum concionatorem, qui in æde *Laurentiana* purius ceteris docebat, itaque ingressus urbem jussit suum substitui Sacellanicum qui, cum procederet in publicum, est turbatus ex suggestu & templo, & ipse Episcopus metuebat sibi, ideo urbem egreditur quam citissime.

Anno 1564. valde grassabatur pestis *Colonia*, & adeo erant ferrosi proceres & Theologi, ut illis, qui nolent sumere unam speciem in Eucharistia, papistico more, jam mortuis denegaretur sepultura in cœmeteriis, quod etiam antea anno 1544. D. *Gilbertus Longolio* acciderit morienti, de qua re sic scribit in Epigrammatis *Philippus Melancthon*:

Hoc legitur Saxo *Gisberti* corpus inane,  
*Longolia* gentis, qui fuit alter honos.  
 Dicentem *Ausonii* vivo *Cicerone* probassent,  
 Tantus in eloquii flumine splendor erat.  
 Et quæ doctrinæ fontes tenet *Attica* lingua,  
 Sic ipsi tanquam patria nota fuit.



Naturæ varios didicit motusque viresque,  
 Et quæ foeta hominum munera terra parit.  
 Calluit & medicam, dextreque exercuit artem,  
 Ægrotis solitos ferre frequenter opem.  
 Pests *Agrippina* cum grassaretur in urbe,  
 Eripuit sene corpora multa nece.  
 Id meritum grati cives meminere, feruntque.  
 Ac artem laudant officiumque viri.  
 Dotibus his tantis custos adjungere mores  
 Et studuit vera mente timere Deum.  
 Huic tamen extincto quidam, qui templa gubernant,  
 Jura sepulturæ sancta, locumque negant.  
 Non alio talem meruit pro crimine pœnam,  
 Sed quod vera Dei jussa professus erat.  
 Sola novi fuit irratis hæc causa furoris,  
 Non Evangelii lumina ferre queunt.  
 Nunc igitur *Bonnam* corpus venerabile *Rhenus*  
 Detulit adversis officiosus aquis.  
 Et funus magno gemitum cum duceret istinc,  
 Dicitur à lacrymis intumuisse suis.  
 Sed mens chara Deo, quod spe votisque petivit,  
 Nunc fruitur vultu maxime *Christe* tuo.

Anno 1565. habuerunt negotium cum Anabaptistis, quorum  
 aliqui erant captivi, quidam etiam necati sunt: atque istius Sectæ  
 hominum audio prope sex millia latere *Colonia*. Sunt etiam multi ibi  
 Nicodemi, qui se colligunt & propriis suis sumptibus alunt duos E-  
 vangelicos ministros, qui pure docent & Sacramenta administrant  
 privatim in ædibus. Alter vocatur *Wilhelmus Juliacensis*, alter *Jo-*  
*hannes Tuvvicensis*, sed credunt quidam, eos esse Sacramentarios,  
 an verum sit, ignoro.

*Georgius Cassander, Flandrus*, cum diu fuisset Evangelicus, &  
 cum Sacramentariis summam aluisset familiaritatem, quod ego cer-  
 tis possum indicis & literis testari, relapsus tandem ad Papismum  
 & scripsit pro successione in *Romana* Ecclesia & pro traditionibus con-  
 tra *Johannem Calvinum* sub modesti *Pacemontani* nomine, & ipsius  
 cygnea cantio fuit libellus quidam, de Pædobaptismo editus, ubi  
 quidem interdum utiliter contra Anabaptistas disputavit, sed inte-



rim omnes papisticas ceremonias, ut benedictionem & consecrationem Baptismi, salis, luminis, chrismatis, eorumque usum tueri conatur: Moritur Colonia Anno 1566. postquam esset unctus extrema unctione.

Fuit quidam Studiosus & eruditus *M. Petrus N.* in *Bursa* Laurentii lector Baccalaureus Theologiae, mihi de facie notus, hic incipiebat paulatim docere in aede summa, ut ita ad altiora aspiraret. Is, inquam, cum aliquando docuisset in summo templo Anno 1553, venit finita concione, ad ipsum quidam, *Frisius*, homo doctus, qui demonstravit ex scripturis & testimoniis *Augustini* & *Epiphani*, cum impia quaedam de invocatione sanctorum & aliis docuisset. Is cum non haberet statim, quod responderet, incidit in mœrorem nimium & mor interuisse dicitur. Ipsi erat collega quidam, homo doctus & Philosophus in eadem *Bursa*, *M. Bernhardus N.* Licentiatus Theologiae, qui mortuo *Theodorico Habuerio*, Doct. Th. [qui quoque se pio Episcopo opposuerat] successit & factus est Pastor Petri ac Apostolici Collegii Canonicus, & propter nimiam continentiam, quae ei non erat à Deo data, in profluvium quendam sanguinis incidit, quo etiam mortuus est. Tertius in eadem *Bursa* collega, *Johannes Delphius*, primo defendit Lutheri causam, sed postmodum promotus Licentiatus Theologiae factus est *Trevirensis*, deinde *Argentoratis* Episcopi Suffraganeus, qui in Concilio *Tridentino*, & in Colloquio *Wormatensi* anno 1557. fuit à partibus Papistarum homo valde verbosus sed Epicureus. Scripsit ibi *Carmelita D. Alexander* candidus contra doctrinam Evangelii & *D. Johannes Slodanus*, Primus Dominicanorum. Quaedam illorum excudit *Caspar Geseanus*, qui potissimum cum *Materno Cholino* pro Papismo defendendo multa scripta evulgavit: Hæredes *Brinckmanni* hactenus excudere solebant scripta *Cassandri* scripta: & in officina *Quenteliana* sunt plerumque *Georgii Wizelii* opera impressa. Scripsit *Jacobus Horstius*, Canonicus Gereonis ex instinctu nepotis *Gropperi*, videlicet *Godofridi Gropperi*, tunc Theologiae Licentiatus, nunc Doctor, pro una specie Eucharistiae Laicis dandæ contra me, cui ego respondi. Magni sunt hodie ibi Papistæ & Papistarum Patroni, *D. Rethius* & *D. Franciscus*, Jesuitæ, cum toto in *Bursa* coronarum nova Collegio Jesuitico [quod sibi & aedes & multa ibi emit bona] deinde *D. Rhedanus* & *Theobaldus*, Pastor primo Pauli, deinde ad *S. Columbam*, [ubi ante eum fuit homo secleratus



tus & eloquens, sed Papista, *D. Hermannus Blanckenortus*] Canonicus quoque majoris Ecclesiae aliorumque beneficiorum possessor & Doctor Theologiae. Sunt etiam ibi Doctores Theologiae Pastor Martini, Prior praedicatorum, *Gadriannus*, Minoritarum & Carmelitarum provincialis. Solus hodie Decanus, nunc Praepositus, *Georgius à Sein*, Comes in *Witgenstein*, dicitur serio veræ religioni favere. Consules & Senatores sunt ibi plerumque omnes Papisticae religioni addicti, quod probe in Dominum *Spangenbergium* & suos collegas in Februariò anno 1567. declararunt, cum contra decretum Imperii cum istis, qui nihil aliud *Colonia*, quam jus hospitii, quaesiverunt, egerunt.

Hæc de urbe *Coloniensi*: mox de oppido *Gescke*, ditionis *Coloniensis*, in *Westfalia*, dicam. Redeo ergo ad *Paderbornensem* historiam.

Cum *Colonia* deponeretur & amoveretur piissimus Princeps, Elector, *Hermannus de Weida*, Comes, ab Archiepiscopatu est quoque idem rejectus *Paderborna* & *Remberius à Kerssenbrock*, unus ex Canonicis Cathedralibus Nobilis & senex, *Romana* & *Carthusiana* Praxi insignis, est in ejus locum electus, qui usque hodie ad hæc tempora anni 1568. in decrepita senectâ vivit. Ut autem hoc obiter referam: fatale quid contigit forsan [ut sic profano more loquar] Comitibus de *Weida*, quando eliguntur Archiepiscopi *Colonienses*. Nam *Arnoldus de Weida*, Comes antea praepositus ad *S. Andream* post *Hugonem*, ibidem Archiepiscopus ab *Eugenio* tandem tertio, Papa, in Concilio *Remensi* ab officio pontificali suspensus fuit, propterea quod ad Synodum illam non venisset. Hæc scribit *Tritheimius*; quid *Hermannus de Weida* acciderit, dictum est. Si quid etiam posset Papa contra hunc modernum *Fridericum de Weida*, qui non vult alere Suffraganeum, nec vult petere nec redimere pallium à Papa, paupertatem causatus, profecto nihil intentatum relinqueret, quanquam iste *Fridericus* nihil in religione mutaverit, & dicatur Pontificiae religionis esse, imo jam dicatur resignasse Episcopatum & Electoratum.

*Paderborna* sub hoc *Remberio* viget & vigit semper Papatus. Interim in quorundam Papistarum & Pontificiorum corde sordet Papatus. Unus est ex reliquis superstes Monachus in Franciscano Collegio, qui ibi publicè concubinam alit, ut ipsius etiam *Remberii*, Episcopi, Cancellarius, *Henricus Coloniacus*, Magister, beneficiis di-



ves, facit. *Conradus Mollerus* L. L. Licentiatus & Officialis, in tanta mutatione sub initio regiminis Archiepiscopi, *Hermani*, terribiles cives regebat, ut testamenta Germanica ex versione Lutheri ejusque Catechismus, & psalmodia libros cum aliis Postillis & opusculis Lutheranis, coemptis, jussu, ut dicebat, Principis, ad se deferrent. Sed is hodie mitior est factus, & cupivit hoc tempore omnium maximè in Clero & per omnes Ecclesias Reformationem.

Semper ab eo tempore habuerunt *Paderborna* indoctos Concionatores, inter quos reperitur hodie *Gerhardus Rodikenius, Wertensis*, qui, etsi interdum Evangelii doctrinam amasset, & se patronum veræ doctrinæ aliquoties declarasset, tamen beneficii auctus optimis coepit stomachari in concionibus insolentibus contra veram doctrinam, atque in Synodis ditionalibus orationes *Latinas habere* & gloriose recitare, ubi quoque sæpe Lutheranos taxavit. Ut vero suum nomen gloriosius redderet, & se Pontificis charum & addictum exhiberet, coepit verbum & fucatum Commentarium de Ceremoniis conscribere, & in publicum dare anno 1561. in eo, [quem Episcopo & Prælati, ut Capitulo Cathedrali, & reliquis optimis Magnatibus Ecclesiasticis dedicavit] conatus est plerasque Pontificias ceremonias & doctrinas tueri; Inprimis conatus est asserere: Quadragesimale jejunium esse traditionem Apostolicam & ideo inviolabiliter observandam, dixitque: Scripturam ex patrum interpretatione explicandam, &c. Huic verboso & prolixo scripto, ego *Hamelmannus*, qui in vicinia eram, opposui contrarium, idque breve scriptum & typis evulgatum, in quo ostendo libertatem ceremoniarum, atque demonstro, vanas esse traditiones tacitas, postea quoque expono ex testimoniis Ecclesiasticorum scriptorum, *Enochii, Sozomeni, Nicephori & Chrysostomi*, jejunium quadragesimale non esse traditionem Apostolicam, & refuto illa breviter, quæ pro sua assertione ex *Hieronymo & Ignatio* attulerat. Postremo doceo quoque ex præcipuis patrum dictis: Scripturam scriptura explicandam esse, fraterne deinceps admoneo autorem, ut tandem, deposito mendacio, velit redire ad se, & cogitare de sua æterna salute in tempore, & considerare diligentius dona Dei, tam temporalia quam æterna, & suam concubinam potius ducere in uxorem, commendando negotium Domino, quam in fornicatione, mala conscientia mundi divitias obtinere, propter quod scriptum sunt & fuerunt



mihi infestissimi Dumheri, & imprimis Cancellarius, *Henricus Coloniacus*, Patronus *Rodikenii*. Hac pia admonitione sperabam ipsum reduci posse ad meliora, verum ab eo tempore in pejorem evasit. Nam, lecto meo libro, mox in die Palmarum in pomeridiana concione conatus est prolixè probare, unius speciei in anno 1562. Eucharistia usum pro Laicis rectè institutum *Rodikenius*, & postea digressus est in truculentam orationem, dicens: Cives *Paderbornenses* necessario quoque cogi ad unam speciem sumendam ratione obligationis & Recessuum [quorum antea mentio facta est] suorum aut ipsos, tanquam perfidos, à Magistratu puniendos. Dolendum certe est, ejusmodi vocem ab illo emissam, cum pluris tamen vox Christi, quam omnium Episcoporum, & Senatus Recessus & obligatio debebat esse: & profecto nunc videtur reprobus esse, cum quotidie in pios cives debacchetur nominatis etiam quibusdam; Nam mox postea est factus Præpositus monialium. Dolendum etiam est, quod ad istos hactenus Recessus paucis cognitis, coegerit Senatus suos novos cives, cum nunc sint alia tempora, & illa doctrina, quæ in istis Recessibus, quasi sub nomine Imperii & Cæsaris, demandata legitur, sit à toto hodie Imperio admissa, & protestantibus Statibus concessa: imo Senatores [qui forte sunt adulatores Dumherorum] cæcis vel excæcatis oculis videre nolunt, quod hujusmodi Recessus & effectum istius obligationis suo exemplo, *Hermannus*, Præsul, irritum fecerit.

Postquam autem quidam pii cives, qui solèbant ad vicinas urbes & pagos excurrere, ut veram Christi communionem perciperent, anxii in hac re, & turbati illa concione, me *Hamelmannum*, consulerent de hujusmodi juramento, & peterent significari sibi, quid in re tanta piè posset fieri: Respondi ego, non meis, sed Magistri Sententiarum verbis, quæ libro tertio sententiarum Distinct. 19. Quæstione, utrum omne juramentum sit implendum, habentur, & ostendi *Ambrosii*, *Augustini*, *Beda*, *Isidori*, *Bernhardi* & aliorum testimoniis, illud, quod contra fidem & charitatem juramentum præstitum est, rectè posse rescindi, & nequaquam observandum, quod ab exemplo Davidis, impediti per Abigail, ne satisfaceret juramento suo, qui etiam agnovit, se justè & rectè impediri, probatur. Adjeci etiam dictum Apostolicum: Magis Deo obediendum quam hominibus: Magistratui, licet non resistendum sit, tamen non latius,  
ni-



nisi usque ad aram, obediendum esse. Hæc mea responsio, cum pervenisset forte ad manus Dumherorum [quorum caput tunc erat *Hugo Buddius*, Decanus, qui, testibus ibidem Papistis, ut Epicureus vixit & mortuus est, cui anno 1567. successit *Volmarus Brecken*] acriter *Hamelmanno* minabantur, sed per cordatiores admoniti nihil publice ausi fuere, nisi quod interdum per suos invidiam ipsi conciliarent apud eos, qui autoritate ad deponendum *Hamelmannum* aliqua potiri aliquando possent: in qua re mirus semper fuit artifex Cancellarius, *Henricus Coloniacus* & alii, &c. Omnes plerumque Pontificii Dumheri & Canonici cum variis sunt concubinari, & Epicuream semper agunt *Paderborna* vitam. Idem fit in cenobio *Abdinckhave*, quod ante centum annos de eo etiam cenobio scribit *Crantzius* quoque.

Quid porro in rebus fidei ex causa Evangelii *Paderborna* Anno 1566. & inprimis anno 1567. acciderit, breviter referendum erit. Cum autem Anno Domini 1566. sæviret pestis *Paderborna* per astatem, ut antea tectius Evangelium docuit, ita nunc libere taxatis abutibus in templo *Bustorpiensi* prædicavit *Rodolphus Bredebeckius*, ideo idem *Bredebeckius* incepit etiam tradere Catechismum circa Festum Michaelis, mox eum collegiati Canonici ibidem [quorum Decanus erat L. L. Licentiatus *Conradus Mollerus*, de quo dicitur, quod agnosce veritatem] turbant ex ministerio & dimittunt. In exilium ejectionis consequitur vocationem *Minda* in æde Mariana. Interim *Mortuus Hodebandus*, legitimus Pastor in Ecclesia Forensi, in *der Markt* *Sinchen* / idem quoque cum *Rodolpho* fecit, & deinde is à funeribus porrum canere cœpit germanicum psalmum: *Mitten wir im Leben sind* / circa Festum Bartholomæi & in Ecclesia orationem Dominicam: *Quater unser im Himmelreich* / *Der du uns alle heisset gleich* / &c. Is quoque non terretur exilio *Rodolphi*, sed strenue pergit in pio proposito. Mox autem *Hodebandus* citatur ex jussu Episcopi, *Remberti Karssebröckii* ab officiali *Conrado Mollero*, L. L. Licentiato, & ei exhibentur licentia Episcopi ad officialem datæ, quibus ei injungitur, ut rationem sue susceptæ novitatis coram officiali reddat, & addat, cur Sacramentum altaris aliter quam ibi usitatum fuerit, porrigat, & præter veterem morem novas cantiones & Germanicas exordiat, ne in posterum populo decantet: deinde minaciter ei imponitur, ne in posterum tale quid tentet, aut id inique ulturum Episcopum: nam ipsum pot-



sessionem istius Ecclesiae propterea consecutum esse, ut in veteri religione permaneret, atque simul promississe juramento in sua ordinatione, se eam retenturum esse. Si vero non statim ab incepto desistat, Officiale nomine Episcopi *Martinum* debere privare Ecclesia illa & Pastoratu, & deinde praeter illud incommodum posse majora pericula accidere ei. Ad primum respondit: Sibi non constare, quod singulari aliqua obligatione praeter illam, quae omnibus in Papatu usitata est, se ad religionem illam, quam Catholicam vocarent, obstrinxisset, nec equidem se fuisse unquam ejus sententiae, quod voluisset, aliquos aliter, quam Papistico modo, communicare: verum ingruente peste à multis agonizantibus multoties rogatum, ut dignaretur eis communionem utriusque speciei porrigere, ipse vero, dum hoc eis negaret, hoc tulisse responsi. Ideo & hoc tuae conscientiae committimus, ut tu in die iudicii tunc pro ista gratia nobis non impertita respondeas Christo, qui iussit utramque speciem suis ex aequo Christianis, quod etiam Paulus, ipsius Apostolus, clare repetit. Ego ergo, inquit, etsi praecipuum Ecclesiae praetenderem, sum tamen ita animo percutus illorum & aliorum multorum agonizantium vocibus talibus, & expensa institutione Christi coeperim hoc facere, quod videbam veritati consonum esse. Si huic relationi non creditur, adducam & custodem & multos alios, mihi testes hujus rei.

Ad secundum sic respondeo, fateor, me cantionem germanicam, quae alias debet orari ab Ecclesia, cantasse cum plebe, ut ita ad zelum & devotionem excitarentur. Ad quam necessitatem me redegit inopia cantorum, quia non potui cum sene custode psalmodias, hymnos, introitus & alia divina exercitia celebrare jamjam concionaturus. Nam licet sint multa altaria & beneficia in hac mea Parochia, tamen nemo ex omnibus istis beneficiatis, qui redditibus gaudent, unquam comparuit in nostro choro, ut nos juvaret. Quod vero addiderim cantionem: *Mitten wir im Leben seyn / Mit dem Tod umfangen* / &c. hanc habet rationem, quod nos illam cantionem latine saepe canamus: *Media vita, &c.* Ut igitur illa pia cantio in hac calamitate & peste grassante ab omnibus perciperetur & inde omnes certam spem conciperent, ideo illam cecini germanice. Et tales cantiones in multis locis retineri & cani germanice per ditionem *Paderbornensem*, apertum est. Quia igitur hoc est scripturae sacrae &



rudita antiquitati consonum, & cedit ad ædificationem Ecclesie, ideo spero, Principem vestrum non impediturum, quæ ad salutem fuorum subditorum à me peraguntur in hac calamitate communi. Oro etiam V. R. ut dignemini indicare Principi, me has ferre molestias non auri, pecuniæ aut lucri causa, quia nullis hæc mea Parochia est dotata redditibus annuis, nisi unica mensura hordei, qua si ego privor, non tam mihi incommodatur, quam Parochianis, qui meo ministerio uti cupiunt. Hæc scripta etiam tradidit officiali. Ita ille perstitit in sua sententia usque in proximum annum 1567. Tunc vero ad initium Quadragesimæ Dominica Invocavit, qui erat 16. Februarii, incepit loco impii cantus, Salve regina, tradere & explicare Catechismum à prandio hora 3. ideo mox ultimo Februarii, qui erat dies Veneris ante Dominicam Oculi, his literis ad arcem Episcopi citatur.

Kembert / von Gottes Gnaden Bischoff zu  
Paderborn.

Lieber andächtiger!

**M**ir haben etliche Sachen / daran uns gelegen / mit dir zu reden nötig. Ist deswegen Unser gnädiges Gesin / daß du am Nachmittag um drey Uhren allhier ankommen / und selbige Gelegenheit vernehmen und anhören wollest. Dieses thun wir uns ganzlich verlassen. Geben Lienenhusen / am ersten Februarii Anno 67.

Unserm Pastor zur Marck = Kirchen und lieben andächtigen /

Martino Hoibund.

Hic iterum se per literas excusat, conquerens, ea ipsa hora sibi concionandum esse coram plebe, quam non possit ea doctrina privare. Ideo orat, ut excusatum ipsum habeat Episcopus. Petit autem supplex, sibi aut per legatos aut per literas mandata ab Episcopo intineri. Sed redeo ad Historiam de Martino.

Martinus Hoibundus 21 Martii, die Veneris ante Dominicam Palmarum indicavit finita concione Parochianis, Præsullem omnino nolle admittere, ut ipse eis porrigeret utramque speciem in Eucharistia. Ibi illi solliciti, tandem ex communi deliberatione conuertunt, ut piam ad Senatam ordinarent supplicationem, cujus materia erat summa: Postquam Dominus pium & sincere doctrinæ concionatorem ipsis largitus sit, qui & pie doceat, & Sacramenta sincere



juxta mandatum Jesu Christi administret, & diligenter ad omnes ætates sese accommodet in ceremoniis, confessione, concionibus & doctrina Catechismi, ut omnes, & senes & pueri, item rudes & simplices, viam salutis percipiant, ædificentur & recte doceantur, atque ejus vita & quotidiana admonitione nunc ad pœnitentiam & honestam perducamur vitam omnes. Ideo nec melior nec nobis magis idoneus potest exhiberi doctor, & nihil unquam magis, nihil nobis molestum & triste vel calamitosum accideret, quam vel eo privari, vel hæc ipsius pia exercitia in eo impediri debere. Cum vero intelligamus, ipsi nomine Præsulis & Cathedralis Capituli à Consiliariis esse graviter & minaciter injunctum, ne talia exercitia in Ecclesia retineret, nec amplius nos sub utraque specie communicaret, verum nos hoc petentes potius ad Præsulem remitteret, aut sibi aliud tentare pergeret, eum violentia amotum iri; profecto his auditis graviter sumus territi, & jam ad V. P. Patres conscripti, tanquam nostros tutores, nutritios & Magistratum legitimum, confugimus, & oramus, ut, quanta possitis diligentia, agere dignemini, ut hæc exercitia retineamus, & is pater nobis, in tali proposito pergens relinquatur. Quia aliam religionem conscientia causa non amplius amplecti, nec etiam nos ulli Pontificio Doctori submittere possumus. Agite Domini nostri, ne iterum ex luce ad tenebras transferamur: efficite, ne tam dulci usu Eucharistia & solida privemur consolatione, & tam utili & bono viro. Oramus igitur per misericordiam Dei & per meritum Jesu Christi, ut nobis eam gratiam ab Episcopo impetretis, ut illud nobis, vestris subditis, concedatur, quod honestum & pium est, & obtineamus thesaurum salutis: ponite vos mediatores, ne turbentur & nostra & nostrarum uxorum & liberorum conscientia, & illaqueentur hominum statutis: promittimus rursus omnem erga Præsulem & Magistratum obedientiam, reverentiam & subjectionem in rebus corporalibus. Imo iterum pathetice orant ac instant. Hæc scripta 22 Martii anno 1567. obtulerunt utrique Senatui & Tribunis. Sed mox die Jovis ante Pascha, qui erat 27. Martii, vocantur cives ad curiam, & ipsis declaratur, quid responsi Senatus ad supplicationem civium accepisset ab Episcopo per Cancellarium, [sic enim retulit Senatus] inique ferre Prælulem istam mutationem, factam à Martino citra & præter autoritatem suam, & iniquius hoc capere, quod negligat suam mandatum ipsi ut Pastori aliquoties per officialem &



Consiliarios indicatum, & ita superba inobedientia se ipsum in de-  
 crepita senecta ab illo *Martino* contristari & turbari, imo hoc nunc  
 iniquissime interpretari, quod jam à tali inobedienti Pastore exci-  
 tentur cives, ut ipsi obliti sui juramenti & promissionis Principem  
 suum fatigent, & se opponerent eidem in iis rebus, quæ ipsis conce-  
 di non possint propter Archiepiscopum *Moguntinum*, cui sit *Pader-  
 bornensis* Præsul subjectus, interim utriusque speciei ulum non im-  
 probare se, sed adhuc nisi de Metropolitanæ consensu non concede-  
 re posse illud: Scripturum tamen promittit se ad *Moguntinum*, ut  
 ejus cognoscat sententiam. Interea quosdam posse alibi communi-  
 care sub utraque specie iis in locis, ubi hæcenus consueverunt, pos-  
 se interim, concedit quoque, psalmi unius cantum admitti. Ideo  
 mandavit Senatus, ut his Episcopi mandatis parerent, & cogitent,  
 quam gravibus Recessibus sit Episcopo subjecta Respublica *Pader-  
 bornensis*, cum ibi sese obstrinxerint olim, quod eis non liceat ullos con-  
 cionatores vel doctrinam citra consensum Episcopi suscipere. Per  
 gratiarum actionem dictam consentiunt cives, ut administratio Sa-  
 cramentorum aliquantulum intermittatur, interim ut de consensu  
 jam facto Episcopi & conciones & psalmodias possint retinere oratio-  
 Id concessit Senatus. Interim nihilominus in suo proposito perge-  
 bat *Hoitbundus* & per ferias Paschales communicavit sub utraque  
 specie omnes confitentes, ad 500. uno die. Nec tamen hoc præ-  
 tereundum est, paulo ante dies festos, hoc est, die Veneris ante Pa-  
 schæ, qui erat 28 Martii, vocatus est *Martinus* à duobus pedibus  
 Capituli majoris ad porticum summi templi: ubi cum compareret  
*Martinus*, ecce præsentibus erant ibi *Gisebertus Buddani*, Præpositus  
 summus *Osnaburgensis*, *Jodocus de Castro*, Canonicus majoris Eccle-  
 siæ *Osnaburgensis*, & *Paderbornensis*, & *Rosserus Westrem*, Canonicus  
 ibidem, qui tres iterum ei proposuerunt, ne ille pergeret commu-  
 nicare populum sub utraque specie, & nova illa cantandi & con-  
 cionandi [videlicet Catechismum] exercitia instituere & retinere.  
 Deinde quærent ab illo hujus rei causam, & quo autore id faciat,  
 imo cur etiam eos damnet, qui jam sint mortui & communicantur  
 uni speciei, & dicat illos dæmonem rapere, qui unam sumant spe-  
 ciem; Se quoque mirari ajunt, cur hæc faciat, cum se adeo cum suo  
 fratre astrinxerit Catholicæ Ecclesiæ, id est Pontificiæ. Et vero  
 statim modeste *Martinus Hoitbundus* eis ad singula respondit in hæc  
 ita



sententiam, quia consideret, doctrinam esse suam approbatam, & eam sine exercitiis & ceremoniis constare non posse. Ideo se doctrinam absque ceremoniis proponere nequire. Utrum vero Eucharistiam sub utraque specie adeo in Scripturis commendari, ut bona conscientia aliter non possit nisi velit mala conscientia ruere in exitium. Nunquam certe damnavi eos [pergit scribere] qui usi fuerunt una specie, aut adhuc ignoranter utuntur, nisi & me ipsum plane damnares, qui pluribus ita porrexi Eucharistiam, sed ignoranter. Christus inquit: Si non venissem, & hæc eis locutus fuisset, non haberent peccatum. Ita ignoranter cum Paulo peccantes facile recipiuntur. Nec quoque scio, me ulla propria obligatione obstrictum fecisse Ecclesiæ veteris religionis, ut vocatur. Audeo autem provocare ad omnes hujus ditionis ordines & totum *Romanum Imperium* me referre, ut coram illis de mea doctrina rationem reddam. His adjecit propositiones à me, *Hamelmanno* conscriptas, in quibus tota de Sacramento Altaris doctrina, prout illa in nostris Ecclesiis sonat, brevissime erat comprehensa, & adjectæ causæ & rationes, cur id faciendum & non aliter esset.

Cum quoque interea nobis scriberetur & nunciaretur hoc *Lemgoviam* de *Martini Hoibundi* parentibus, quod admodum essent timidi & solliciti pro filio, & optarent, ut omnia moderatius ageret filius in gratiam Præsulis & Dumherorum [quanquam postea ita animati fuerint, ut alacriter filium confirmaverint] scripsimus nos, *Theobardus Nagelius*, Collega meus, *Henricus Bovius*, & ego *Hamelmannus*, consolatorias literas ad ipsum, ut, quomodo ille confortaretur, & simul patrem & matrem confirmaret, haberet.

Die Veneris post Pascha, qui erat 4 Aprilis, vocatur ad Officium *Martinus Hoibundus*, & is ei proponit literas Principis *Rembergi*, [quanquam earum ei copiam denegaret] quibus jubetur *Hoibundus* suam deserere functionem, egredi urbem & ditionem *Paderbornensem* sine ulla mora, &c: Respondit, ut aliquoties antea, se esse Pastorem ibi legitimum, & non aliter facere, quam quod sit pii Pastoris, ideo nec posse nec velle tam lubito deserere oves. Hoc sexto Aprilis, in Dominica Quasimodegeniti, post concionem proponit Parochianis, qui hæc per quosdam delectos indicarunt Senatui 8 Aprilis, addentes hanc querimoniam: Senatum nuper dixisse, Pastori *Martino* concedi conciones & cantiones, nunc verò ipsum violento



mandato abdicare pastorem & ejici, cum tamen hæc referat ad obedientiam & ad legitimam cognitionem coram totius ditionis procuratoribus ad jus ac iudicia quorumlibet; & ipsi etiam Senatui constare, eum purè & integrè docuisse. Quare adhuc insuper per Christum & eos supplices instare & precari humillimè, ut curare dignetur Senatus, ne talis viri ministerio priventur: sese corpora, bona & omnia, quæ habeant, libenter submittere Episcopo & Senatui, tantum ut conscientia causam liberam retineant; Hoc enim fieri, si eis usus ministerii *Haitbundi* concedatur. Cum verò ei præter ejus æquissimam appellationem & provocationem ad iudicia, & jus & æquitatem, adhuc mandata imponerentur, ut se hinc reciperet, adhuc ipsos orare Senatui, ut hoc curent, ne ei quicquam detrimenti accidat, & ut à vi violentiaque adversariorum ipsum tueri dignentur. Si minus, ipsos, etsi inviti rogantur, de qua re jam velint protestari, defensionem suscipere Pastoris, ne ei vis fiat. Hic iterum oravit Senatus, ut persuaderent *Martino*, ut dignaretur ad diem 14 quiescere & exercitia ministerii intermittere ob multas causas. Hæc cum referrent ad Pastorem *Martinum*, dixit: Se conscientia vocationis & officii causa intermittere non posse functionem suam, ideo pergebat & perstabat in suo proposito, donec 19 Aprilis vocaretur à Senatu in Curiam, ad quam eum veniret, proposuit ei Senatus has à Præsule, *Remberto*, missas literas.

**Rembert / von Gottes Gnaden Bischoff zu Paderborn.**

**Ehrsame lieber getreue!**

**W**ir zweifeln nicht / ihr habt ja gut mit wissen / was wir mit euch des Pastors halben zur *Marck*-Kirchen reden lassen / auch was für Beschluß derhalb zwischen unsern Rächten und euch genommen / und ob wir nun demselben zu folgen / und sonst zu Verhütung beschwerlicher Weitläufftigkeit und Gefahr / so hieraus entstehen möchten / dem Pastor durch unsern Official gütlich ermahnen / auch wie er von seinem Vorhaben nicht abstehen wollen / den Kirchen Dienst und unser Stadt *Paderborn* verbieten lassen / in dem Vertrauen / er würde sich in andere Wege geschickt oder unserm Befehl würcklich nachgesetzt haben / so befinden wir doch iho / daß er solchem allen / auch seinen glaublichen Aufträgen ungeachtet / unser Befehl in den Wind geschlagen / und mit seinen unwill-



lichen Fürhaben fortgefahren. Daraus wir dann anders nichts zu vernehmen / dann daß er gegen unser ernstlich Befehl in unserer Stadt Paderborn Empörung / Aufruhr und Widerwärtigkeit ferner anzurichten fürhabe. Als uns aber denselbigen zuzusehen nicht länger gebühren wolte / so ist hiemit unser ernstlicher Befehl / daß ihr obgemeldten Pastor für euch heischen / und alsbald den Kirchen-Dienst / so ihm unser auch wegen des Archidiaconats und Collatour der Marck-Kirchen voraus verboten / absagen / und von Stund sich unser Stadt Paderborn endlichen zu äussern befehlen / und im Fall er bey diesem unserm Befehl / wie bey vorigen / sich verhalten würde / so wollen wir euch uf den Reccess unsers Für-Battern Bischoff und bey Eyden und Pflichten / damit ihr uns vermüge desselbigen und sonst verwandt / ermahnt und erfordert haben / uns denselbigen ungesäumet vermüge desselbigen Reccess zuzustellen und zu liefern / dessen thun wir uns zu Abwendung anderer Weiterung gütlich verlassen. Datum Neuehauss am 18 Aprilis Anno 1567.

Den Ehrnamen unsern lieben getreuen Bürgemeister und Racht  
unser Stadt Paderborn.

Hic respondit *Martinus* ex Scripturâ, se non teneri isto mandato, & cum non velint illum dimittere sui Parochiani, se non posse etiam discedere, prætendens dictum *Esaia* Cap. 58. clama, exalta vocem tuam, &c. Ideo etiam se non posse quiescere & tacere. Verum illi petierunt, ut supplicationem ejus scriptam offerret, quod ille haud gravatim fecit. Scribit igitur inter alia & hoc: Se nunquam quicquam explicitè Consiliariis promississe, verum dixisse, se propositurum suis auditoribus, ut qui cupiant uti Sacramento, se recipiant & conferant ad Præsulem, & ab illo veniam impetrent, interim hoc ipsos nequaquam recepisse, & hoc jam dudum officiali indicatum fuisse à se; & simul omnes Parochianos eo nomine jam antea supplicasse Senatui. Ideo nullius promissionis mihi conscius sum, inquit. Si vero quicquam in ea re vel ex ignorantia, vel præcipitantia commississem, jam certe aliud dictaret conscientia mea, quæ me ea in re ita captivum tenet, ut non possim aliter: imo si ea in re & os & manus mea peccasset, & quicquam contra Deum egisset, optarem, illa membra etiam propterea puniri propter gloriam Jesu Christi, ne illa periclitaretur. Et quæ potest esse obligatio aut promissio, facta contra verbum Dei? Quod vero mandatis, mihi ab officiali propositis, non paruerim, non est ex arrogantia aut protervia

fa.



factum, sed de sententia scripturæ, & ratione officii, quia in externis omnibus ego & omnes pii debent obedientiam Magistratui, sed in causis Dei tribuendum Deo, quod Dei est. Si enim impius velit obligare subditos mandatis potentes, semper illi debet magis Deo, quam hominibus obedire. Tales, si quæ Dei sunt, petunt & plus quam eis debeatur, igitur graviter peccant, ut notum est de multis, qui propterea etiam tandem poenam gravissimam sustinuerunt. Quod ad credentes pios attinet, illi non possunt impiis mandatis parere, ut exempla novi & veteris Testamenti indicant Daniellis 2 & 6 Cap. item 2 Mach. 7 & exstant tam multa exempla Christi Apostolorum, confessorum & martyrum in novo Testamento & in historia Ecclesiastica, ut non opus sit eorum quædam referre: hi omnes sese opposuerunt impiis Magistratus mandatis, & Deo, quæ Dei erant, dedere, atque propterea persecutiones, pericula, mortem, exilia, poenas & omnia sustinere. Horum omnium exemplis & testimoniis fretus, non possum in hac re Præsuli obedire, sed commendare Domino viam, & pergere in meo proposito ratione officii & vocationis, cum me non dimittant mei, quia oportet magis me timere eum, qui animam & corpus perdere, quam eos, qui tantum corpus occidere possunt. Agerem tanquam improbus famulus erga Dominum meum Christum, agerem contra primum & secundum præceptum, quæ etiam in jure habentur in L. Servus ff. de actionibus & obligationibus, ubi inquit *Zefus* super illam legem: Si Dominus honeste jubeat, recte obedit famulus. Ego non possum aliter quam illi famuli Christiani sub *Juliano*, quorum ex sententia *Ambrosii* sic mentio in Decretis II. q. 3. Cap. *Julianus*, &c. Hæc ad illa respondeo, quæ de mea inobedientia objiciuntur. Quod vero accusetur tanquam seditiosus, falsum est. Semper enim, ut totus novus Senatus, hortor meos auditores ad concordiam & legitimam obedientiam præstandam magistratui. Ideo quoque hoc egi & agam & vita & doctrina, quæ vere ad pacem & concordiam spectant, promoveam, ideo injuriose accusetur in hac re. Privationem Pasto-  
 ratus & hujus  
 urbis, quæ proponitur, suscipere nequeo, quia cum legitimam habeam possessionem per multos annos hujus Parochiæ, mihi ab ordinario *Friderico Truvistio*, Dumhero, tunc collatam ad vitam meam, atque deinde in vita & doctrina nihil egerim, quod reprehendi possit, ideo nolo discedere nec possum, sed provoco ad æquos judices &



& fruor totius Imperii libertate omnibus concessa. Ideo per Christum, per misericordiam Dei & per omnes creaturas, imo per vos ipsos, vos oro & simul Episcopum, ne magis sint mihi molesti, ne quoque contristent miseros Parochianos sitientes meam, quæ vere & Christi est, doctrinam & usum Sacramenti sub utraque specie doctrinam & cantionem, ut novistis, jam antea probarunt, quid igitur jam amplius desiderant? Senatus quosdam 21. Aprilis in alia causa ad Episcopum miserunt, apud quem aliqui ex Capitulo Cathedrali ex Nobilibus & oppidis congregati erant cum Consiliariis. Ibi graviter reprehenduntur Legati Paderbornensium, quasi non in effectum prodixerint mandatum Principis de Pastore amovendo, & tandem monentur, nisi velint ejus & omnium Ordinum gratia excidere, ut tandem serio rem aggrediantur & perficiant, aut si id non fiat, an velint etiam tum aperire portas Præsuli, ut, quando velit captum abducere in arcem Neuenhaus, possit. Hic iterum excusarunt se & Senatam Legati, & dixerunt, propter istud negotium non se esse vocatos, quia non posse quicquam citra totius Senatus Decretum de hac re respondere; Ideo rursus 22 Aprilis hæc literæ ab Episcopo mittuntur iterum in urbem, ut sequitur:

**Kembert / von Gottes Gnaden Bischoff zu  
Paderborn.**

Ehrsame liebe getrene!

**M**ir machen uns keinen Zweifel/ ihr seyd durch eure beyden anhero ab-  
gesandten Bürgemeister berichtet/ was wir ihnen neben den verord-  
neten Ausschuss von dieses unsers Stiffts Ständen/ von wegen des  
Pastors zur Marck- Kirchen/ vermelden lassen/ und weil wir diesen Dingen/  
und dem muhtwilligen Ungehorsam des Pastors nicht zusehen können oder  
mögen/ so wollen wir hiemit nochmahls eure endliche schriftliche und unver-  
zügliche Erklärung/ ob ihr auch Siegel und Briefe zu halten/ und was dem  
Vermögen nach/ würcklich zu leisten gemeynt seyd oder nicht/ erfordert haben/  
des Versehens/ ihr werdet euch darauf ohn Verzug erklären/ und unsern  
Vorbringen/ bey Eyden und Verwandniß auferlegten Befehl/ als gehorsam  
me Unterthanen/ zu geleben wissen/ und habens euch mit Erwartung wieder  
beschriebener Antwort nicht bergen wollen. Geben Neuenhaus/ am 22  
Aprilis Anno 1567.

Den Ehrsamern unsern lieben getreuen Bürgemeister und Racht in unserer  
Stadt Paderborn.



Vigesimo tertio Aprilis colligitur Senatus uterque cum Tribunis, & ibi in curia praesto sunt Parochiani & multi alii praesentes ex civibus, & adhuc instant pro retinendo Pastore, & aequo rotunde ajunt: Se nec posse nec velle carere *Martino*. Hic quoque promittit Senatus, se eo ipso die missuros legatos ad Episcopum, ut illi intercedant pro ipsis. Illi Legati, profecti ad vicinam arcem, *Nenchen*, non reperiunt domi Consiliarios; igitur ad se vocato Secretario Episcopi, quomodo propter cives non possint exequi mandatum, & orant, ne quoque quicquam tentet violenter vel Episcopus, vel alius, propter periculum majus vitandum. Tertio, ne etiam Episcopus vel Consiliarii velint premere & gravare obligatione Receptum Senatum. Scripsisse etiam gravissimam supplicationem ad Senatum *Martinum*, Pastorem. Mox 26 Aprilis Cancellarius & alii convenientes alia de causa in Monasterio *Abdinghove*, [ibi finita transactione multa sunt tractata de *Martino Hoisbunde*] tandem suaserat Cancellarius, ut ad tempus intermitteret ministerium, donec transactio fieret in illa causa, quae inter Capitulum & *Rembertum Paderbornensem* versabatur, ad quam est, ait, certus dies deputatus, videlicet 12 Maji. Ibi enim posse compositionem inveniri tam in causa politica quam Ecclesiastica. Esse aliquod indultum praemanibus, quod brevi a Papa & Cardinalibus & Archiepiscopis concedi deberet omnibus. Ideo multi eò permoverunt *Martinum* Pastorem, ut in Dominica Cantate intermitteret concionem. Propter intermissionem concionem conveniunt hora 12. Parochiani, & omnino, concludunt urgendum & instandum apud Senatum, ne deinceps intermitteretur concio, si maxime usus & administratio Eucharistiae ad tempus intermitteretur, & multis modis obtestantur, ut hoc efficiant apud Principem, ne silentium imponatur Pastori *Martino*; Imo orant ipsum, ut dignetur eorum zelum, salutem, & tranquillitatem bonae conscientiae, imo ipsorum spiritualem sitim & esuriam expendere; & quam grave sit habere vulneratam conscientiam. Illi iterum sunt revocati ad 6 Maji in curiam, & hoc tulerunt responsi: Mississe Senatum legatos heri [5 Maji] ad Consiliarios, *Henricum Coloniacum*, Cancellarium, & *Philippum ab Horde*, Praefectum aulae, & diligenter eos executos petitionem Parochianorum, sed nihil spei consecutos, cum illi exaggerent nomine Episcopi praefractam insolentiam Pastoris, & centis, se nolle quicquam cedere in minimo, ideo Episcopum ju-



Decreti Imperialis, anno 1555. conclusi, ipsum *Martinum* velle privare Parochia & jure suæ ditionis, quia ille Articulus sic habet, ut Episcopi retineant suam Catholicam religionem in suis ditionibus. Nunc vero, ajunt Consiliiarii, decreverunt etiam mulierculæ, excitatæ ab hoc seductore, si alium ibi substituat Episcopus, eum è suggestu turbare. Concludit igitur Senatus, se nihil amplius jam posse. Cum hoc intelligerent Parochiani, redeunt septimo Maji in curiam, ubi erat Senatus uterque cum Tribunis collectus, & se & suum Pastorem excusant, diluunt calumniam, orant, ut provocantem ad jus *Martinum* defendere dignentur, & considerare, quomodo olim *Gerhardus Rodikenius* utramque speciem in Eucharistia multis petentibus clam porrexerit, & multi Pastores in diversis oppidis, municipiis & pagis per ditionem *Paderbornensem*, hoc palam hætenus fecerint & cecinerint psalmos à *Luthero* versos; et interim illos ratione Imperialis Decreti non esse ejectos; Ideo adhuc orant & instant. Senatus suadet, ut adornent supplicationem ad Consiliarios & proceres ditionis, qui essent duodecimo Maji conventuri: quod factum est, quanquam decimo Maji *Paderbornensis* Senatus jussu Domini Præsulis mandaret *Martino*, ut desereret Parochiam & functionem suam. In supplicatione ad proceres refertur, quid tempore pestis, & deinde quam fideliter egerit semper *Martinus*, conqueruntur etiam de conjugum & liberorum tristitia, turbata conscientia, & quantum sit luctum allatura discessio *Martini*. Ideo per Christum & vulnera ejus orant instantque, quò possint retinere suum Pastorem. Id enim posse illos proceres facile efficere apud Præsulem. Cogitate, inquit, quomodo non cuperemus dicere cum illis Luc. 19. Nolumus, hunc [Christum] regnare super nos, ne etiam peccaremus in Spiritum Sanctum. Obsecramus, ut dignemini pro nobis intercedere, ne ullius privemur ministerio. Cancellarius responderat, cum proceribus exhiberetur, Præsuli deinceps offerendam supplicationem esse. Senatus vero iterum inhibet functionem & pastorum *Martino Hoitbundo* per certos ministros decimo quinto Maji. Episcopus vero decimo sexto Maji sic scribit ad Senatum:

**Kembert / von Gottes Gnaden Bischoff zu  
Paderborn.**

**M**ir wolleu euch nicht verhalten / daß wir am nächst-verlauffenen  
Iiii liii 2 Mitt.



Mittwochen Abend durch unsere Räte und Verordneten von unsrer Ritterschafft und Städten nach der Länge / was unsrer Einwohner zu Paderborn / sonderlich der Pfarrer zur Marien-Kirchen / auch ihrer Bürgermeister und Räte an einen gesucht / bitten / und werben lassen neben Verlesung übergereichter Supplication / berichtet worden / und werden euch darauf in Antwort nicht verhalten / daß wir uns einer solchen Werbung und Bitte aller zugethaner Verwandtschaft nicht zu euch allen im wenigsten nicht versehen / wissen auch nicht / aus was Grunde und redlichen Verstande ein solches von euch bey uns oder den Unsern dürfte gesucht werden / das wir dahin stellen. Als wir uns aber hievor in die Ursachen endlich gegen die eure erklärt / so wissen wir von solcher Erklärung noch nicht abzustehen / wollen uns auch gänglich versehen / ihr werdet eure Verwandtschaft bedencken / und / als gehorsahme Unterthanen / uns zu keinen Verdacht Ursach geben lassen. Neben dem wisset ihr / daß das Wirtz-Brot schon vorhanden / und ein ander Pastor / so den Kirchen-Dienst zur Marien-Kirchen verwalten möchte / zu verordnen nöthig / und wir democh bisher zu unserm gesinnen / ob man auch unbefahrt eurer Bürger und männlichelichen andern zu solchen Dienst gestatten möchte / keinen endlichen Beschluß bekommen / so wollen darauf hiemit nochmalts endliche und deutliche Erklärung zum ersten gesucht und gefordert haben / uns darnach zu richten. Geben Neuenhaus am 16 May Anno 1567.

Den Ehrsamten unsern lieben getreuen Bürgermeister und Räte unserer Stadt Paderborn.

Jam cum intelligerent mutationem in inferiori Germania effectam, Pontificii & Sacrificuli, fiebant insolentiores & arrogantiores ideo Paderborna miram insolentiam exercebant, ut in multis locis videre licuit, veluti hæc Acta demonstrant. Respondet Senatus in scriptis Principi, se aliud responsum ab illo expectasse, aliudq; promississe ipsi Consiliarios [de quorum fide non dubitassent, nisi re ipsa non competissent, quam frustraneæ essent illorum promissiones] cenlet quoz ipsam merito flecti debuisset tot & tam multis intercessionibus & petitionibus & nunc se [Senatum] non sine dolore propter cives hæc filio Dei & deinde suæ, hoc est, Episcopi, ut qui pro eis debeat respondere ut verus Pastor, conscientia committere. Nec interea, scribunt, lingulis intercedimus civibus, ne quis in eum, qui mitti debeat concionator, vim verbia vel factis exercent. Adhuc adjiciunt petitionem, ut dignetur cum Consiliariis considerare vota, & habere rationem suorum subditorum. Hæc



& alia quæq; proponit *Martino* Senatus, & orat, ut velit per quatuor septimanas quiescere & intermittere exercitia Ecclesiastica. Hac ratione posse ipsos commodius in ea causa agere. Ita mittitur cum diplomate Episcopali Sacellanus Præfulus ad Senatum & urbem, ut per festos dies Pentecostes concionaretur & missificaret in templo *Marckkirchiano*. Hunc excepit honeste *Martinus Hoitbundus*, dicens: Domine, tibi quidem promitto conciones, sed interim protestor coram te, me esse verum Pastorem, oro etiam, ut digneris duos infirmos, jamjam agonizantes, communicare, & me, qui nihil quod sciam, male egi, coram Episcopo excusare; quod etiam moleste quidem ab illo petivere cives. Sed is mox discessit ex urbe, dicens: Se non missum, ut quosdam communicaret. Illo profugo, incepit iterum tractare & expedire ministerium die Lunæ & Martis in Pentecostes Festo *Martini*, concionando & canendo. Sed evocatus in curiam acriter reprehenditur, & ei proponuntur minacia Episcopi scripta eaque prolixa, quibus insectatur *Martinum*, & Senatum infidelitatis & inobedientiæ accusans. Jam vero præter vestram promissionem, contra juramentum, quo nobis ad Recessus priores obstricti, scribit Præfulus, imo Cancellarius, sub nomine Præfulus, decrepiti senis & pene omnium rerum ignari nonagenarii: Et turbastis missum concionatorem nostrum Sacellanum, & is simul est ignominiose tractatus ab illo seditioso *Martino*; Als wir denn uns [ sic pergit ] nun dieses / so wol des gewesenen Pastors / als euer Bürger-Leut willigen Fürhabens und Notirungen nicht genugsam befrembden / auch nichts anders / denn ein hohes Mißgefallen tragen können; So haben wir nicht unterlassen wollen / zum Überfluß euch eurer Eyde / Psichte / Verwandnisse / aufgerichteter / versiegelter / behaupteter Recessen / auch aller ergangener schriftlich und mündlicher Handlung / sonderlich aber vorgeführter zwier Erklärung / (nemlich: weil der Pastor nicht einheimisch / daß ihr derhalb euren Befehl / den ihr sonst zu folgen gemeynet / nachleben müget / indem daß derjenige / so wir zu den Kirchen-Dienst verordnet / von den euren verlästert /) geneigt zu erinnern / und darauf zum ernstlichen erfordert haben / schriftlichen und mündlichen Erinnerung gemäß erzeigen / und wes euch dieselben auferlegen / und wir euch sonst Obrigkeit halber befohlen / endlich vollziehen / und uns eures endlichen zuverlässigen Gemüths / zum ersten gute gewisse Antwort zukommen lassen. Solte aber dasselbige nicht geschehen / und wir zu Verhelunge unsrerer Reputation / Hoheit und schuldigen Gehorsams / zu Abschaffung solches



ches eigenen Muthwillens andere wege (das wir / so Gott weiß / sonst ungerne thäten) an die Hand nehmen müssen und würden. Des werde ich uns nicht verdencken / und habens euch mit Erwartung mündlicher schriftlicher Antwort nicht bergen wollen. Datum Neuenhauff den 18 Maji Anno 67.

Has literas prælegerunt *Martino*, prætendentes periculum & mala, ipsis imminencia, Consules cum Senatu. *Martino* oretenus, deinde scripto se excusat, quod nec ille nec ulli etiam cives molesti fuerint Sacellano Episcopi, in qua re refert se ad testes & illius conscientiam. Postea etiam egregie respondent Senatores Episcopo per epistolam ita: Non potuisse se ex sententia doctorum & Decreto Imperii anno 1555. statuto, in hominem *Augustana* Confessionis [quæ diu post illos Recessus *Hermanni*, Episcopi, statutos, est jam probata cum membris adhaerentibus] manus injicere ratione illius libertatis omnibus concessæ, nec quoque ipsis hactenus ab eo permissum esse, in hominem Ecclesiasticum exercere dominium. Si jam velit hoc ipsis in omnes Ecclesiasticas personas concedere, & quidem non sine periculo, id quidem nunc etiam velle facere; Nec certe aliter posse fieri, nisi debeant agere contra Decretum Imperii. Excusant quoque suos, quod nihil violentum sit contra Sacellanum Episcopi actum, nec quoque tentandi causa ipsi de visendis infirmis dictum esse scribunt, quia eo ipso die alter est mortuus, ajunt, qui sine ceremoniis, ut mortuus est, ita etiam sepultus est. Et sunt adhuc multi infirmi, & graviter decumbentes, qui magno gemitu & desiderio expetunt usum Sacramenti integri ab ipso *Martino*. Oramus igitur tuam Celstitudinem, scribunt, per Deum vivum & ejus misericordiam, & tuam ipsius conscientiam & officium, ut digneris, tanquam ordinatus Episcopus, habere illorum & tam multorum agonizantium rationem, hoc enim est officium veri Episcopi, ut ita miseræ conscientia possint consolationem accipere: qua in re laudem Vestra Celstitudo coram Deo & hominibus merebitur, & illorum preces pro vobis excitabit. Atque hæc etiam à Consiliariis tuis petimus. Aut profecto, si id non concedatur nostris, sine dubio illi tecum excitabunt omnium istorum gemitus, lamentationes & singultus contra sese. Postremo addunt, nihil unquam adhuc seditiosum à suis tentatum esse. Hæc ita scripserunt ad Præsulem.

Postea accipiunt vigesimo secundo Maji literas à Consiliariis  
qui



quibus mandatur, ut velint præsto adesse sequenti die ad arcem *Neuenhausen*. Legati sunt ad hanc rem deputati, qui vigesimo tertio Maji veniunt ad arcem, ibi exorsus omnium harum autor rerum Cancellarius eandem cantilenam canit; Nunc demum, ajens, cognovit Præsul, vos esse patronos istius seditiosi Pastoris; Deinde vos pro vobis citare videmus Decretorum Imperii acta, cum nullibi extet, quod inferior Magistratus potestatem habeat novam religionem suscipiendi, & deinde quoque simpliciter excipiuntur Episcopi, ne religionem veterem mutant. Cum autem nec de privatis, nec communibus personis agatur in Decretis Imperii, & interim Senatus conetur doctrinam Confessionis *Augustana* introducere, nihil aliud agit, quam ut contra Recessus priores, quos probarunt sub *Erico & Hermann*, Episcopis, agant. Cum verò promiserint, se non aliam religionem suscepturos cives urbis, nisi quæ per septingentos annos *Paderborna* mansit, ideo Imperii Decretis se non possunt tueri. Itaque adhuc illos ratione juramenti sui & Recessuum imperare Senatui, ut ejiciant *Martinum*, aut eum ipsis captivum tradant. Id vero nisi fieret, Episcopum aliquid gravius conclusurum contra *Paderbornenses*. Quare nos Consiliiarii, ait Cancellarius, hortamur vos, ut obedientiam præstetis Episcopo, & cogitetis, quæ pacis sunt, ne quoque contra vestrum agatis juramentum, postquam non sitis absoluti ab illa obligatione ad Recessus. Velle autem, addit, Præfulem in illam Parochiam concionatorem alium mittere, ideo mandare, ut ejus patrocinium contra importunitatem seditiosorum suscipiant, ne cum illo, ut cum suo Sacellano, agatur; Hæc ille. Mirantur in responsione *Paderbornenses* Legati, cur ipsis perjurium objiciatur, cum nullius sint conscii, nec quoque ullam aliam religionem introduxerint. Quod vero doctrinam *Augustana* Confessionis propagasset *Martinus*, in culpa Senatum non esse, postquam sciant, illum non à Senatu, sed per *Dumheros* donatum pastoratu, nec quoque *Martinum* esse subjectum jurisdictioni Senatus. Postea explicarunt Consiliiarii, videlicet Cancellarius & Præfectus aulae, *Philippus de Horde*, Principem nihil amplius neque scriptis neque verbis velle mandare ipsis, sed omnia tempori & loco reservaturum. Legati provocant ad jus & sic discesserunt. Hæc iterum vigesimo quarto Maji *Martino* proposita per Senatum in curia sunt, & iterum mandatur, ut sub nomine Principis, ne amplius proponat officium pastoris sibi usurpare: is di-



dixit: Nec spero, vel Senatum eò impietatis delabi, ut velit mihi aliquid iniquum imponere, vel etiam posse mihi imponere imperareque: Respondit Senatus, nec se quoque quicquam vel Imperii vel violentiæ in ipsum exercere vel exerciturum esse, tantum hoc fieri jussu & nomine Præsulis. Ergo non, ait *Martinus*, vultis me, provocantem ad jus, à violentia arcere. Si quid, ajunt ipsi, habueris controvvertendum cum Principe, hoc tu ventilare poteris. Mox Senatus singulis civibus indicari jubet, ne quis verbis vel factis ullam petulantiam exerceat in eum pastorem vel concionatorem, quem missurus sit Præsul, cui mox literas mittunt Senatores & iterum orant, ut cum provocet ad jus Pastor *Martinus*, nec dum sit convictus falsi erroris, vitandi iniqui præjudicii causa dignetur clementer in ea causa agere, præsertim cum alibi eadem per ditiones servatur doctrina & exercitium. Interim in die Trinitatis pergit *Martinus* concionari & exercere suum officium in communione utriusque speciei.

In vigilia corporis Christi, qui erat vigesimus octavus Maji, evocant *Martinum* quidam deputati Senatus utriusque, & proponunt, quomodo milites & equites contra *Paderbornenses* cives vel conducturus sit Princeps, vel ex ditione evocaturus, nisi ille desinat exoptis; ideo orant, ne dignetur hujusmodi malum in urbem suam accedere præsentia, sed potius in gratiam patriæ discedere. Is respondit: Se provocare ad jus & cupere convinci falsæ doctrinæ, & habere legitimum possessionem suæ istius Parochiæ, nec quoque istis Recessibus, quorum mentionem fecerunt, ipsum obligari, non esse quoque pastorem, sed mercenarii, deserere suas oves & tradere lupo, ideo se non posse discedere exemplo Samuelis, 1 Samuelis 12. Interim scribunt *Philippus de Horde*, præfectus aulae & *Henricus Coloniatus*, Cancellarius, ad Senatum, & iterum eum juramenti & obligationis ad Recessus ab ipsis factæ graviter & impudenter admonuerunt, imò afferunt in literis indigne ferre præfulem, quod in dubium ponant, an sint Recessus illi servandi, & propterea Senatum jam consulere doctos, quatenus & in quantum sint servandi, quæ omnia graviter ostendunt præfulem, & eum hæc ad media vobis non idonea urgebunt. Hæc iterum *Martino* proponunt, & eo ipso die officium pastoratus interdicunt: Is jam, quod antea, respondit. In die vero corporis Christi, vigesimo nono Maji citant ad curiam circa horam octavam.



clavam, sed is conqueritur, se jam occupatum Ecclesiastico munere, & nihil amplius posse respondere Senatui, quam jam aliquoties factum sit. Postridie iterum citatur in curiam, & priora utrobique tractantur. Is vero recitat verba Cœnæ, & petit, an hanc formam aliquis queat reprehendere: Deinde, se quoque pro sua persona, si illa adeo esset exosa Præsuli, cedere posse, modo aliquis Evangelicus concionator, qui idem, quod ipse, in doctrina & officio exercitiorum atque Sacramentorum communione administret, substituatur. Nisi vero id fiat, se ait, nec velle nec posse cedere, quocumque res cedant. Sed illi repetiverunt priora pericula & rationes. Et idem est etiam trigesimo primo Maji propositum à quibusdam civibus nomine & civium Parochianorum & nomine Pastoris *Martini*. Sed illi sunt duriter tractati atque excepti à Senatu. Ibi adjuncto sibi Pastore *Hornensi*, *Johanne Wilhelmo*, ipse *Martinus* recta abiit in curiam, & procedens rogavit à Senatu, an velint eum in suum patrocinium suscipere, veluti olim quendam, *Johannem Vöslö*, defenderint contra Præsulem. Interim adhuc institit Senatus apud *Martinum*, ut paululum intermitteret divina, ut interea ipse per quosdam recuperaret gratiam Præsulis. Suscipit quidem illud cum protestatione, ut tamen rursus rediret ad suam Ecclesiam. Postea Senatus coram Notario & testibus testatus est de *Martini Hoibundi* pietate, vera doctrina, honesta vita & Sacramentorum vero usu, ab illo legitime administrato, & addit, se nihil habere reprehensione dignum in eo, idque coram Deo & hominibus palam testari, imo voluisse neminem libentius retinere in ministerio, quam illum, si id tulisset præsul; Quare se tristes hæc Domino Deo commendare, & totum negotium præsuli committere, ut is de eo coram Deo rationem reddat: ideoque mandatur ab eis Notario, ut de hujusmodi testimonio unum vel plura instrumenta faciat.

Quinto Junii supplicationem adornavit *Martinus* per ditiones præcipuas, tunc collectas in *Bodeken*, imprimis ad nobilem Dominum *Johannem de Buren* & *Schonebergium Spiegel*, ac reliquos ibidem collectos. Cum vero isti duo Nobiles abessent, oblata est per duos cives Consuli *Warburgensis* oppidi, *Herboldo Drosten*, supplicatio. Deputati susceperunt supplicationem, in qua orat per Christum & per extremam Dei misericordiam ipsos proceres, ut velint considerare, quomodo, de testimonio Senatus *Paderbornensis*, ipse inculpate & vix-



rit & docuerit, veluti ipsi quoque expendere, suafores esse Praefules ne vel ipsi cum Consiliariis innocentem damnent: ut simul cogitent & instent apud Praefulem, ne judicetur quisquam, incognita causa, ex consilio Nicodemi Johann. 7. Et fuerunt in ea re gentiles [ait] iudices æquissimi, *Claudius, Lyfias, Felix, Fesus & Agrippa*, qui volebant Paulum damnare, nisi prius legitime cognita causa, ut in Actis Cap. 21. 22. 23. & in sequentibus legitur; Ideo & vos, proceres, nolite ita inordinate procedere. Quid aliud est, cuius nomine accusor, nisi quod ego secundum Domini nostri Jesu Christi mandatum Eucharistiam Christianis ministraverim? Quod igitur me propterea damnat, damnat Christum, Apostolos & verbum Dei & totam veterem Ecclesiam. Itaque obsecro vos, expendite, quam minime deceat sub nomine quorundam Imperii *Recessuum* tam multas & infinitas animas perdere. Jam alia res est cum religione *Augustana* Confessionis, quam tunc erat, cum *Recessus* isti conficerentur. Oportet nos utique Deo magis obedire, quam hominibus Actor. 5. & merito cedunt supremo concilio, in quo sententiam Matth. 17. de audiendo suo unico filio protulit æternus pater omnia alia Concilia, Satuta, Decreta, *Recessus* & Obligationes. Si minus id fiat, erit aliquando Dominus ultor & iudex, cui commendo negotium. Imo in eandem sententiam eo ipso die ad singulas personas procerum literas privatas separatim dat, ut: ad *Philippum ab Horde*, Praefectum aulae, *Fridericum Westfalum*, ditionalem *Sarapontum Johannem*, Dominum & Baronem de *Buren, Schonebergium Spirensis*, *Nobiles & Consiliarios*, atque deinde ad urbium singularium Praefules, Consules, & Senatium, oratque vehementer, ut ipsorum intercessione possit suam testari in legitima cognitione innocentiam, & cum nec vita nec doctrina sua apprehendi possit, etiam quiete frui officio Pastoris & Pastoratu, quem jam pacifice per multos annos possederit, orat insuper illos, ut cogitent, se quoque Christianos esse, & aliquando coram Christo prodituros; Ut igitur huiusmodi velint honorem tribuere filio Dei & suo Domino & caute suae pertracinationem suscipere. Item aliquot pii cives scripserunt, prope eodem tenore, illo ipso die ad Ducem militum, *Georgium ab Holle*, procerum *Philippi ab Horde*, ut is dignaretur apud generum & Episcopum agere, quo possent frui vera doctrina & usu Sacramentorum juxta *Augustanam* Confessionem. Similiter per id tempus supplicaverunt



vit *Martinus* uxori *Philippi ab Horde*, Præfecti aulae & præcipuae auctoritatis viri in aula, filiae *Georgii ab Holle*, & admonuit ipsam piæ educationis: Quomodo illa esset edocta ex Catechismo verum usum Sacramentorum, ut igitur cogitaret, quemadmodum ipsa non libenter vellet discedere à vera & semel ab incunabulis hausta doctrina atque usu Sacramentorum, ita similiter gravissimum fore civibus eorumque uxoribus & liberis in urbe *Paderborna*, si deberent à jam semel suscepta doctrina & usu Sacramentorum vere discedere. Itaque christianum & pium esse, si se deprecatricem per maritum apud Episcopum constituat. In omnibus literis fit protestatio, quod nulli Sectæ sit *Martinus* deditus, sed Anabaptistas & Sacramentarios damnet. Ita illa promiserat suam operam, sed omnia frustra.

Septimo Junii conclusum est à proceribus ditionis, qui tot preces, rationes, admonitiones & supplicationes negligebant & flocci pendebant, imo hoc Cancellario, homine impiissimo, agente [quod non est sceleratior persecutor Evangelii in tota pene Europa: nam si posset, quia voluntati ejus nihil deest, unico impetu omnes Lutheranos simul perderet. Episcopus nonagenarius quid faceret? Cancellarius vero, induratus & impius, omnia agit sub nomine Episcopi.] non ferendum esse *Martinum*, sed ejiciendum ex urbe & privandum ministerio. Ideo *Paderbornenses* Legati eo ipso die retulerunt *Martino*: Is vero oravit eos, ne tam inique vellent citra causæ cognitionem cum illo agere; Hoc enim si fieret, profecto gentiles fuisse ipsis æquiores, ut *Pilatum* & alios. Suadet autem amici quidam, [quod tamen vos concionatores *Lemgovienfis* urbis, additis multis rationibus, cur id non tentaret? non enim negotium esse successurum *Martino*, dissuasimus] ut sese *Spiram*, ad *Cameram Imperialem*, conferret *Martinus Hottebundus*. Is igitur ingressus est iter 9. Junii, ut mandatum, de non perturbando sive molestando in sua possessione, contra Episcopum, consequeretur.

Decimo quinto Junii missus est novus concinator, *Johannes Brakellensis* [qui quoque antea *Frislarie* Papismum tutatus fuerat, & habuerat ibi adversarium, qui eum publicis scriptis reprehendit, *M. Hieremiam Hombergium*, in scripto de justificatione] ut ibi in templo, *Marckkirchiano* concionaretur, sed adveniens reperit templum clausum, nec inveniri potuit custos, ut fores aperirentur. Ita intermissa est adhuc eo die concio; Propterea citatur custos ad Principem,

Kkkk kkkk 2

sed



sed custos provocavit ad ordinarium Magistratum in urbe Paderborna. Redit iterum 22 Junii concionator ille *Johannes Brackelensis*, comitatus Præfulis aliquot Consiliariis, qui curarunt per fabrum referri valvas. Ibi per quendam, *Conradum*, Sacrificulum, sequentibus Senatus ministris, investituram & possessionem templi accipit. Postea incipit concionari & explicare Evangelium, Matth. 5. Estote misericordes, sicut & pater vester est, in magna auditorum copia, *Brackelins* ille *Johannes*. Sed mox pueri aliqui & quidam artificum juniores ministri cœperunt ante templum aliquot psalmos germanicos canere: Ach Gott! vom Himmel sich darein / &c. Minister publicus venit & turbavit eorum cantiones. Illi paululum secedentes regresso ministro iterum colliguntur & pergunt canere: Mein Gott in der Höhe sey Ehr / &c. Secundo redit minister & acerimis minis increpat pueros canentes, sed cum illi paululum audivissent, rursum post regressum ministri incipiunt clarissima & altissima voce canere: Erhalt uns / Herr / bey deinem Wort / Und steur des Bößs und Ürders Mord / &c. Inde oritur murmur in templo & risus; Ideo mox discedit & bene vexatus egreditur templum Pontificius concionator. Ibi cito Senatus præsto est, & conatur reprimere populum murmurantem & interrumpentem conciones Papiſtæ illius. Quidam pueri intercepti ducuntur coram Senatu & graviter increpantur primo, deinde blanditiis, minis & acerbioribus verbis arguentur, ut fateantur, cujus autoritate id fecerint, & qui fuerint in cantilenis illis decantandis focii, responderunt pueri: Nec à quoquam hoc præceptum, nec noscere se socios; verum ex proprio zelo, prout docti erant, ex libris psalmorum cecinisse, nec putare, hujusmodi cantilenas esse impias. Reversus *Martinus Spira* nihil impetravit. Interim in die Johannis Baptistæ, qui erat vigesimus quartus Junii, cœpit iterum concionari *Martinus*. Is iterum quarto Julii regressus est *Spiram*, sed frustra. Cum vero vigesimo primo Julii collecti erant proceres totius ditionis, iterum concluditur de amovendo *Martino*, quod etiam injungitur Legatis *Paderbornensibus*, ut aut ejiciant aut captum tradant Episcopo. Cum *Martinus* vigesimo secundo Julii decreverat baptizare aliquot pueros, rogatur à Senatu, ut intermitteret institutum, ne illi magis molestentur. Cum vero iterum vigesimo tertio Augusti redirent ex aula literæ ad Senatum, ut vel ejicerent vel caperent, vel captum traderent Præfuli, citatur *Martinus*.



& ei hæc proponuntur, sed is in scriptis respondet sequenti die, & petit ab illis defensionem ratione officii in ea causa & provocatione sua: Nam & securos & verbi Dei contemptores plerumque pœnam Dei incurrere ait, quod exemplis, è scriptura prolatis, demonstrat, & probat, quod contra verum officium judicis hoc pacto agant, adductis testimoniis, prolatis, Gen. 12. Exod. 3, 23. Deut. 13, 17. 19. Jos. 7, 22. Prov. 18. & postea, addita precatone, adhuc orat, ut cogitent, quanti referat, & intersit ipsorum saluti, retinere purum verbum.

Interim tres sunt Legati à Senatu ad ipsum ablegati, [qui videbantur ei inprimis favere, *Johannes Brinckmannus*, Consul, *Henricus Eilbrachus*, *Theodorus Boithim*, Senatores] ut indicarent *Martino*, quomodo suo nomine plane excidissent gratia Præsulis, & summum propter ipsum imminere civitati periculum. Orare igitur ipsum amanter, ut velit se ad alias regiones & locos recipere. Respondit *Martinus*: Vix credo, vos sumtuos urbis jus in me, cum Officialis sibi id in me juris reputet; Ideo coram ipso refero me ad audientiam legitimam, & oro, ne me turbetis & sitis molesti legitima mea possessione. Petit ita adhuc illorum patrocinium contra violentiam.

Ad primum Decembris conveniunt Deputati urbium ditionis *Paderbornensis*, evocati. His quoque scripsit epistolam, qua ipsos graviter monet sui officii, ut cogitent, ipsum tot ærumnas pati propter veritatem, quod Eucharistiam sub utraque specie & Christi mandato porrigat, quod vero non possum tacere, urget, inquit, me mea conscientia & verbum Dei, Rom. 10. Matth. 10. Marc. 8. Luc. 12. Qui me confitetur coram hominibus, &c. Item 2 Timoth. 2. Si ipsum negemus, negabimur & repudiabimur ab illo. Item *Johannis* 12. Multi leguntur credentes fuisse, sed, quia verebantur, sibi adimi dignitates, non hoc palam confitebantur, pluris facientes gloriam hominum, quam gloriam Dei. Itaque cogitate vos, quid bona conscientia faciatis, & facere debeatis coram Deo, ne in gratiam hominum abnegetis eum, qui vos damnare potest, cum alias confitentibus & credentibus in ipsum offerat salutem. Oportet potius bona, agros, parentes, uxorem & liberos, omniaque deferere propter Christum, quam ab ejus verbo discedere.

Has literas cum accepissent, venit ad patrem *Martini* Consul oppidi *Warburgici*, *Bermannus*, ajens: Neminem ex eis esse, qui sinistre



vel de vita vel de doctrina sui filii iudicet, sed nihil nunc aliud posse fieri propter Præsulem, immotum permanentem in sua sententia, ideo ipsos omnium procerum nomine orare, ut, parens, pro sua senili sapientia, ut septuagenarius, velit expendere, in quanto versetur periculo urbs *Paderbornensis*, sua patria, & qua indignatione Senatum & cives prosequatur Præsul; Sit igitur, orat, persuasor, ut amice discedat. Postea illi Legati sunt interpositi mediatores inter Præsulem & Senatum *Paderbornensem*, qui excusant Senatum *Paderbornensem* variis modis apud Præsulem, ubi etiam actum est de Recessibus olim admissis.

Circa hæc tempora contra legitimos contractus turbant schola Dumheri viros doctos, Rectorem & Conrectorem, *Johannem Bedenium*, Rectores, & *Gerhardum Nesenium*, Conrectorem, propterea quod sese opposuissent pro veritate *Gerhardo Rodigeno*, & deinde ab organi exercitio deponunt *Antonium Cratonem*, constantem veritatis assertorem & virum industrium.

Septembris die 2 quidam delecti ex ordine procerum, qui oppidorum sunt capita in ditione illa, mittuntur ad *Martinum*, & ipsi si velit ad tempus recedere, promittunt liberalem sustentationem & annuos sumptus. *Martinus* vero deliberandi spatium petit. Cum deliberatio protraheretur, tandem evocant *Paderbornenses* proceres *Martini* parentem, & eum durius increpant, cur non sit filio autor, ut discedat, ne majus periculum urbi immineat. Hic respondit: Filium non esse amplius sub sua ferula, atque ætatem, ac experientiam habere, ut ipse loquatur. Decimo octavo Septembris quater questus minister publicus *Martinum*, qui ab illo debebat responsum extorquere, sed cum tandem ipsum domi reperiret 19 Septembris, promissit *Martinus* responsum scriptum, in qua dicit: Se re ipsa reperire Satanam esse hostem veritatis, ideo tot excitare turbas, ut impediat cursum Evangelii, ne multi salventur. Sed propterea potissimum Deus ordinavit Angelos & Magistratus, ut duo legitima media, ad defensionem Ecclesiæ & veritatis contra hostem Satanam. Angeli defendunt pios contra Senacherib, Ecclesiam in urbe Hierosolymitana, & apud *Danielem* aliquot Angeli custodes attribuuntur regnis. Apud *Elaiam* dicuntur Magistratus nutritores Ecclesiæ, interdum etiam Dei, quod Dei gloriam tueri debeant; Jam vero cogitate, quomodo hoc officium administretis. Si jam conemini hominibus placere, scri-



ter, ut servi Dei esse nequeatis, videte, quomodo Haman & alii reciderint. Quod ad me attinet, scio, me sub cruce versari cum omnibus piis, ideo commendo filio Dei eventum.

Vigesimo septimo Septembris Doctorem, *Jodocum Didemannum* [qui antea suaserat *Martino*, ut constans in officio perstaret, & si etiam novis claustris occluderetur templum, tamen eum concionari debere in cœmiterio,] virum eloquentem & doctum subornavit Senatus, ut is cum *Martino* de fuga & discessu ageret, quo tandem ab extrema indignatione Præsulis liberari possent *Paderbornenses*, [facile quoque recepissent *Gersenses* Christum, nisi jam damnum in amissis porcis sustinuissent, ideo orant eum, ut discedat, sic quoque facit Senatus *Paderbornensis* cum *Martino*] is pro sua svaviloquentia multis cum *Martino* egit, sed cum intelligeret *Martinus*, à piis exilium fore perpetuum, non quievit consilio veri celebris & egregii *Doctoris Didemanni*. Tandem ipse nuptialem concionem habuit, & Sacramenta Altaris & Baptismi cum cantione aliquot psalmorum administravit.

Tertio Octobris admodum amice ad ipsum scripserunt uterque Senatus *Paderbornensis*, in quo fatentur, se agnoscere, sui esse officii, ut curent aperiri portas Principi gloriæ, Christo, ut sint nutritores Ecclesiæ, & magnas pœnas ipsos manere, qui aliter administrarent officium Magistratus; Sed jam quidem ipsos nunquam discessuros ab agnita atque ex ipsius concionibus semel suscepta veritate, sed quod ad personam *Martini* attinet, se non posse, cum subsint potentiori Magistratui, ipsum tueri & hoc obtinere. Novistis, quoties & nos & alii pro tuo ministerio Intercesserint, quot media quaesierimus, & quidem frustra, & in quam perniciem urbem adduxerimus. Quod igitur ad nostras personas attinet, nunquam nec tibi nec veritati deerimus, sed ratione officii oportet urbis rationem habere, & deinde juramenti præstiti Præsuli, ideo jam palam coram Episcopo protestati sumus in scriptis & simul verbis, nos, cum nihil possumus apud ipsum impetrare precibus, velle ei, ut Episcopo, & Consiliariis, totum negotium commendare & in ejus sinum refundere, ut is videat, & pro hac causa, quam violenter ita profèquatur, respondeat coram Deo. Ne igitur in nos transferas culpam, oramus, & deinde, ut discedas, obnixè te obtestamur, ne sis oneri tuæ patriæ. Si alias tibi, cum nunquam voluntati nostræ quicquam in ea re defuerit, possumus prodesse, haberes nos promptissimos. Hæc sub suo secreto ad *Martinum Hoibundum* miserunt. Quar-



Quarto Octobris variae disceptationes sunt inter ipsum & Secretarium atque Senatorem, *Theodorum Bothenum*, orta. Interim ille 5 Octobris, qui erat 19 Dominica à Trinitate, concionatur publice in suo templo & exercet divina. Ibi mox, nondum finita concione, venit uterque Senatus, veniunt Tribuni & evocant per ministros publicos suos cives, & jubent deinde *Martinum* apprehendi, sed antequam hoc vellent, inquit ministri, malumus renunciare officio. Evocatis civibus proponunt, ut jam illi tradant *Martinum*, aut vel sub 24 horis occidant, vel captivum adducant Præsuli, juxta Recessuum tenorem. Is vero coram civibus prodit coram Senatu, qui ei varia objicit, quasi in multis non steterit promissis, & quomodo ipsius nomine magnas difficultates sustinuerit, is iterum se modeste excusat. Citantur in curiam cives, qui, sequentes Senatum, *ibi præsto sunt*, sed nihil eis proponitur singulare, nisi ut abdicarent se à communione *Martini* propter indignationem Præsulis. Illi responderunt, magis Deo, quam hominibus, parendum.

Sexto Octobris per duos publicos ministros indicantur *Martino* Senatus uterque & Tribuni, ut ante solis occasum exiret urbes, aut eos in ipsum injecturos violentas manus. Deinde septimo Octobris singulis mandatur civibus, si quis *Martinum* excipiat hospitio, aut ei communicet, eum privari debere urbis & civitatis immunitate.

*Martinus* vero ipso die profectus *Cassellas*, supplicatorias literas obtulit Landgravio *Hassie, Wilhelmo*, valde pathetice scriptas, quas clementer suscepit, & promisit, se duos Legatos missurum ad Episcopum. Sed hoc consilium mutabatur, quia, propter vitandam suspicionem, censuit Landgravius, ut ipsi Parochiani potius ei supplicarent. Hac ratione causam haberet commode scribendi ad Episcopum. Parochiani igitur pro retinenda vera religione & *Martino*, supplices fiunt per epistolam Landgravio, & ejus petunt intercessionem. Optimus igitur & doctissimus Princeps, *Wilhelmus*, Landgravius *Hassie*, inhærens vestigiis Clarissimi & Præstantissimi Patris, *Philippi*, Senioris æterna memoria dignissimi Heredis, facit, veluti *Constantinus Magnus*, qui diligenter in causa Christianorum scripsit ad Regem *Persarum, Saporem*, & oravit eum, ut desisteret à persecutione, & doctrinam Evangelii susciperet.

Tandem scripserunt in gratiam civium & pro *Martino* *Heinrichus* do tres Electorales, *Palsgravius, Saxo* & *Brandenburgicus* atque *Wur-*



*renbergicus* & *Badensis* Principes, sed furdo fabula canebatur. Nam ejicitur *Martinus* & se confert ad *Huxarienses*, qui eum in numerum ministrorum Evangelii elegerunt.

Cum autem Cancellarius cognosceret, *Theodorum Bodenium*, Secretarium & Senatorem, serio negotium religionis promovere, & esse gratum civibus: ideo verebantur, illum in Consulem promotum iri, qui etiam nomine Senatus ita & graviter in scriptis & relationibus responderat Episcopo & Consiliariis; Quare & veterani Consules, qui Pontificii erant, ei quoque id munus invidabant, clam ei infensi erant, & plerumque se excusabant, quando aliquot vehementius vel scriptum vel dictum erat, transferentes culpam in eum, itaque à Cancellario & omnibus hostibus struebantur ei insidiæ, & observabant eum hypocritæ, donec tandem piissimam vocem ederet *Bodeni*, videlicet hanc, potius *Rembertum*, titulotenus Episcopum, [qui nihil minus præstet, quam quæ Paulus requirat ab Episcopo] deponendum, quam *Martinum Hoitbundum*, qui fidelis Pastoris officio functus sit. Hinc cum negaret vel recantaret ista verba, occasionem fumunt, quasi crimen læsæ majestatis commisisset, eum ex urbe & ditione ejiciendi, id efficiente Cancellario, hoste veritatis maximo. Ita patitur & is bonus vir propter veritatem, quem Dominus constantem in verbo & agnita veritate retineat, Amen. Sed cessit ad tempus *Bodeni*, & mox regreditur in urbem.

Sunt autem veterani Consules Papistæ, *Johannes Rengerus*, *Conradus Coqus*, *Requinus Brinckmannus*, *Johannes Stalmeisterus*, *Johannes Fulaus*, *Martinus Segertes*, & *Hieronymus Ottergerus*. Unus Consul, *Johannes Brinckmannus*, videtur religioni favere, sed quia solus ex captivis existit & dimissus est, & cuperet ex animo consultum religioni, nisi ei periclitandum esset de honore. Sunt & alii plerique in Senatu pii & bene affecti religioni, sed taciti, imprimis vero unus *Scapedodius*, vir vere pius, qui sincerus est confessor, ut dicitur.

Hæ persecutiones & molestiæ civibus acciderunt piis sub istis Consulibus, interea post nominatum Episcopum, Consiliarios & alios rerum gubernacula in Cathedrali Ecclesia tenuerunt hi sequentes: *Wilhelmus Westfalus*, Præpositus, *Hugo Buddius*, Decanus [quo mortuo, eligitur *Volmarus Brenckius*,] *Gisebertus Buddius*, qui est jam Præpositus templi Cathedralis *Osnaburgæ*, *Philippus Westfalus*, Præpositus in *Menschede*, *Rabanus Hordenus*, Scholasticus, *Martinus Spei-*



gelius, Philippus Hordenus, junior, Wilhelmus Hasfeldius, Joocus a Castro, Osnaburgensis Canonicus quoque, Henricus Meibedius, Bernhardus, Dominus de Buren, Baro, & Theodorus Meibedius, Wilhelmus Schilderus, Roserus Westramus, N. Plethenbergius & N. Pasfeldius, Quorum omnium adulator & gnato fuit & adhuc est, Gerhardus Rodenkenius Erebolius. Sub his omnibus per annum 1567. acta sunt, de quibus diximus. Sed nemo magis declaravit hostem veritatis, & opposuit civibus in hac pia causa, & apertum adversarium vere religionis, quam Henricus Coloniacus, Cancellarius beneficii optimus, qui cum prædictis prioribus Pontificiis omnibus est concubinariis, quem ajunt etiam ignorare suum patrem, aut si is, à quo nomen refert, fuerit pater ejus, patris etiam vestigia sequitur, & matris impuritatem retinet. Dominus Jesus convertat ipsum, Amen.

Interim in initio anni 1568. moritur Rembertus, Episcopus, & mox accipit ille Haman & Achitophel, Henricus Coloniacus, superbus Cancellarius, bravium & præmium, quia à Dumberis cognita ejus perfidia gradu & loco pellitur, incidens primo in foveam, quam paraverat Martino. Nec etiam apud novum Episcopum, de quo dicam, aliquam gratiam obtinet, sed omnium etiam puerorum ludibrio exponitur, & justam suæ arrogantiae pœnam accipit.

Mortuo Episcopo Remberto redit ex Hungaria ad Ecclesiam suam in urbem Paderbornensem Martinus Hoibund, & postea pro illo iterum supplicant per literas apud Capitulares & Senatum aliquot Principes, inprimis Wilhelmus, Landgravius Hassie. Interim freudent Dumberi, & tandem eligunt Johannem, Comitem Hoyensem, Episcopum Monasteriensem & Osnaburgensem, sed is noluit ibi rerum potiri, nisi à Papa haberet confirmationem atque regalia à Cæsare. Ita accidit, ut dolo & astu, etiam opera quorundam præcipuorum in urbe ut dicebatur, cuperent urbem invadere, sed erat conatus ipsorum frustraneus. Cum ergo ita non succederet, variis modis struxerunt insidias Martino, tandem jubent capi quondam ipsorum Ludimagistrum, Johannem Bodonium [quem superiori anno circa Festum Michaelis propter confessionem veritatis ex ministerio & regimine scholastico dimiserant] die Martis post Dominicam Judica, hoc est sexto Aprilis anno 1568. quando is abiret Mindam, in qua urbe gubernacula scholæ susceperat, sed in patria sua Lippspringo proditur Consulibus utriusque opera & præposito Wilhelmo à Westfal & Decano Ca-



thedralis templi, *Volmaro à Breuck*, sistitur. Illi jubent eum captivum transferri in urbem *Dringenberg* per aliquot equites & pedites. Cum vero captivus *Bodenius* sisteretur *Philippo à Westfal*, Canonico Cathedrali & Præposito *Storpiensis* Collegii, tunc occupanti eam arcem: is voluit statim *Bodenium* turri profundissimæ injici, sed hoc multis precibus impedivit optima & nobilis matrona, uxor Satrapæ ditiorialis *Eriderici à Westfal*, ideo tandem in editiori cubiculo ad duas graviores machinas repagulis magnis alligatur, imo per aliquot dies catenis manus quoque connectuntur ei, sed id postea ejusdem piæ matronæ opera omittitur. Tandem 13 Aprilis, die Martis, post Festum Palmarum, irrumpunt in cubile, quo *Bodenius* captivus tenebatur, *Philippus à Westfal*, *Dumherus*, *Eridericus à Westfal*, Satrapa, cum duobus Scribis, *Theodoro*, rationario, & *Hermanno Catero*, adducentes carnificem *Gesekensem*. Carnifex scalam, torturas & funes, quibus ad carnificandos homines uti solebat, adornavit, & deinde, cum apprehenderet *Bodenium*, is dixit: Quid sibi hoc vellet? responsum est ei, nisi ultro ad interrogata respondeat singula, absque tormentis, sibi id facile extorsum iri. Hic cum ille, ingemiscendo conquereretur de tanta violentia, & Deum invocaret, dixerunt illi, si nunc tuæ cuti ac carni vis parcere, responde ad hos sequentes Articulos, quos ei proposuerunt ordine descripto.

1. Qui præter ipsum fuissent suafores duobus istis Monachis, *Hermanno Stokenensi* & *Philippo Arnsburgensi*, ut monachatum desererent?
2. Quis præter ipsum & *Rodolphum Bredebeckium* ante anni spatium fuissent collecti in domo *Arnoldi Blockii*?
3. Quinam cum ipso fuerint prædicto *Rodolpho* & *Martino Hoibundo* autores istius novationis susceptæ in religionis negotio, atque ubi cum suis convenerint & quid tractaverint, & quibus præsentibus?
4. A quonam fuerint profecti isti rithmi & pasquilli, diversis temporibus sparsi & editi, & per quos scripti & divulgati sint, ut ita & autores & scriptores famosorum libellorum indicaret?
5. Qui cum ipso fuerint dissuasores *Martino Hoibund*, ne fidem aliquoties datam de silentio, vel de sumendo suo discessu, servaret ille *Martinus*?



6. Qui ejus [*Martini*] supplicationes, responsa & literas, diversis temporibus Episcopo, Capitulo & Senatui exhibitas, composuerit?
7. A quibus illa consultatio & ubi facta esset de ope externorum Principum, inprimis trium Electorum, imploranda?
8. Quisnam supplicationes, Principibus exhibendas, conscripisset, & deinde quisnam descripsisset?
9. Cur ipse *Bodenius*, quoties vel legati ab Episcopo, vel à Capitulo sive à Senatu missi, interdum *Martino*, interdum civibus astiterit & se eis associaverit civibus, præsertim quoties in templo & curia colligerentur?
10. Cur ille fuisset civibus autor, ut præcipuos quosdam præcipitarent?
11. Quæ sint præcipuæ personæ, & quibus sint cives infensiores?
12. Quisnam ad ignominiam novi electi Episcopi in diebus *Bichanali*orum proximis, cuidam mitram Episcopalem inposuisset & iterum dejecisset?
13. Quid causæ ipse & sui consortes haberent, ut conarentur ita dejicere gradu Episcopum & Clerum totum?
14. Si vero & Episcopus & Clerus aliquid tentaret contra civis, quid tandem isti meditentur & cogitent facere contra Pontificios?
15. Quot illorum sint, qui *Martino Hoibund* adhæreant & in eorum verba jurarint ad sanguinem usque?
16. Quis Evangelicorum civium registrum consentientium colligerit atque simul vota atque suffragia singulorum?
17. Cur istius inquieti *Martini Hoibundi* frater advenit ex oppido *Warburgo* & quid ille cum *Martino* egerit?
18. An etiam ipse *Bodenius* cum quibusdam aliis fuerit suavorum fratri *Martini, Liborio*, ut idem *Warburgi* tentaret, quod *Martinus Paderborna*?

Cum has spinosas quæstiones ei proposuissent, supplex petierat deliberationem usque in alterum diem, quo concessio, sic respondit ad singula.

Ad primum: Se opinari, quod illi jam deposuissent habitum, antequam venirent *Paderbornam*.

Ad secundum: Se nunquam in istius viri ædibus fuisse.



Ad tertium: *Rudolphum* etiam alibi, priusquam *Paderbornam* venerit, illam doctrinam propagasse: Deinde opinor [ait] semel tantum adfuisse *Martino Hoibund* cum *Francisco Luckenio* in ædibus cujusdam pannicidæ, sed quia non adfui præfens, ideo quidnam locuti sint, ignoro. *Martinum* vero ita ad illam doctrinam & opinionem pervenisse, quod illi ægrotantium & agonizantium, quibus denegaverat Eucharistiam, sub utraque specie horribili & serâ adhortatione atque comminatione ipsum ad inspiciendum textum Evangelistarum & Pauli per suam conscientiam pertraxissent; Itaque commotum esse & ita conversum *Martinum*, ut deinceps utramque speciem porrigeret.

Ad quartum: De pasquillis sibi nihil constare.

Ad quintum: Decreverat accepto primo mandato Principis abire *Martinus*, sed convocata communione Parochianorum, ipsi simpliciter eum oraverunt ut maneret. Denn sie können und wollen auch mit nichten seiner entzihen: Velle ipsos cum *Martino* omne subire periculum; Deinde suasisse quoque Doctorem *Jodocum Didemannum* in ædibus *Cirincida*, si non *Martino* permitteretur docere in templo, ut tunc suum officium sub claro cœlo facere docendo pergeret; Omnibus quoque modis instituisse Templarios & Consiliarios istius Parochiæ cum omnibus Parochianis nullo excepto, ut perstaret in officio.

Ad sextum: Quosdam Doctores & alios peritos viros consultavit *Marburgi* & *Cassellis*, atque usu rerum edoctus ipse novit optime componere literas, ut plerasque earum composuit.

Ad septimum: Ex consilio Consiliariorum Landgravii & *D. Jodoci Didemanni* hoc proposuit toti communioni *Martinus*, & id ita ab omnibus approbatum est. Imo Senatum aliquoties suasisse Parochianis, ut aliunde intercessionem peterent.

Ad octavum: Sibi de Scriba nihil aliud constare, nisi quod ipse *Martinus* illa omnia descripserit.

Ad nonum: Semel tantum ego adfui *Martino*, respondenti Officiariis, alioqui si etiam sæpius astitisset ei, postquam propter ipsum dimissus eram, non potuisset mihi vitio verti, imo mihi jam dimisso offerebat liberam mensam, ideo accidit, ut nobis prandentibus, vel cœnantibus advenerint quidam, vel nomine Senatus vel aliorum, & tunc forte deliberationibus vel responsionibus *Martini* fuerim adhibitus.



Ad decimum : Se novitatis audiendæ causa, pro more hominum accessisse.

Ad undecimum : Nihil istorum esse verum, sed dixisse quendam fabrum, quod simile quid accidisset olim *Gottinga* in initio Evangelii, sed hoc & à se & ab aliis reprobatum esse, cum non sit Evangelicum, violenter agere, vel Magistratum suppressere.

Ad duodecimum : Illos esse suspectos in Senatu, qui promiserant prodicionem *Martini*.

Ad decimum tertium : In convivio Bacchanalicio mitram Episcopalem, qua olim Scholastici usi erant, quendam gestasse, & ita calefactorium ingressum Ironiam excitasse, verum nihil de novo vel Episcopo vel aliis nihil dictum esse.

Ad decimum quartum : Nihil in hoc veri esse.

Ad decimum quintum : Nihil ea de re *alibi* conclusum est, quod ego sciam.

Ad decimum sextum : Innumerabiles esse.

Ad decimum septimum : Nihil sibi de illo registro constare, sed multos in *Martinum* munificos fuisse.

Ad decimum octavum : Postquam Consul *Warburgensis*, *Bermannus*, suaserat, loco *Martini* fratrem ejus, *Liborium Heimbundum*, vocandum & constituendum, ideoque ab ipso missum esse illum *Liborium*, ut ea de re conferat cum fratre *Martino*.

His responsis acceptis, regrediuntur ex vinculis, & deinde redeunt die Martis post Dominicam Quasimodogeniti [hoc est 27 Aprilis] ad *Bodenum* duo præfecti Scribæ cum Quæstore *Plattenburgensis* *Dringenberg*, & denuo ei quatuor novas proponunt quaestiones & imprimis repetierunt undecimum articulum, an non dixisset de quibusdam præcipiendis Consulibus ? tum quoque verum esse, quod à quibusdam Catholicis esset admonitus, ne libellos lamosos, passquillos & rithmos affigeret ? Tertio : An ne ipse quoque cum officariis urbis vinculis traderetur à civibus, propterea quod portas ejus invenirent occlusas, sese ipse immiscuisset plebi & caute civium, & similiter cum reliquis concurrisset ad portas, ut singula perlustraret ? Quarto referunt, se mirari, cur de omnibus templariis & Consiliariis referat, quasi dissuasissent uno ore *Martino*, ut periret in ministerio invito Magistratu, cum *Gerhardi Rodikeni* pater & *Eslerach* non in hac re consensissent.



Ad hæc respondit sic : Se de prima quæstione non aliter respondere posse, quam antea.

Ad secundam : A nullo Catholico se esse admonitum, nec quoque famulos libellos esse scriptos, sed libere in suo Elencho in usum scholæ *Mindensis* edito nominasse similes, imo peiores *Turcis* persecutores veræ doctrinæ & piorum, videlicet Pontificios & alios, atque adhuc ita se perfare in illa sententia.

Ad tertiam dixit : Se non fuisse tunc temporis in urbe, testibus etiam eorum ministris, sibi obviam venientibus in itinere, ituro ad *Mindenses*.

Ad quartam : In genere omnes ita conclusisse, nihil tamen sibi de personis constare, ut exempli gratia, si Senatus aliquid concludat, posse aliquos excludi.

Sed rursus regressi tandem redibat die Veneris, hoc est, 30. Aprilis, *Theodorus*, Scriba, quærens de *Wyrichio* Bibliopola, an ille etiam conversaretur, & ei attulisset Calviniana; Respondit *Bodenius*: Nihil se malorum librorum vidisse apud *Wyrichium*, nisi quod petierat *Martinus* sibi emi opera Lutheri.

Cum vero diu & sæpe cognati *Bodenii* institissent pro liberatione ipsius, ejusque mater supplices literas obtulisset plurimas, & interim nihil proficeret, ipse tandem varia meditans in carcere, cum intelligeret, diuturniorem fore carcerem, 16 Junii summo mane per curvatum clavum mirabiliter aperit seras & repagula catenarum reseravit, & tandem tabulata superiora cum periculo effringens, sanus evasit, & descendens hora secunda noctis per lapideas trabes tendit ad primam portam [quia emissi erant operarii,] atque hanc inveniens non obseratam, per eam transgreditur, pergens ad secundam, ea quidem adhuc erat clausa, interim ipse pulsavit & mox se sub trabibus abdidit : ibi surgens janitor existimans, aliquos ex operariis esse, qui pulsarent, clavibus aperit seram & quasi somnolentus adhuc & repletus regreditur ad cubile. Egressus igitur clam *Bodenius*, mox excipitur à molossis in suburbio, sed moribus suis ei nihil nocent. Sic ille elabatur & venit *Lengoviam*, & ita *Mindam* tendit, ubi adhuc vocationi suæ jam vacat. Sic divinitus est liberatus & elapsus. Ita apertus fit dolus impiorum atque eorum conatus.

Quod porro ad *Martinum Hoitbund* attinet, is perstitit, donec in Augusto Mense veniret in ditionem *Paderbornensem* novus Episcopus,



pus, *Johannes de Hoya*. Ibi quidem pro civitate, Senatu & civibus & Martino egerunt Doctor Juris, *Jodocus Didemannus* & *Henricus Florinus*, & supplices literæ à civibus missæ sunt ad Comites generosos *de Hoya*, *de Schouvenberg* & *de Lippia & Spiegelberg*, qui erant in Comitatu Episcopi. Sed noluit Princeps permittere, ut ibi amplius hæreret *Martinus*, interim per Comitem *Adolphum de Schouvenberg* & Dominum *de Buren*, referente *Laurentio Sibellio*, L. Licentiatum, promittit ejus loco alium idoneum concionatorem. Ita tandem coactus Senatus promittit ejectionem *Martinum*, & suscepturum quem velit mittere Episcopus. *Martinus* igitur discedit jussu Senatus, & mittitur cucullatus Monachus, sed indoctus, *Ludolphus Halderevius* ex *Osnaburga*, qui quidem deposuerat cucullam, sed more tamen Papistico progreditur in suo officio semper: Ideo ab omnibus contemnitur, nullos habens auditores, nisi unam atque alteram animum.

### HISTORIA RENATI ET ITERUM TURBATI EVANGELII ET PERSECUTIONIS,

Factæ in oppido *Gesecke*, ditionis *Coloniensis Westfalorum*,  
in vicinia ditionis *Paderbornensis*, Anno 1564. & 1665.

Conscripserunt per

**HERMANNUM HAMELMANNUM**, L. Th.

**E**t si aliquoties in oppido *Geseckensi* fuerint Evangelii præcones, qui jam olim inde turbati sint, tamen, quid nostro temporæ ætate sit, paucis exponam.

Cum in altera Parochia, cui est Abbatia adjecta, pius vir doceret Evangelium, nomine *Lambertus Busius*, & in altera, quæ est collegiata, duo alii concionatores, *Alhardus Matenrotius*, ibidem Canonicus, & *Godefridus Wolans*, viri pietate & veræ religionis cognitione conspicui, & recte docerent, & simul cum *Lamberto* ministrare Sacramenta administrarent juxta Christi institutionem anno 1564. & simul germanicos psalmos cum populo canere in Ecclesia perperant, sunt tamen illi graviter per Papistas ibidem commorantes deturbiati apud Officialem *Werlensem*, *Gerhardum Kleinsorgium*, L. Licentiatum, & alium quendam ibidem Fiscalem, & eum, qui est ibidem Sigillifer, & simul hæreseos Lutheranismi accusati, qui conjunctim illos tres deferunt graviter apud Archiepiscopum *Coloniensem*.



*Fridericum*, [dolendum certe est, tam excellentis eruditionis & eloquentiæ homines, fratres, *Gerhardum Kleinsorgium* & *Christianum Kleinsorgium*; L.L. Licentiatos dignissimos, adeo abhorrere à veritate & hostes esse Evangelii, imo hoc unum hodie agere in ditione *Coloniensi*, quæ sub *Westfalia* comprehenditur, ne ibi doceatur Evangelium aut verus usus Sacramentorum administretur, vel germanici psalmi canerentur] Episcopus statim dat in mandatis Officiali Sigillifero & Fiscali, ut evocatis istis concionatoribus serio præciperent, ut quam primum se eis sisterent ad reddendam rationem sui facti, & deinceps graviter istis injungerent, ne hujusmodi dogmata amplius ab eo tempore spargerent. Ita accidit, ut primo sit citatus ad examen *Alhardus Mattemrotius*, & simul examinatus ab istis tribus *Phariseis Werlensibus*, sed ipse ordine juxta doctrinam *Augustana* Confessionis commode responderat, & sic rationem fidei reddiderat. Sed cum ipsorum & animos & propositum perspectum haberet, reversus domum, quærit cito occasionem resignandi suam Præbendam, ut vocat, & mansit in ministerio tamen adhuc. Hoc cum *Werlenses* persecutores olefacerent, præterito illo, vocarunt deinceps *Arnsburgum*, sub nomine Archiepiscopi, reliquos duos concionatores, ut coram Electore comparerent. Ibi etsi timore percussus valde primum dubitarent quid facturi essent, tamen per Christum confortati tempore statuto comparuerunt. Venientes *Arnsburgum*, abierat jam Episcopus, itaque sistebantur Officiali, Sigillifero & Fiscali, *Werlensibus*. Hic Officialis præcipue acriter invecus & debacchatus est [ut est valde loquens] in Lutherum & ejus doctrinam, mox hoc quoque addiderat, sibi sociisque ab Electore injunctum esse, ut istis duobus concionatoribus *Geseckensibus* referrent, & injungerent, ipsius Celitudinem graviter eis mandare, ut in posterum ab impia Lutheranorum doctrina caverent, nec germanos psalmos canerent, deinde nec amplius Sacramentum, Lutheranorum more, sed Catholicorum, id est Pontificiorum, ritu distribuerent. Postremo addiderat: Ne quoque posthac docerent, nos sola fide justificari, aut sanctos non esse invocandos, cum illi sunt nostri patroni; Illi modeste respondere cupiebant, sed nemo vel verbum ab eis volebat audire. Dixerant enim: Nobis non est injunctum, vestras audire responsiones, sed mandatum Electoris ad vos deferendum accepimus tantum. Illi, domum reversi, quanquam in periculo ver-

M m m m m m m m

sa



farentur, tamen fortiter pergunt in incepto instituto, canunt germanicos psalmos cum plebe in Ecclesia, docent pure, Sacramenta integre administrant, revocant homines à Sanctorum invocatione ad unicum mediatorem, Christum, & commendant Domino negotium suum. *Lamberto* primo igitur jussu *Werlensium*, *Caipia*, *Auz* & *Pilati*, renunciatur munus, deinde & aliis, tanquam contumacibus & non obedientibus Electori interdiciuntur sacra. Ibi licet pro *Lamberto* *Busfo* graves fierent intercessionis Magnatum & Nobilium, tamen, postquam eò venisset *Werlensis* Officialis, & vidisset audivisset illum cum reliquis Lutherano more conciones & ceremonias adhuc formare, omnia frustra tentabantur, itaque alii duo discedunt ab officio. *Godefridus Wolens* abiit in suam patriam in oppidum *Unnam*. *Alhardus* vero *Mattenrottus* opera *Gabrielis Mattenrotti*, fratris & Secretarii docti, illustris & pii in aula *Juliacensi*, Parochiam ruralem sub Nobilibus de *Adelevensen*, prope urbem *Gotingam*, consequitur. Cum adhuc hæreret ibi in ministerio *Lambertus*, has de illo scriptit ad *Abbatissam* literas *Electori Colonienfisi*.

Der Ehrwürdigen und Geistlichen / Unserer sieben Andächtigen / Clara von Menschede / Erwählter Aebtissin des Stifts Gesecke.

Friderich / von Gottes Gnaden Erwählter zum Bischoffe zu Cöln und Churfürst / etc.  
Würdige und Geistliche Liebe Andächtige / etc.

Nachdem uns hiebevör fürkommen / daß der Rector ad S. Cyriacum in unserer Stadt Gesecke / genant *Lambertus*, sich unferer, der wahren Catholischen Religion widerwärtig erzeiget / haben wir ihn / wie auch etliche andere mehr / jüngst in unserm Anwesen in *Wesfalen* durch unsere Rähte und gelehrte examiniren und seine Meinunge in solchen Sachen von ihm hören lassen / dieweil sich nun in solcher Examinacion / daß er der vorgeregten alten wahren Catholischen Religion und gesegneten Kirchen-Ordnung ganz zuwider gehandelt / sich auch in den Ehestand vermeinlich begeben / will uns / als den Landes-Herrschen und Ordinarien nicht gebühren solchen unehrlichen und ungebührlichen Handel (so zu weiteren Verlauff / Zwiespalt in der Religion Kirchen und dem gemeinen Mann zur Aergerniß gereicht) zuzusehen / derhalben ist an Euch unfer gediges Gefinnen und Befehl / Ihr / als die *Collatrix* angezogenen Pastores wollet den gemeldten *Lambertum* von dannen schaffen / einen andern ge-



schickren und frommen Catholischen Lehrer und Pastorn an seine Statt verordnen / und euch in deme also verhalten / damit wir und männiglich spüren mögen / daß ihr unserer alten wahren Catholischen Religion mehr / als solchen ungebührlichen und angefangenen Handel / (daran wir gleichwol nicht zweifeln /) anhängig. Woferne aber unser Vorsehen Ihr diesem unseren Wohlmeinen und billigen Befehl nicht nachsetzen würdet / habt ihr zu gedencken / daß wir / wie vor gesagt / als der Landes-Fürst und Ordinarius, in diesem gebühliches Einsehen zu thun nicht unterlassen werden. Das wollen wir Euch aus gnädiger und guter Meynung nicht verhalten / damit Ihr dieses wisset und Euch darnach zu richten hättet. Sind euch sonst wohl geneigt. Datum Linne / am ersten Septembris, Anno 1564.

Sic amotus est *Lambertus* à ministerio, & ab ejus aliorumque motionis tempore usque ad Pascha proximi & sequentis anni 1565. nulla habita est concio in oppido *Gesecke*, itaque pii ibi in mœrore & luctu fuerunt propter amotos suos pios Pastores & imminentes lupos rapaces. Etsi aliquoties Sacrificuli aliquot paulo post essent propositi, sed illi ut minus idonei reperiebantur. *Lambertus* hæsit aliquando *Gesecke*, in sua patria. Quo deinde abierit, ignoro, interim omnes sancti in eo loco graviter plorando & lamentando de *Caiphis Annis* & *Pilatis Werlensibus* conqueruntur, & dolent, tam pios viros sibi eripi. Tandem receptus est in locum pristinum *Lambertus*, qui ibi postea neutralitatem exercuit.

Dicitur tamen iste *Fridericus de Weida*, Comes, conscientia causa deposuisse & resignasse Electoratum & Archiepiscopatum *Coloniensem*, ut posset, veluti patruus, pie & bona conscientia vivere, Anno 1568.

JUSTI LIPSII, Profess. P. Lugd. Bat.

Quatuor jocosæ de Westfalia Epistolæ, præsertim de *Oldenburgensi* Comitatu.

Ad

V. N. JANUM DOUSAM, P. P. Lugd.

**O**ldenburgi, mi *Dousa*, sum, ubi malum, istud inquires, oppidum est in *Westfalia*, tertio lapide à *Brema*, illic me tenent equites nostri, qui loca hæc omnia persultant. Certe animi pendeo, properem, cum periculo est, nec audet id quisquam mercatorum. Haream? tempus mihi labitur in itinere opportunum. Quod si

Mmm mmm 2

diu-